PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

H. LENNERZ S. J.

DE
SACRAMENTO BAPTISMI

EDITIO ALTERA

AD USUM AUDITORUM

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
1948

6440

ROMAE, 1948 - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DE SACRAMENTO BAPTISMI

1. Βαπτιζειν, frequentativum verbi βαπτειν, profanis significat mergere, immergere aquae, abluendi vel tingendi gratia; porro submergere aqua, obruere aqua, ita ut homo totus submersus, undique aqua circumdatus, aqua quasi oppressus sit; inde in forma passiva sensu metaphorico adhibetur: aere alieno, negotiis baptizatum esse.

Eadem significatione invenitur in Novo Testamento: sensu proprio *Mc* 7, 4: nisi baptizentur, non comedunt; cf. *Luc* 11, 38; sensu metaphorico de largitate vel malorum vel bonorum ita ut quis plane iis submersus sit *Mc* 10, 38: potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? *Act* 1, 5: vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies; id quod factum est in festo Pentecostes *Act* 2, 4: et impleti sunt omnes Spiritu sancto.

Speciatim autem adhibetur de ritu lotionis sacrae; de eo, quem adhibuit Ioannes « Baptista » *Mt* 3, 6 ss.; de eo, quem discipuli Iesu adhibuerunt *Io* 3, 22; 4, 2; et maxime de eo, quem Christus instituit ad recipiendos fideles in suum regnum *Mt* 28, 19; *Act* 2, 38. 41; 8, 12 s. 36 ss.; 22, 16.

Substantivum βαπτισμα sensu metaphorico de magnis passionibus *Mc* 10, 38 s.; *Luc* 12, 50; de baptismo Ioannis *Mt* 3, 7; *Mc* 1, 4; *Luc* 3, 3; de baptismo Christi *Rom* 6, 4; *Eph* 4, 5; *Col* 2, 12; 1 *Petr* 3, 21. Βαπτισμος calicum, urceorum *Mc* 7, 4. 8; *Hebr* 9, 10; de baptismo Christi *Hebr* 6, 2.

S. Scriptura de baptismo Christi [1]

2. Postquam Christus peccatum, mortem, diabolum superavit, antequam ad caelum ascenderet, provocando ad universalem suam potestatem in caelo et in terra, mittit discipulos suos ad omnes gentes, ut eas faciant discipulos, baptizent in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et doceant totam Christi legem observare (*Mt* 28, 19). Ita homines in regnum Christi recipiuntur. Ut homo particeps sit salutis, quam Christus attulit, debet credere et baptizari: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc* 16, 16). Secundum hoc praeceptum Domini apostoli statim a die Pentecostes egerunt. *Act* 2, 37-41: Auditores Petri verbis compuncti interrogant: quid faciemus? Respondet Petrus: « Poenitentiam, inquit, agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum et accipietis donum (δωρεα) Spiritus sancti ». Et qui acceperunt sermonem, baptizati sunt, et « appositae sunt (προσετεθησαν, scl. communitati credentium, ecclesiae) in die illa animae circiter tria milia ». — *Act* 8, 1 ss.: Philippus diaconus praedicabat Christum in civitate Samariae, et cum credidissent, baptizabantur viri ac mulieres; etiam Simon magus credidit et baptizatus est. Cum autem baptizati tantum essent in nomine Domini Iesu, venerunt Petrus et Ioannes, qui imponebant super illos manus et accipiebant Spiritum sanctum. Idem Philippus praedicavit Christum Eunucho Aethiopi (*Act* 8, 26 ss.), et cum venirent ad aquam quandam, Eunuchus quaerit: quid prohibet me baptizari? et descenderunt uterque in aquam, et Philippus Eunuchum baptizavit. Saulus post conversionem baptizatur ab Anania (*Act* 9, 18), qui ei dixit (22, 16): « Quid moraris? Exsurge et baptizare, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius (scl. iusti,

[1] W. Koch, *Die Taufe im Neuen Testament.* (Bibl. Zeitfr. III, 10) Münster 1921; Belser, *Das Zeugnis des vierten Evangelisten für die Taufe, Eucharistie und Geistessendung.* Freiburg 1912; V. Iacono, *Il Battesimo nella dottrina di S. Paolo.* Roma 1935.

Christi) ». — *Act* 10, 44 ss.: Cum Petrus praedicaret Cornelio eiusque domui, « cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum ». Petrus dixit: « Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? Et iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi ». Ita primi gentiles recepti sunt in ecclesiam. De qua communicatione cum viris praeputium habentibus ita Petrus se defendit (11, 16 s.): « Recordatus sum autem (scl. cum Spiritus sanctus caderet in audientes) verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam (δωρεά) dedit illis Deus, sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam ». — *Act* 16, 14 s. Philippis mulier nomine Lydia eiusque domus baptizatur. Ibidem custos carceris quaerit (16, 30 s.): « Quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum », et credens baptizatus est ipse et domus eius. — *Act* 18, 9: « Multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur ». — *Act* 19, 1 ss. Paulus Ephesi invenit discipulos, qui non audiverunt de Spiritu Sancto, et baptizati erant in Ioannis baptismate. Instructi de differentia baptismi Ioannis et Iesu « baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant ».

Ita ab initio praedicationis clare apparet praxis apostolorum secundum praeceptum Christi credentes per baptismum in remissionem peccatorum recipiendi in ecclesiam. Plura de significatione et effectibus huius baptismi inveniuntur in epistulis.

3. *Rom* 6, 3 ss. Christiani, qui baptizati sunt in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sunt, ita ut cum Christo moriantur, scl. secundum veterem hominem; per hunc baptismum sepulti sunt cum Christo, ut sicut Christus surrexit ad novam vitam, ita et ipsi in novitate vitae ambulent. Ergo in baptismo mortui sunt peccato, vetus homo sepultus est, nova vita inci-

pit. — 1 *Cor* 1, 10 ss. Contra factiones Corinthi ortas s. Paulus monet, non Paulum crucifixum esse pro eis, sed Christum, neque baptizatos eos esse in nomine Pauli, sed in nomine Christi, et propterea omnes sunt Christi, non autem Pauli, vel Apollo, vel Cephae. Ergo baptizatus in nomine Christi est Christi. — *Eph* 4, 5: Unus est Dominus, una fides, unum baptisma. — 1 *Cor* 6, 11: Apostolus postquam catalogum texuit peccatorum, qui regnum Dei non possidebunt, pergit: Tales aliqui ex vobis fuerunt (scl. ante conversionem); « sed abluti estis (abluendos vos curastis, scl. quando receperunt baptismum), sed sanctificati estis, sed iustificatis estis in nomine Domini Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri ». — 1 *Cor* 10, 1 ss. transitum per mare, per quem in Moysen baptizati erant, typum proponit baptismi, quo Christiani in Christum baptizantur. — 1 *Cor* 12, 12 s. Sicut corpus unum est et multa membra habet, ita Christus. « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus... et omnes in uno Spiritu potati sumus ». Per baptismum omnes fiunt unum corpus, i. e. unius corporis membra. Sunt enim corpus Christi (1 *Cor* 12, 27; 10, 17; *Rom* 12, 5. Ecclesia est corpus Christi: *Eph* 1, 23; 2, 16; 4, 4. 12. 16; 5, 23-30; *Col* 1, 18. 24; 2, 19; 3, 15). — *Gal* 3, 26: Qui in Christum baptizati sunt, Christum induerunt, et in Christo uniuntur, ut non sit Iudaeus neque graecus, non servus neque liber, non masculus neque femina. « Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu ». — *Col* 2, 11 ss. baptismum vocat circumcisionem; sed haec circumcisio non est manu facta, non ab homine facta; per eam corpus carnis, veterem hominem, exuunt; consepulti sunt Christo in baptismo, resurrexerunt et convivificati sunt cum Christo; omnia delicta condonata sunt. — *Eph* 5, 26 hortatur Apostolus viros, ut diligant uxores, et exemplum proponit dilectionem Christi erga ecclesiam, pro qua se ipsum tradidit, « ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam... ut sit sancta et immaculata ». Baptismum hoc loco vocat *lavacrum* (cf. *Act* 22, 15; 1 *Cor.* 6, 11; *Tit* 3, 5), *in verbo* (ἐν ῥήματι), in doctrina fidei, simul cum professione fidei; ab aliis intelligitur de forma baptismi. — *Tit* 3, 4-7: Salvator noster Deus salvos nos fecit per lavacrum, quo

regeneramur et renovamur per Spiritum sanctum, quem effudit in nos, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae. De hac regeneratione Dominus dixit *Io* 3, 5: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei ». De renovatione cf. *Rom* 6, 4; *Eph* 4, 4. 23; *Gal* 6, 15; 2 *Cor* 5, 17.

4. 1 *Petr* 3, 21: In diluvio per aquam, in qua reliqui perierunt, octo animae salvatae sunt (arca ferebatur super aquas), quae aqua etiam lectores salvat, aqua scl. ἀντιτυπος (cuius typus erat aqua salvans tempore diluvii); haec aqua lectores salvans est baptismus. Baptismus autem salvat non ut est depositio sordis carnis, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum (directa), scl. petitio ad Deum directa, ut det bonam conscientiam, animum a peccatis purgatum.

« Doctrina baptismorum » pertinet ad « inchoationis Christi sermonem », i. e. ad doctrinam elementarem de Christo (*Hebr* 6, 1 s.).

5. Fideles baptizantur in nomine Iesu Christi (*Act* 2, 38; 10, 48); in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti (*Mt* 28, 19); in nomen Domini Iesu (*Act* 8, 16; 19, 5); in Christum Iesum (*Rom* 6, 13); in Christum (*Gal* 3, 27).

Notandum est, « nomen Dei », « nomen Iesu » interdum esse circumlocutionem pro « Deus », « Iesus » (cf. *Mt* 19, 29 cum *Mc* 10, 29; *Mt* 10, 17 cum *Luc* 21, 12).

Baptizare ἐν τῳ ὀνοματι Iesu Christi (*Act* 10, 48) est baptizare intime coniunctum cum Christo, mandato, autoritate et virtute Christi (cf. *Act* 3, 6; 16, 18; *Mt* 16, 17; *Io* 5, 43; 10, 25; 14, 13; 15, 16).

In locutione baptizare ἐπι τῳ ὀνοματι Iesu Christi (*Act* 2, 38) ἐπι indicat fundamentum, rationem in qua baptismus nititur; ergo baptizare innitendo in nomine Iesu Christi, in doctrina Christi, cum fide Iesu Christi (cf. *Act* 4, 17 s.; 5, 28. 40; *Luc* 24, 47; *Mc* 13, 6; *Mt* 18, 5).

Baptizare εἰς Χριστον (*Gal* 3, 22) vel εἰς Χριστον Ιησουν potest intelligi de effectu baptismi, scl. de intima unione cum

Christo (cf. 1 *Cor* 12, 13 εἰς ἓν σωμα), vel est idem quod εἰς το ὀνομα Domini Iesu (*Act* 8, 16; 19; 5). Sensus huius ultimae formulae eruitur ex 1 *Cor* 1, 13 ss. Si Corinthii baptizati essent in nomen Pauli, essent Pauli, pertinerent ad Paulum, essent « Paulini ». Nunc autem non sunt baptizati in nomen Pauli, neque Paulus crucifixus est pro iis, sed Christus pro iis mortuus est (et in nomen eius baptizati sunt), et propterea omnes sunt Christi. Simili modo dicitur Israelitas baptizatos esse in Moysen (1 *Cor* 10, 2) ad obedientiam erga Moysen, eius auctoritati subiecti. In nomen alicuius baptizari est ergo per huiusmodi actum fieri alicuius, alicui devoveri, in eius servitio tradi, ei consecrari. Eodem sensu, ut supra dictum est, potest intelligi *Gal* 3, 27; *Rom* 6, 3, ita ut ibi quoque sensus sit, devoveri, consecrari Christo. Ita tandem baptizare in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti (*Mt* 28, 19) significat: baptizando consecrare eos in cultum et servitium Patris et Filii et Spiritus sancti. In tali baptismo explicite pronuntiandum esse nomen Iesu, vel Patris et Filii et Spiritus sancti, ipsa hac locutione « baptizare in nomen Iesu » vel « baptizare in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti » non directe dicitur, sed facile subintelligitur » [2].

6. Ad complendum ea, quae dicta sunt, pauca *de baptismo Ioannis* addenda videntur. Baptismus Ioannis erat, ut tota eius missio, praeparatorius ad adventum Messiae. S. Paulus de eo dicit (*Act* 19, 14): « Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae, populo dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum ». Propterea ii, qui baptismo Ioannis baptizati erant, baptizati sunt in nomen Iesu. Ipse Ioannes de se dixit (*Io* 1, 31): « ut manifestetur (Iesus) in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans ». Sicuti praedicatio Ioannis erat (*Mt* 3, 2): « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum », ita eius baptismus (*Mt* 3, 11): « Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam ». Ergo baptismus Ioannis erat

---

[2] Eloy René, Βαπτιζειν (εσθαι) εἰς τινα y εἰς το ὀνομα τινος. *Analecta Taraconensia* 1 (1925) 113-143; Umberg, *Die Grundbedeutung der Taufformel.* 75 Iahre Stella Matutina, Feldkirch 1931 I, 533-552.

signum poenitentiae et professio fidei et spei in Messiam venturum. De Iesu vero dixit Ioannes (ibid.): « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni » (*Mc* 1, 8 om. « et igni »). Ex hoc apparet baptismum Ioannis non fuisse « in Spiritu sancto », in virtute Spiritus sancti, ita ut Spiritum sanctum, donum temporis messianici, conferret. Quae autem Ioannes de Iesu dicit (« baptizabit vos in Spiritu sancto et igni ») multi referunt ad ipsum baptismum Iesu, non quidem eo sensu, quod negaretur eum esse in aqua, sed quod illis verbis efficacia baptismi Iesu prae baptismo Ioannis enuntiaretur, scl. qui operatur in virtute Spiritus sancti, quo animae velut igne purgantur (cf. *Mal* 3, 1 ss.). Alii tamen putant Ioannem non loqui de baptismo Iesu, sed de iudicio Messiae, quo bonis plenitudo Spiritus sancti confertur, malis vero ignis aeternus paratur. Pergit enim Ioannes (v. 12): « cuius ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili » (cf. *Mal* 4, 1 ss.). Ipse Dominus ante ascensionem discipulis praecepit (*Act* 1, 4 s.) ut « exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies » (cf. *Act* 2, 33; 11, 16), ubi clare loquitur non de suo « baptismo », sed de larga effusione Spiritus sancti in die Pentecostes.

THESIS 1: Ritus quo homines in ecclesiam Christi recipiuntur, est baptismus.

7. « Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum (1 *Petr* 2, 25), ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur » (Conc. Vat. sess. 4; *Denz.* 1821). « Partam per Iesum Christum salutem simulque beneficia omnia, quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet ecclesia » (Leo xiii, enc. « Satis cognitum » 29. iunii 1896. Denz 1955). Haec ecclesia est unica; huic soli Christus mandatum dedit homines perducendi ad salutem, eique

soli quoque media contulit, quibus ad vitam aeternam homines perveniant. Hinc qui vult salvus fieri, debet esse membrum huius ecclesiae. In hac thesi ostenditur, ritum quo homines in hanc ecclesiam recipiuntur, esse baptismum.

Doc. ecclesiae

8. Conc. Flor., *Decretum pro Armenis*: « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae » (*Denz* 696). Conc. Trid. differentias indicans inter Baptismum et Poenitentiam, sess. 14 cap 2 ait: « constat certe, baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus » (*Denz* 895). Cf. Conc. Valent. can 5 (*Denz* 324). Cod. iur. can. can. 87: « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis... ».

S. Scriptura

9. *Io* 3, 5 Dominus dicit: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ». *Matth* 28, 19 mittit apostolos, ut omnes gentes faciant discipulos « baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ». Ita egerunt discipuli: baptismo credentes coniunguntur communitati fidelium (*Act* 2, 41; 10, 47 s.). S. Paulus docet baptismo fideles induere Christum (*Gal* 3, 26); baptizati sunt in unum corpus (1 *Cor* 12, 12 s.); sunt corpus Christi, quod est ecclesia (supra nr. 3).

Ex *Patribus* afferre testimonia non est necessarium, cum a primis temporibus clare appareat baptismus ritus initiationis, id quod etiam ex sequentibus patebit.

THESIS 2: Ad essentiam ritus baptismalis pertinet, ut subiectum aqua naturali abluatur.

10. Ecclesia ritum baptismalem multis caeremoniis ornavit, quae tamen non omnes sunt essentiales. Hac et sequenti thesi ea statuuntur quae ex parte ritus sunt necessaria ad hoc, ut baptismus certo sit validus. Hac thesi affirmatur, 1° requiri aquam naturalem, 2° eam applicandam esse per ablutionem.

I. *In omni et sola aqua naturali valide administratur baptismus.*

11. Aqua intelligitur « omne naturalis aquae genus, sive ea maris sit, sive fluvii sive paludis, sive putei aut fontis, quae sine ulla adiunctione aqua dici solet » (*Cat. Rom.* p. 2 c. 2 nr. 7). Haec sola est materia valida; non ergo liquores naturales, qui non sunt aqua (vinum, sanguis etc), neque artificiosi liquores, licet « aqua » denominentur. Omnis aqua naturalis est materia valida, i. e. ad valorem non requiritur specialis benedictio huius aquae; haec tamen in solemni collatione baptismi ad liceitatem requiritur.

12. Baptismum in aqua non admiserunt aliqui propter suos errores de materia ut mala. Ita refert s. IRENAEUS (*Adv. haer.* l. 1 c. 21 nr. 4; MG 7, 666) de iis, qui « haec omnia (aquam, oleum) recusantes dicunt, non oportere inenarrabilis et invisibilis virtutis mysterium per visibiles et corruptibiles perfici creaturas; et ea quae mente concipi non possunt, et incorporalia et insensibilia, per sensibilia et corporalia. Esse autem perfectam redemptionem ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis ». TERTULLIANUS (*De baptismo* 1; CV 20, 201) loquitur de haeresi Gaiana, quae destruit baptismum. AUGUSTINUS (*De haeresibus* nr. 46; ML 42, 38) dicit de manichaeis: « Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant » (cfr. nr. 59).

Propter verba Ioannis baptistae: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Matth* 3, 11) aliqui putabant necessarium

esse in baptismo etiam ignem [3]. Ita refert auctor *De rebaptismate* c. 16: « Quia Ioannes dixit, nos baptizandos esse in Spiritu sancto et igni, eo quod addiderit dicens et igni, idcirco quidam desperati homines ausi sunt usquequaque pravitatem suam porrigere, et propterea homines nasutissimi quaerunt, quomodo sanctitatis baptisma ita corrumpant ac violent, ut etiam evacuent; qui originem iam exinde trahunt a Simeone mago multiformi perversitate per varios errores eam exercent... Et agunt isti haec omnia, dum fallere cupiunt eos, qui sunt simpliciores et curiosiores et tentant nonnulli eorum tractare se solos integrum atque perfectum, non sicuti nos mutilatum et decurtatum, baptisma tradere, quod taliter dicuntur adsignare, ut quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis apparet » (CV 3, 3, 89 s.).

Similia inveniuntur apud Catharos saeculi 12.

Calvinus de verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto dicit: « Primum eo falluntur, quod baptismi mentionem fieri hoc loco putant, quia aquae nomen audiunt. Postquam enim naturae corruptionem Nicodemo exposuit Christus, ac renasci oportere docuit, quia ille renascentiam corporalem somniabat, modum hic indicat, quo regenerat nos Deus: nempe per aquam et spiritum; quasi diceret, per spiritum purgando et irrigando fideles animas vice aquae fungitur » (*Institutio rel. christ.* cap. 17; Opera omnia I, 986 nota 1).

Doc. Ecclesiae

13. Innocentius III (1206): « Postulasti, utrum parvuli sint pro Christianis habendi, quos, in articulo mortis constitutos, propter aquae penuriam et absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus ac inter scapulas pro baptismo salivae conspersione linivit. Respondemus, quod cum in baptismo duo semper. videlicet verbum et elementum, necessario requi-

---

[3] Corblet, *Histoire... du Sacrement de Baptême.* Paris 1881, I, 211-215, ubi alii auctores indicantur. C. M. Edsmann, *Le Baptême de feu* (Acta Seminarii neotestamentici Upsalensis 9). Leipzig 1940.

rantur, iuxta quod de verbo Veritas ait: Euntes in mundum etc., eademque dicat de elemento: Nisi quis etc. dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque praedictorum, sed eorum alterum est omissum » (*Denz* 412). — Gregorius IX (1241): « Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnumquam propter aquae penuriam infantes terrae tuae contingat in cerevisia baptizari: tibi tenore praesentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cerevisia baptizantur » (*Denz* 447). — Innocentius IV (1254): « Nec refert etiam, utrum in frigida vel calida aqua baptizent (scl. Graeci), cum parem vim et effectum in utraque baptismum habere asseverare dicuntur » (*Denz* 449). Cf. Conc. Viennense, *Denz* 482. — Clemens VI (1351) « quod baptismus non potest esse in liquore alio quam vera aqua » (*Denz* 574*a*). — Conc. Florent., *Decretum pro Armenis* (1439): « Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis; nec refert frigida sit an calida » (*Denz* 696). Conc. Trid. sess. 7 de sacramento baptismi, canon 2: « Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit » (*Denz* 858).

S. Scriptura

14. *Io* 3, 5: ex aqua et Spiritu sancto. *Act* 8, 36 ss. Eunuchus baptizatur in aqua. — *Act* 10, 47: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? — 1 *Cor* 10, 2 ss.: Transitus per mare rubrum est typus baptismi, quod ita exponit Pesch (nr. 358): « Sanctus vero Paulus docet typum huius sacramenti fuisse transitum maris rubri, qui in figura factus est nostri baptismatis, quatenus iudaei quidem in Moyse baptizati sunt in nube et mari, i. e. transeuntes per mare rubrum et sequentes nubem lucidam, signum Dei praesentis, exierunt ex servitute aegyptiaca in libertatem populi Dei et in Moysen baptizati sunt, i. e.

devoverunt se legi mosaicae; christiani autem per aquam baptismi transeunt ex servitute diaboli in regnum Christi et in Christum baptizantur, i. e. Christi servitio devoventur ». — 1 *Petr* 3, 20 ss. Arca Noë, in qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam, est typus baptismi. Ergo ubique habetur, baptismum fieri in aqua; nihil tamen de speciali aliqua benedictione aquae indicatur. Quomodo autem intelligenda sint verba Ioannis Baptistae ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne vide supra nr. 6.

Patres

15. Didache 7, 1 ss. « De baptismo autem, sic baptizate: haec omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in aqua viva. Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram habes, effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ». (Funk 1, 16; R 4)[4]. Cf. Hermae Pastor, *Sim.* 9, 16 (R 92); S. Iustinus, *Apol.* 1, 61 (R. 126). — Tertullianus, *De baptismo*, 1: « Felix sacramentum aquae nostrae, quia ablutis delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur! Non erit otiosum digestum istud, instruens tam eos qui cum maxime formantur, quam et illos qui simpliciter credidisse contenti non exploratis rationibus traditionum intemptatam probabilem fidem per imperitiam portant. Atque adeo nuper conversata istic quaedam de Gaiana haeresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens. Plane secundum naturam. Nam fere viperae et aspides ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθυν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Itaque illa monstrosissima, cui nec integrae quidem docendi ius erat, optime norat pisciculos necare de aqua

[4] Th. Klauser, *Taufet in lebendigem Wasser*. Zum religiös und kulturgeschichtlichen Verständnis von Didache 7, 1-3. Pisciculi, Franz Dölger gewidmet. Münster 1939, 157-164.

auferens » (CV 20, 201; cf. R 302); cf. *De corona*, 3 (R 367). — S. Ambrosius, *De mysteriis* 4, 20: « Ideoque legisti quod tres testes in baptismate unum sunt, aqua, sanguis et Spiritus; quia, si in unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est: Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei » (ML 16, 394; R 1330). — S. Augustinus, *In Ioannis evangelium tractatus*: 15, 4: « Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus; tolle verbum, non est baptismus » (ML 35, 1512; R 1817).

Specialis benedictio aquae ad valorem non requiritur [5].

16. Non raro Patres dicunt aquam baptismi esse benedictam, immo debere esse benedictam; attamen dici non potest, eos communiter hanc benedictionem habuisse essentialem, uti ex sequentibus patebit.

Tertullianus, *De baptismo* 4: « Omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de caelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt » (CV 20, 204; R 303). — S. Cyprianus, *epist.* 70, 1: « Oportet vero mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere, quia per Ezechielem (*Ez* 36, 25. 26) dicit Dominus: et aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus immunditiis vestris et ab omnibus simulacris vestris; et mundabo vos, et dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo vobis. Quomodo autem mundare et sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, et apud quem sanctus Spiritus non est? cum Dominus dicat in Numeris (*Num* 19, 22): et omnia quaecumque tetigerit immundus, immunda erunt ». (CV 3, 767 s.). — S. Cyrillus Hierosol. *Cat.* 3, 3: « Nam ut ea,

[5] B. Neunheuser, O.S.B. *De Benedictione aquae baptismalis.* Ephemerides Liturgicae 44 (1930) 194-207; 258-281; 369-412; 455-492.

quae in aris (gentilium) offeruntur, cum natura sua nuda et simplicia sint, invocatione idolorum contaminata efficiuntur, sic contra aqua simplex Spiritus sancti et Christi et Patris invocationem percipiens, vim sanctitatis acquirit » (MG 33, 430). — S. Basilius, *De Spiritu sancto* 15, 35: « Hoc igitur est denuo nasci ex aqua et Spiritu, quippe quia mors perficitur in aqua, vitam vero nostram operatur Spiritus. Tribus igitur demersionibus ac totidem invocationibus magnum baptismatis mysterium peragitur, ut et mortis figura exprimatur, et per traditionem divinae scientiae animus illustretur eorum qui baptizantur. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia » (MG 32, 129; R 947). Cap. 27, 66 inter ea, quae non ex doctrina scripta, sed ex tacita secretaque traditione habentur, invenitur etiam: « Benedicimus autem et aquam baptismatis et oleum unctionis, immo ipsum etiam, qui baptismum accipit; ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? » et sic plura alia enumerat, quae certo non pertinent essentialiter ad baptismum (MG 32, 188; R 954).

17. S. Gregorius Nyssenus, *De baptismo*: Aethiops eunuchus « operosum a se petitum baptisma accepit, nec exspectavit diversorium, nec civitatem aut vicum, aut locum sanctificationis, prudenter autem deputans, quod omnis locus est communis Domini et omnis aqua est apta ad usum baptismatis, si modo invenerit fidem eius qui id accepit et benedictionem sacerdotis sanctificantis » (MG 46, 422). *Oratio in diem luminum*: « Hoc autem beneficium non aqua largitur, esset enim omni creatura sublimior, sed Dei praeceptum et Spiritus, qui mystice ad nostram libertatem venit, accessus. Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem. Quoniam enim sordibus et coeno foedatum corpus aqua lavantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadenti incorporeum splendorem significantes. Imo vero, si videtur, etiam subtilius explicando perseveremus in quaestione lavacri, tamquam a fonte quodam initium praecepti Scripturae facientes. Nisi quis, inquit, natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Quare bina illa, et non solus Spiritus

sufficiens existimatus est ad completionem baptismatis? Compositus est homo et non simplex, ut certo scimus. Atque idcirco duplici coniunctoque cognata similiaque medicamenta ad curationem destinata atque attributa sunt: corpori quidem, quod apparet, aqua quae sub sensum cadit; animae vero, quae visum effugit, Spiritus, qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit. Spiritus enim ubi vult spirat, et vocem eius audis; sed nescis unde veniat et quo vadat; corpus quod baptizatur, et aquam quae baptizat, benedicit. Quare ne contemnas divinum lavacrum, neque id tamquam commune propter usum aquae parvi facias, et levi momento ducas. Nam id, quod operatur, magnum est, et ab illo mirabiles exsistunt effectus. Nam et altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur et pavimenta exornantur. Sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis sacerdotibus iisque venerantibus contrectatur » (MG 46, 582).

18. S. Ambrosius, *De mysteriis*, cap. 3, 8: « Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas: levitas illic ministrantes, summum sacerdotem interrogantem et consecrantem... Crede ergo divinitatis illic adesse praesentiam. Operationem credis, non credis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi praecederet ante praesentia?... 14: Merrha fons amarissimus erat: misit in eum Moyses lignum, et dulcis est factus (*Exod* 15, 23 s.). Aqua enim sine praedicatione dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est propheta, ita et in hunc fontem sacerdos praedicationem dominicae crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam. Non ergo solis corporis tui credas oculis: magis videtur, quod non videtur; quia istud temporale, illud aeternum aspicitur, quod oculis non comprehenditur, animo autem ac mente cernitur » (ML 16, 391. 393). *De sacramentis* 1, 15: « Quid ergo significat? Vidisti

aquam; sed non aqua omnis sanat; sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit et aquam illam consecraverit... 18: Descendit Christus, descendit et Spiritus sanctus. Quare prior Christus descendit, postea Spiritus sanctus, cum forma baptismi et usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquae, invocationem postea et precem defert, ut sanctificetur fons et adsit praesentia Trinitatis aeternae: Christus autem ante descendit, secutus est Spiritus. Qua ratione? Ut non quasi ipse egere Dominus Iesus sanctificationis mysterio videretur; sed sanctificaret ipse, sanctificaret et Spiritus » (ML 16, 422 s.); cf. lib. 2, 14 (ML 16, 427). *Expositio evangelii secundum Lucam* 2, 83: « Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi, quae peccatum non cognoscit, baptismatis ius haberent. Et ideo qui ad Christi lavacrum venerit, peccata deponit » (ML 15, 1583; R 1301) [6].

19. Patres ergo saepe, maxime quando caeremonias baptismi explicant, loquuntur de benedictione aquae, quae ab antiquis temporibus in usu erat. Id quod imprimis hac occasione docere intendunt, est, non aquam ex se mirabiles illos effectus producere, sed Spiritum sanctum, qui post invocationem praesens adest, sanctificationem efficere; haec autem veritas clare exprimitur praecise in ritu benedictionis aquae. Patres autem communiter docuisse hanc antecedentem benedictionem tam necessariam esse, ut sine illa baptismus sub invocatione ss. Trinitatis collatus invalidus fuerit, dici non potest. Baptismus a laicis collatus erat validus (cf. thes. 7); secundum narrationem Rufini Alexander episcopus validum habuit baptismum a pueris ludentibus collatum; in inquisitione vero, num omnia neces-

---

[6] B. Marchetta, *La materia e la forma del battesimo nella chiesa di s. Ambrogio*, Roma 1945, 50 ss. censet benedictionem aquae secundum s. Ambrosium requiri ad valorem baptismi

saria in hoc baptismo observata fuerint, nihil dicitur de aliqua benedictione aquae (infra nr. 60). Docent etiam Christum, cum in Iordane baptizaretur, iam aquam ad baptizandum sanctificasse, et saepe, loquentes de baptismo, tamquam necessaria indicant aquam et invocationem Trinitatis, quin loquantur de antecedente benedictione aquae [7].

Materia *licita* in sollemni baptismo ex praescripto ecclesiae est aqua ad hoc benedicta (Cod. iur. can. 757).

II. *Aqua applicari debet per ablutionem*, i. e. aqua debet physice corpus, vel partem corporis (caput) tangere et motu successivo super corpus fluere. Ablutio per se fieri potest immersione, infusione, aspersione, qui modi omnes in ecclesia adhibiti sunt; potest fieri trina vel una ablutio. (S. Th., 3 q. 66 art. 7; 8).

S. Scriptura

20. Baptismus vocatur « lavacrum » (*Eph* 5, 26; *Tit* 3, 5) quod necessario dicit ablutionem. Ex eo quod s. Paulus baptismum comparat cum sepultura et resurrectione inferri potest, baptismum ita collatum esse, ut totus homo immersus fuerit in aqua. Simile quid fortasse concludi possit cum sermo sit de « nativitate ex aqua » (*Io* 3, 5). Hic tamen modus vix videtur supponi posse *Act* 16, 33, quando Paulus nocte custodem carceris et omnem eius domum baptizavit. De una vel trina immersione vel ablutione in s. Scriptura nihil indicatur.

Patres

21. Didache 7, 1 ss.: « De baptismo autem sic baptizate: haec omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in aqua viva. Sin autem non ha-

---

[7] De necessitate benedictionis aquae apud Monophysitas Syros vide W. de Vries S.J., *Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten*. Roma 1940, 105-107; apud Nestorianos, Idem, *Sakramententheologie bei den Nestorianern*. Roma 1947, 169-170.

bes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram habes, effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » (R 4). — Epistula Barnabae 11, 11: « Nos descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus, emergimus autem fructificantes in corde timorem et in spiritu spem in Iesum habentes » (R 34). — Hermae Pastor, *Sim.* 9, 16, 4: « In aquam igitur descendunt mortui et ascendunt vivi » (R 92). — S. Iustinus, *Apologia* 1, 61: « In nomine Parentis universorum ac Domini Dei, ac Salvatoris nostri Iesu Christi, et Spiritus sancti, lavacrum in aqua tunc suscipiunt » (MG 6, 420; R 126). — Tertullianus, *De baptismo*, 7: « egressi de lavacro », « in aqua mergimur » (CV 20, 206; R 304); cf. *Adversus Marcionem* 1, 14: « Sed ille quidem (Christus) usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit... » (CV 47, 308; R 333). *De corona* 3: « Ut a baptismo ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompae et angelis eius; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in evangelio determinavit » (ML 2, 79; R 367).

22. S. Cornelius papa, *epist. ad Cyprianum*: « Cum (Novatianus) ab exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dum iamiam moriturus creditur, in ipso in quo iacebat lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen huiuscemodi baptismum suscepisse dicendus est » (R 547). — S. Cyprianus, *epist.* 69, 13: « Quaesisti etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praeiudicat quominus unusquisque quod putat sentiat, et quod senserit faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia ut in lavacro carnali et saeculari sordes

cutis et corporis abluuntur, ut et aphronitris et ceteris quoque adiumentis et solio et piscina opus sit, quibus ablui et mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In sacramentis salutaribus necessitate cogente et Deo indulgentiam suam largiente totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: et aspergam super vos aquam mundam... Unde apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere et quando haec in ecclesia fiunt, ubi sit et accipientis et dantis fides integra, stare omnia et consummari ac perfici posse maiestate Domini et fidei veritate » (CV 3, 760 ss.; cf. R 590).

23. S. Cyrillus Hieros. *Cat.* 3, 12: « Qui mortuus in peccatis descendisti, ascendis vivificatus in iustitia » (MG 33, 441; R 812; cf. 841). — S. Basilius, *De Spiritu sancto* 15, 35: « Tribus igitur demersionibus ac totidem invocationibus magnum baptismatis mysterium peragitur » (MG 32, 129; R 947). *Ibidem* 27, 66 trinam immersionem enumerat inter ea, quae non habentur ex Scriptura (MG 32, 188; R 954). — S. Hieronymus, *In epist. ad Ephesios* 2, 4, 5: « Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum » (ML 26, 496; R 1368).

24. Ritus *unica* mersione baptizandi dicitur ab *Eunomio* introductus. Sozomenus, *Hist. Eccl.* 6, 26: « Aiunt porro hunc Eunomium primum omnium ausum esse asserere, quod sacrum baptisma unica mersione peragendum sit; et apostolicam traditionem, quae etiamnum ubique servatur, corrupisse, aliam denique ecclesiae suae disciplinam plerisque in rebus introduxisse, quae gravitate ac severitate quadam novitatem suam obtegerit » (MG 67, 1362).

Canones Apostolorum (ca. 400), can. 50: « Si quis episcopus vel presbyter non tres immersiones unius initiationis fecerit, sed unam mersionem, quae in mortem Domini detur, deponatur; non enim dixit Dominus: In mortem meam baptizate,

sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » (Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum* I, 579).

25. In occidente Pelagius papa rescripsit *Gaudentio* episcopo Volaterrano (c. a. 560): « De haereticis, ex quibus per Paulinum filium tuum virum clarissimum nos consulendos esse duxisti: ut si quidam ex iis reverti volunt ad catholicam fidem, utrum baptizandi sint, an tantummodo reconciliandi, haec tuam volumus fraternitatem custodire, quae circa Sirmiae et Simgidunae aliaque vicina loca, ubi istius haeresis multi sunt, novimus custodiri, ut quia in nomine solummodo Christi, una etiam mersione se asserunt baptizari. Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo Domino et Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mersione baptisma unicuique tribuere, dicente Domino nostro discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Si revera hi de praefatis haereticis, qui in locis dilectioni tuae destinatis vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusdam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes, sanctae Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero apud dilectionem tuam eorum qui converti volunt, manifesta confessione claruerit, quod in Trinitatis nomine fuerint baptizati, sola conciliationis gratia impensa, catholicae reconciliare fidei maturabis, ut tali dispositione servata nihil aliter quam quod evangelica iubet auctoritas, temeritatis cuiusdam spiritu videatur effectum » (apud *Ivonem Carnotensem*, ML 161, 97; *Denz* 229). — Gregorius Magnus *Leandro* episcopo hispalensi respondit, baptismum fieri posse una vel trina immersione (ML 77, 497; plura ex hac epistola statim).

26. Synodus Toletana IV (633) cap. 6: « De baptismi autem sacramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, a nonnullis schisma esse conspicitur, et unitas fidei scindi videtur (nam dum patres diverso, et quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos

esse contendunt); proinde quid a nobis in hac sacramenti diversitate finiendum sit, apostolicae sedis informemur praeceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatae igitur memoriae *Gregorius* Romanae ecclesiae pontifex, qui non solum partes Italiae illustravit, sed et longe exsistentes ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo *Leandro* episcopo, de hac Hispaniae diversitate, quid potius esset sequendum inter cetera rescribens ei, sic ait: De trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit sanctae ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanae sepulturae sacramenta signamus; ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summae Trinitatis veneratione exsistimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere; quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo vel ter vel semel mergere; quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur. (Hucusque verba Gregorii). Quapropter, quia de utroque sacramento quod fit in sancto baptismo a tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haereticorum probare assertionem, dum sequuntur et morem. Et ne forte cuiquam sit dubium huius simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem et resurrectionem Christi significari: nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, et rursus ab aquis emersio resurrectio est. Item videat in eo unitatem divinitatis, et Trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel immergimus, Trinitatem, dum nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizamus. Panditur huius singularis baptismatis mysterium

etiam sacrarum scripturarum exemplis. Paulo apostolo attestante: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Mose baptizati sunt, in nube et in mari. Mare quippe rubrum significat baptismum Christi sanguine consecratum, per quem populus Dei semel transiit: ubi tamen tota erat Trinitas, praecedente populum columna ignis et nubis. In igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus sanctus. Iordanis quoque fluenta cum arca populus Dei semel transiit, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cuius sacramento ecclesia abluitur, et de saeculi huius laboribus per baptismum, quasi per Iordanem, ad terram caelestis repromissionis ingreditur » (Msi 10, 618 ss.).

THEOLOGI

27. Patet eos in doctrina hac thesi enuntiata convenire; explicant, cur convenienter electa sit materia baptismi ablutio aqua naturali facienda; cf. S. Th. 3, q. 66, qui art. 8 inter alia hanc sibi facit obiectionem (3): « Si trina immersio non sit de necessitate baptismi: ergo ad primam immersionem baptismi consequitur sacramentum. Si ergo addatur secunda vel tertia, videtur quod secundo vel tertio baptizetur, quod est inconveniens. Non ergo una immersio sufficit ad sacramentum baptismi, sed trina immersio videtur esse de necessitate ipsius ». Respondet: « Sicut supra dictum est, intentio requiritur ad baptismum. Et ideo ex intentione ministri Ecclesiae, qui intendit unum baptismum dare trina immersione, efficitur unum baptisma... Si vero intenderet ad unamquamque immersionem unum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formae, peccaret, quantum in se est pluries baptizans ».

Nunc ad *liceitatem* requiritur trina immersio (infusio); ad valorem autem sufficit una.

De aliis quaestionibus, qualis aqua, cui admixtae sint aliae substantiae, adhuc valida censenda sit, qualis ablutio requiratur, quae partes corporis abluendae sint et de similibus vide Theologiam moralem.

THESIS 3: Simul cum ablutione baptizans nunc proferre debet verba, quibus explicite nominantur tres personae divinae et ipsa actio baptismalis exprimitur.

28. Verba, quae minister baptismi in ecclesia latina adhibere debet, sunt: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti »; apud Graecos communiter: « Βαπτίζεται δοῦλος θεου εἰς ὀνομα του πατρος και του υἱου και του ἁγιου πνευματος ».

In utraque forma explicite nominantur tres personae divinae, et exprimitur ipsa actio baptizandi. Haec duo nunc ad valorem baptismi necessaria esse, extra controversiam est. Praeterea in utraque forma exprimitur subiectum, quod baptizatur, et in forma latina insuper persona baptizans. De his ultimis disputatur, num ad valorem baptismi absolute necessaria sint.

29. Hoc loco quaedam praemittenda videntur de modo baptizandi in antiqua ecclesia [8].

Hippolyti *Traditio Apostolica*, qua redditur usus saeculi 3, haec habet: « Ea hora, qua gallus cantabit, primo super aquam orent. Aqua hauriatur in piscinam vel fluat in eam. Et ita sit, si necessitas non est. Si vero continua ac festina necessitas est, utamini aqua, quam invenietis. Vestes autem deponant. Et primo baptizate infantes. Omnes, qui pro se loqui possunt, loquantur; qui vero loqui non possunt, pro eis parentes loquantur vel alius ad familiam pertinens. Deinde viros adultos baptizetis, postremo mulieres, postquam omnes crines solverunt et ornamentum aureum et argenteum, quo utuntur, deposuerunt; ne sinas quemquam rem alienam secum in aquam ferre. Hora

---

[8] Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*. Paderbornae 1905, II, 109 s.; Hauler, *Didascaliae Apostolorum fragmenta veronensia*. Lipsiae 1900, 110 s.; Cf. Achelis, *Die ältesten Quellen des orientalischen Kirchenrechtes. Erstes Buch: Die Canones Hippolyti* (Texte und Untersuchungen 6, 4) Leipzig 1891; Connolly, *The so-called Egyptian Church Order and derived documents* (Texts and Studies 8) Cambridge 1916. — Pars prior textus secundum Funk; posterior secundum Hauler.

autem ad baptizandum constituta episcopus super oleum gratias agat idque in vas fundat et oleum gratiarum actionis nominet. Deinde aliud oleum sumat atque exorcizet et oleum exorcismi nominet. Et diaconus portat oleum exorcismi et stat ad sinistram presbyteri, et alius diaconus sumit oleum gratiarum actionis et stat ad dexteram presbyteri. Cumque presbyter singulos baptizandos apprehendit, iubeat unumquemque his verbis renuntiare: Renuntio tibi, satana, et omni ministerio tuo et omnibus operibus tuis. Et postquam his omnibus renuntiavit, ungat eum oleo exorcismi haec dicens: Omnis spiritus a te recedat. Et sic eum nudum episcopo tradat vel presbytero stanti ad aquam baptismi.

Diaconus autem cum eo in aquam intret atque iubeat eum adiuvans dicere: Credo in Deum unum verum, patrem omnipotentem, et in filium eius unigenitum Iesum Christum, Dominum et salvatorem nostrum, et in spiritum eius sanctum omnia vivificantem, trinitatem consubstantialem, deitatem unam, potestatem unam, regnum unum, fidem unam, baptismum unum, in sancta ecclesia catholica apostolica, in vitam aeternam, amen. Qui (baptismum) accipit, secundum haec omnia dicat: ita credo. Et (baptismum) perficiens manum suam in capite accipientis ponat eumque ter immergat, haec semper confitens. (Sequentia secundum *Hauler*) manum habens in caput eius impositam baptizet semel. Et postea dicat: Credis in Christum Iesum, filium Dei, qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine et crucifixus sub Pontio Pilato et mortuus est et sepultus et resurrexit die tertia vivus a mortuis et ascendit in caelis et sedit ad dexteram patris venturus iudicare vivos et mortuos? Et cum ille dixerit: Credo, iterum baptizetur. Et iterum dicat: Credis in spiritu sancto et sanctam ecclesiam et carnis resurrectionem? Dicat ergo, qui baptizatur: Credo. Et sic tertia vice baptizetur. Et postea cum ascenderit, ungueatur a presbytero de illo oleo, quod sanctificatum est, dicente: Ungueo te oleo sancto in nomine Iesu Christi. Et ita singuli detergentes se iam induantur et postea in ecclesia ingrediantur ». — *Canones Hippolyti* (ca. annum 500) dependentes a *Traditione apostolica*, eundem ritum describentes, addunt post tertiam immersionem:

« Singulis autem vicibus dicit: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » (Achelis pag. 97).

Theodorus Mopsuestenus († 428): « Postquam perfecta est aqua per adventum Spiritus sancti et accepit talem virtutem, descendis in ea... Sacerdos stans et manum admovens et ponens super caput tuum dicit: Baptizatur N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti... Interea sacerdos ponens manum suam super caput tuum dicit: in nomine Patris, et haec dicens te immergi facit in aquam... Tunc tu immergeris et erigis caput tuum cum dicit: Et Filii, et eodem modo te manu sua incitat, ut immergaris... Iterum dicit sacerdos: Et Spiritus sancti, et eodem modo manu premit, ut immergaris. Post haec ascendis ex aqua » [9].

30. *Sacramentarium Gelasianum* (Wilson pag. 86): « Inde benedicto fonte baptizas unumquemque in ordine suo, sub has interrogationes: Credis in Deum Patrem omnipotentem? *Resp.* Credo. Credis et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum, natum et passum? *Resp.* Credo. Credis et in Spiritum sanctum; sanctam ecclesiam; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem? *Resp.* Credo. Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua. Postea cum ascenderit a fonte infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate his verbis: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linit chrismate salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam. *Resp.* Amen ».

Pars I: *Nominari debent explicite tres personae divinae.*

31. Non ergo validus censetur baptismus, in quo nominatur solum una persona divina. Dicitur in thesi *nunc* hoc requiri, et sic intellecta haec pars dici potest certa. Disputatur

[9] A. Rücker, *Ritus Baptismi et Missae, quem descripsit Theodorus ep Mopsuestenus in sermonibus catecheticis.* Opuscula et Textus, Series Liturgica 2. Monasterii 1933, 17 s.

autem utrum baptismus in nomine Christi aliquando fuerit validus. De hac quaestione infra dicendum est.

Doc. Ecclesiae

32. S. Damasus, *Concilium romanum* 382: « In Patre et Filio et Spiritu sancto solum baptizamur et non in archangelorum nominibus aut angelorum, quomodo haeretici aut Iudaei aut etiam pagani dementes. Haec ergo est salus christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri et Filio et Spiritui sancto, (et) baptizati in ea, veram solam unam divinitatem et potentiam, maiestatem et substantiam eiusdem esse sine dubio credamus » (*Denz* 82). — S. Innocentius I. (414) explicat cur Paulianistae ad ecclesiam venientes baptizandi sint, non autem Novatiani: « Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizant, et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est Patris et Filii et Spiritus sancti, quaestio aliquando mota est » (*Denz* 97). — Pelagius (*Denz* 229; supra nr. 25). Similiter Gregorius I (601; *Denz* 249); Gregorius II (726; *Denz* 296 a); Zacharias (746; *Denz* 297 a).

33. Nicolaus I (866): « A quodam Iudaeo, nescitis, utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid sit de his agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus (2, 38; 19, 5), baptizati sunt (unum quidem idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos, sed primum, utrum christianus an paganus ipse iudaeus exstiterit, vel si postmodum fuerit factus christianus, investigandum est; quamvis non praetereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus: Iam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de

Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina caelestis insinuat » (Msi 15, 432; *Denz* 335). — Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis* (1439): « Forma autem (baptismi) est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Non tamen negamus, quin et per illa verba: Baptizetur (ita legendum est et non baptizatur, ut est apud *Denz* [10]) talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, vel Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma; quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione perficitur sacramentum » (*Denz* 696).

S. Scriptura

34. Verba, quibus Dominus *Mt* 28, 19 apostolis dedit mandatum baptizandi, quatenus significant, credentes hoc ritu consecrandos esse ss. Trinitati, non explicite dicunt, in hoc ritu nomina singulorum personarum pronuntianda esse. Ex altera tamen parte difficile intelligitur, homines externo ritu ss. Trinitati consecrari, quin in illo ritu hoc exprimatur. Attamen concedendum est, verbis illis nude in se sumptis hanc partem thesis non cum certitudine probari. Sed statim ab initio haec verba eo sensu intellecta sunt, ut in ritu baptismali revera tres personae nominandae sint, et ex textu quoad sensum sic determinato argumentum fieri potest.

Patres

35. Didache 7, 1: « Sic baptizate: haec omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine (εἰς το ὄνομα) Patris et Filii et Spiritus sancti in aqua viva » (R 4). — Iustinus, *Apol. prima*, 61: « Quicumque persuasum habuerint et crediderint

[10] Hanssens, *Nota in Decretum pro Armenis*. Ephemerides Liturgicae 48 (1934) 330.

vera esse, quae a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint, ii precari et ieiunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et ieiunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine (ἐπ' ὀνοματος) parentis universorum ac Domini Dei ac Salvatoris nostri Iesu Christi et Spiritus sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt... Super eo qui regenerari voluerit, et peccatorum poenitentiam egerit, parentis omnium et Domini Dei nomen pronuntiatur, atque hoc ipsum tantummodo appellamus (ἐπιλεγοντες) cum eum ad baptizandum deducimus... Sed et in nomine (ἐπ' ὀνοματος) Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi et in nomine Spiritus sancti, qui per prophetas omnia ad Iesum spectantia praenuntiavit, is qui illuminatur, abluitur » (MG 6, 420 s.).

36. Tertullianus, *De Baptismo* 13: « Lex tinguendi imposita est et forma praescripta: Ite, inquit, docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti » (R 307). — *Adversus Praxeam* 26: « Novissime mandans, ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non in unum. Nam nec semel sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur » (CV 47, 279).

37. Origenes, *Comment. in epist. ad Romanos* lib. 5 nr. 8: « Requiras fortassis etiam hoc, quod cum ipse Dominus dixerit ad discipulos ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cur hic Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpserit dicens: Quicumque baptizati sumus in Christo, cum utique non habeatur legitimum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis. Sed intuere prudentiam Pauli, quoniam quidem in praesenti loco non tam baptismatis rationem, quam mortis Christi discutere cupiebat, ad cuius similitudinem etiam nos suaderet mori debere peccato, et consepeliri Christo. Et non erat utique conveniens, ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret vel Spiritum sanctum. Verbum enim caro factum est, et merito ubi caro est, ibi de morte tractatur. Nec con-

veniebat ut diceret: Quicumque baptizati sumus in nomine Patris vel in nomine Spiritus sancti, in morte ipsius baptizati sumus. Unde observanda est ex hoc loco etiam in caeteris consuetudo Apostoli, quod non semper cum aliquid ex Scripturis assumit, integrum textum verborum, ut in suo loco positus est, assumit; sed ea tantum, quae praesentis causae requirit assertio, sicut et in praesenti sermone, quia de morte Christi dicere cupiebat, suffecit ei dicere: Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus » (MG 14, 1039 s.).

38. S. Cyprianus, *Epist.* 73, 17: « Cum ergo ex ipsius Christi praedicatione et contestatione Pater ante cognoscendus sit qui misit, tunc deinde Christus qui missus est, nec possit esse spes salutis nisi duobus simul cognitis, quomodo non cognito, immo et blasphemato Deo Patre, qui apud haereticos Christi nomine baptizati dicuntur peccatorum remissam consecuti iudicantur? Alia enim fuit sub apostolis Iudaeorum ratio, alia gentilium condicio. Illi quia iam legis et Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Iesu Christi erant baptizandi, secundum quod in actibus apostolorum Petrus ad eos loquitur et dicit: poenitemini, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Iesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est promissio et filiis vestris et omnibus deinceps quoscunque advocaverit Dominus Deus noster. Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius quoque adiungeretur. (18) Denique ubi post resurrectionem a Domino apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare gentiles iubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra ecclesiam immo et contra ecclesiam, modo in nomine Iesu Christi cuiuscumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubeat in plena et adunata Trinitate? Nisi si qui Christum negat negatur a Christo, qui Patrem eius negat quem ipse Christus confessus sit non negatur, et qui in eum blasphemat quem Christus Dominum et

Deum suum dixerit, remuneratus a Christo remissionem peccatorum et baptismi sanctificationem consequitur » (CV 3, 790 ss.).

39. S. Ephraem, *Adversus scrutatores sermo* 51: « Quis negare possit trina nomina quorum illapsus olim iuxta Iordanem ministerium implevit? Verum est in nominibus in quibus baptizatum est corpus tuum corpora baptizari; et quamvis bene multa sint nomina Domini universorum, baptizari nos iussit distincte in Patre et Filio et Spiritu sancto » (R 736). — S. Hilarius, *De Trinitate* 2, 1 (ML 10, 50; R 858).

40. S. Basilius, *De Spiritu sancto*, cap. 12: « Neminem vero in fraudem inducat illud Apostoli, quod Patris et Spiritus sancti nomen in baptismatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet indifferentem esse nominum invocationem. Quicumque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis; et rursus: Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis. Nam Christi appellatio, totius est professio: declarat siquidem et Deum qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum sanctum qui est unctio: quemadmodum a Petro in Actis didicimus, Iesum Nazarenum, quem unxit Deus Spiritu sancto. Item in Isaia: Spiritus Domini super me, eo quod unxit me; et Psalmicus ille cantor: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis prae consortibus tuis. Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in baptismate. Omnes enim, inquit, in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus. His et illud consonat: Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto; et: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.

At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem semper manere traditionem, quae in vivifica gratia data est. Nam vitam nostram de corruptione qui liberavit, potestatem nobis renovationis dedit; quae potestas causam habet ineffabilem, et in mysterio reconditam, sed magnam animabus salutem conferentem, ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab ac-

terna vita excidere. Proinde si in baptismo separare Spiritum a Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile; quomodo nobis tutum fuerit a Patre et Filio distrahere Spiritum? Fides autem et baptisma duo sunt modi parandae salutis, inter se cognati et inseparabiles. Nam fides perficitur per baptismum, baptismus vero fundatur per fidem et utraque res per eadem nomina impletur. Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ac praecedit quidem professio ad salutem perducens; sequitur autem baptisma consignans assensum nostrum » (MG 32, 115 s.).

Gregorius Nazianzenus, *Oratio* 33, 17: « In cuius nomine (εἰς τι) baptizatus es? Patris? Recte, verum id adhuc iudaicum. Filii? Praeclare; hoc iam minime iudaicum, sed nondum perfectum. Spiritus sancti? Optime; hoc est perfectum » (MG 36, 236; R 1000).

41. S. Ambrosius, *De Spiritu sancto* lib. 1 c. 3: « Ergo isti (*Act* 19, 2) quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere baptismatis sacramentum. Baptizati itaque sunt in nomine Iesu Christi: nec iteratum est in his baptisma, sed novatum, unum enim baptisma (*Eph* 4, 5). Ubi autem non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium, vel species aliqua baptismatis aestimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium Spiritumque sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum, si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum: ita etiam quamvis et Patrem, et Filium, et Spiritum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Denique et illi ipsi qui dixerant: Nec si Spiritus sanctus sit audivimus, baptizati sunt postea in nomine Domini Iesu Christi (*Act* 19, 5). Et hoc abundavit ad gratiam; quia iam Spiritum sanctum, Paulo praedicante, cognoverant. Nec contrarium debet videri, quia quamvis etiam postea tacitum sit de Spiritu, tamen creditum est: et

quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cum enim dicitur: In nomine Domini nostri Iesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est: nec a Christi baptismate Spiritus separatur; quia Ioannes in poenitentia baptizavit, Christus in Spiritu. Nunc consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum; ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem significavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium et Spiritum sanctum quo unctus est, designasti. Scriptum est enim: Hunc Iesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto (*Act* 10, 38). Et si Patrem dicas, et Filium eius et Spiritum oris eius pariter indicasti; si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, et Deum Patrem, a quo procedit Spiritus: et Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti. Unde ut rationi copuletur auctoritas: in Spiritu quoque recte nos baptizari posse scriptura indicat, dicente Domino: Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto (*Act* 1, 5). Et alibi Apostolus ait: Omnes enim in ipso corpore, in unum Spiritum baptizati sumus (1 *Cor* 12, 13). Unum opus, quia unum mysterium: unum baptisma, quia mors una pro mundo: unitas ergo operationis, unitas praedicationis quae non potest separari » (ML 16, 713 ss.). Cf. *De Mysteriis* 4, 20 (ML 16, 394; R 1330).

42. S. Hieronymus, *In epist. ad Ephes. com.* lib. 2, cap. 4: « Baptisma unum, eodem enim modo, et in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum baptizamur. Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus » (ML 26, 496; R 1368).

S. Augustinus, *De baptismo* lib. 6, nr. 47: « Ceterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent » (ML 43, 214; R 1638).

Utrum baptismus in nomine Christi aliquando fuerit validus [11].

43. Ex dictis apparet, Summos Pontifices Innocentium, Pelagium, Gregorium, Zachariam postulare invocationem trium personarum; oppositum autem videtur dicere Nicolaus I. Nullum habetur documentum liturgicum, in quo inveniatur forma baptismi in nomine Christi, sed ubicumque forma indicatur, ea est explicite trinitaria. Similiter locuti sunt Patres, ex quibus Ambrosius videtur docere contrarium. Scholastici explicite inquirere solebant in valorem baptismi nomine Christi collati (notandum, eos generatim non loqui de baptismo collato in nomine Iesu), *Magister* lib. sent. 4 dist. 3; *s. Thomas* 3 qu. 66 art. 6. Longe praevalens eorum sententia erat, saltem tempore apostolorum talem baptismum fuisse validum; plures idem admittebant etiam pro temporibus postapostolicis. Sententiam suam ita exhibet s. THOMAS: « Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo, si praetermittatur aliquid eorum quae Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat, quod in nomine unius personae intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius; aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest rectam habere fidem de tribus. Quia, sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus vel fi-

---

[11] HARDUINUS, *De baptismo quaestio triplex: De baptismo pro mortuis. De baptismo in vino. De baptismo in nomine Christi.* Parisiis 1687; ORSI, *De baptismo in nomine Iesu Christi.* Mediolani 1733; *Vindiciae dissertationis De baptismo in nomine Iesu Christi.* Florent. 1735; DROUVEN, *De baptismo in solius Christi nomine numquam consecrato.* Patavii 1734; GILLMANN, *Taufe « im Namen Iesu » oder « im Namen Christi? »* Mainz 1913. C. DE CLERQ, *A propos de la formule de Baptême « in nomine Iesu ».* Collectanea Mechliniensia 5 (1931) 313-318; cf. Recherches de Théol. anc. et méd. 4 (1932) 516* s. (de concilio « Ad ripas Danubii » 796). M. DE IONGHE, *Le baptême au nom de Iésus d'après les actes des Apôtres.* Ephem. Theol. Lov. 10 (1933) 647-658.

des Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde et in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus sanctus in columba ». Et ad primum respondet: « Ex speciali Christi revelatione apostoli in primitiva ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudaeis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad eius invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo ». In concilio tridentino ad ostendendum, quantae mutationes in ritu sacramenti sint possibiles, plures theologi praecise provocabant ad hoc, quod baptismus in nomine Christi aliquando fuerit validus. *Catechismus Romanus* ait: « Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, quum apostoli in nomine tantum Domini Iesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus sancti afflatu eos fecisse exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis ecclesiae Iesu Christi nominis praedicatio illustrior fieret, divinaque et immensa eius potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitus introspicientes, facile intelligemus, nullam earum partium in ea forma desiderari, quae ab ipso Salvatore praescriptae sunt. Qui enim Iesum Christum dicit, simul etiam Patris personam, a quo unctus est, et Spiritum sanctum, quo unctus est significat. Quamquam dubium fortasse alicui videri potest, an huiusmodi forma apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii et Basilii, sanctissimorum et gravissimorum Patrum, auctoritatem sequi volumus, qui ita baptismum in nomine Iesu Christi interpretati sunt, ut dixerint iis verbis significari baptismum, non qui a Ioanne, sed qui a Christo Domino traditus esset: tametsi a communi et usitata forma, quae distincta trium personarum nomina continet, apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulum etiam in epistola ad Galatas usus videtur, quum inquit: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis, ut significaret, in fide Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator et Dominus noster servandam praeceperat, baptizatos esse » (P. 2 c. 2 nr. 14 s.).

44. Ex s. Scriptura cum certitudine probari nequit, apostolos baptismum administrasse invocando solum nomen Christi vel Iesu Christi, vel Domini Iesu. *Act* 2, 38 dicitur ἐπι τῳ ὀνοματι, et *Act* 10, 48 ἐν τῳ ὀνοματι, i. e. auctoritate Christi. Sed *Act* 8, 16 et 19, 5 dicitur εἰς το ὀνομα Domini Iesu, sicut *Mt* 28, 19 εἰς το ὀνομα Patris et Filii et Spiritus sancti. Si ergo verba apud *Mt* eo sensu intelliguntur, ut tres personae divinae explicite et distincte invocandae sint, consequenter verba *Act* 8 et 19 eodem modo videntur intelligenda, scl. ut dicant, invocandum esse nomen Domini Iesu. Et iure hoc fortasse diceretur, si ex solis verbis *Mt* 28, 19 haberetur, formulam trinitariam esse adhibendam; sed, ut supra diximus, illa verba per se indicant baptismo homines consecrari ss. Trinitati, et idem dicendum est de verbis *Act* 8 et 19, scl. quod baptismo homines consecrantur Domino Iesu. Quod autem verba *Mt* 28, 19 intelligenda sint de formula trinitaria adhibenda, cognoscimus ex consensu Patrum, qui sic illa verba intellexerunt; talis autem consensus pro *Act* 8 et 19 nullo modo habetur. Ergo specialis illa dispensatio pro temporibus apostolorum, quam supponebant scholastici, non potest dici certo probari ex s. Scriptura. Immo aliqui theologi putant in ipsis verbis s. Scripturae innui baptismum « in nomine Domini Iesu » collatum esse invocando tres personas divinas. Nam s. Paulus, miratus eos quos putavit esse baptizatos, ignorare Spiritum sanctum, interrogat: εἰς τι οὖν baptizati estis (*Act* 19, 3)? Videtur ergo supponere, in ritu baptismali semper pronuntiari nomen Spiritus sancti. Verba sic possunt intelligi; sed possunt etiam sic intelligi, quod ii qui baptizantur, supponuntur instructi esse de Spiritu sancto. Quod autem baptismus collatus sub invocatione trium personarum ab initio iam vocatus sit baptismus in nomine Domini ostendit *Didache*, quae postquam nr. 4 explicite dixit baptizandum esse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, nr. 6 dicit: « Nemo autem edat neque bibat a vestra eucharistia, nisi qui baptizati sunt in nomine Domini, εἰς ὀνομα Κυριου» (R 6).

45. De mente *s. Ambrosii*, qui videtur validum habere baptismum, in quo baptizans pronuntiat solum nomen Christi, vel

solum nomen Patris vel Spiritus sancti, diversae habentur explicationes. Plures eius verba intelligunt non de ministro, sed de fide suscipientis baptismum. Secundum *Faller* [12] melius videtur, ea intelligere de ministro baptismi. Doctrina Ambrosii esset haec. Baptismus administrandus est in nomine trium personarum divinarum. *De mysteriis* 4, 20: « Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire » (ML 16, 394; R 1330). Qui autem recta fide dicit unam personam, intelligit unitatem nominis, unitatem potestatis, internam unionem trium personarum. Ergo etiamsi unam solum personam nominat, vi huius unitatis intelliguntur tres personae; in nomine Patris, vel in nomine Christi, vel in nomine Spiritus sancti significat in nomine trium personarum. Et sic baptismus in nomine Patris, vel Christi vel Spiritus sancti validus est solum, si baptizans pronuntians nomen unius personae, reliquas simul fide comprehendit. Etiam MAGISTER SENTENTIARUM s. Ambrosium sic intellexit, quod secundum eum baptismus in nomine unius personae collatus esset validus: « Ex his aperte intellexisti, in nomine Christi verum baptismum tradi. Unde nihilominus insinuari videtur, verum baptismum dari posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti, si tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat, quae Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur » (Sent. lib. 4 dist. 3; cf. *Hugo a s. Victore*, De sacramentis l. 2 p. 6 c. 2; ML 176, 446 s.). S. THOMAS ad verba s. Ambrosii respondet: « Ambrosius assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri

---

[12] FALLER, *Die Taufe im Namen Iesu bei Ambrosius*. 75 Jahre Stella matutina, Feldkirch 1931, I, 139-50. MARCHETTA (op. supra nota 6 citato, pag. 141 ss.) explicat doctrinam s. Ambrosii de fide baptizandi: etsi ille unam tantum personarum explicite confiteretur, intrinsecus tamen veram fidem Trinitatis haberet, baptismus esset validus. In hac explicatione supponitur, s. Ambrosium in baptismo non adhibuisse formam: ego te baptizo etc., sed post singularum personarum confessionem baptizandum a baptizante mersum esse (vide infra nr. 56 ss.). Si hoc admittitur, haec explicatio praeferenda est, simul autem supponi debet, secundum s. Ambrosium validum fuisse baptismum cum una tantum interrogatione, responsione, mersione.

potuit in primitiva ecclesia: quia scl. in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur, ad minus integritate intelligibili, forma quam Christus tradidit in Evangelio » (3, qu. 66, a. 6 ad 2).

S. Bernardus validum videtur habuisse baptismum collatum verbis: Baptizo te in nomine Dei et sanctae et verae crucis. Ad quaestionem enim, utrum puer ob periculum mortis a laico his verbis baptizatus, sit baptizatus, an si vivit baptizandus, respondet: « Ego vero hunc baptizatum puto: nec sonum vocis, veritati fidei et pietati intentionis praeiudicare potuisse. Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis, in eo ipso quod addit: sanctae et verae crucis, manifeste commendavit Dominicam passionem... Neque enim, cum iuxta communem Ecclesiae constitutionem baptizantes dicimus: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, aliud intelligendum est, quam in confessione Trinitatis. Porro autem confessio sanctae crucis, non nisi Crucifixi confessio est. Legimus sane in Actibus apostolorum, non modo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, verum etiam in nomine Domini Iesu Christi aliquos baptizatos (*Act* 10, 48) ». Epist. 403; ML 182, 614 s.

46. Maiorem difficultatem parat iis, qui tenent post tempora apostolorum baptismum in nomine Christi non esse validum, auctoritas *Nicolai I.* S. Thoma ad eam respondet: « Nicolaus Papa dictum suum confirmat ex duobus praemissis (scl. Act et s. Ambr.). Et ideo eius responsio patet ex primis duabus solutionibus » (ad 3). Ad haec Hadrianus (postea Hadrianus VI): « Per quod intendit, quod responsio Nicolai Papae locum habet, cum ex speciali Dei concessione hoc fit. Quae responsio non videtur satisfacere, quia Bulgari consulebant Apostolicum, an ii essent rebaptizandi, qui baptizati erant a quodam Iudaeo, de quo nesciebant, an paganus esset an christianus. Quibus si constitisset de speciali Dei revelatione, nequaquam Apostolicum consuluissent. Et eis respondens dicit: Si in nomine Trinitatis vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, non sunt rebaptizandi ». Propria Hadriani sententia est: « Concedo igitur cum Hugone de S. Victore, passu praealegato quod baptisma in no-

mine Christi collatum tenet, etiam sine speciali Dei concessione, quia ibi implicatur tota Trinitas, licet sensibiliter non exprimatur, et hoc sufficit » (*Quaestiones de Sacramentis in quartum librum sententiarum*. Romae 1522 fol. XI).

47. Theologi qui censent, baptismum in nomine Christi non fuisse validum, vario modo verba Nicolai explicant. Wirceburgenses (*De sacramento baptismi* nr. 47) dicunt commune plurimorum responsum esse « Nicolaum haec non definiendo ex cathedra, et qua doctorem publicum, sed qua privatum asseruisse, exque privata sententia, eo quod de forma baptismi interrogatus non esset, sed tantum de ministro, utrum valeret baptismus collatus a Iudaeo, vel pagano? Proinde quod de forma in responso scripsit, ex privata addidit sententia; quo casu Romanus Pontifex non est infallibilis ». Hi ergo intelligunt verba de forma baptismi. Suarez (*De sacramentis* Tom. 1 disp. 21 sect 3) in suppositione huius explicationis movet difficultatem, quomodo ita loqui potuerit Nicolaus etiam ut doctor privatus, postquam contraria sententia iam definita erat a Pelagio et Zacharia. Respondet ne de iis quidem satis constare, « eos Pontificia auctoritate definivisse, hanc invocationem debere esse explicitam et non satis esse implicite contentam in nomine Christi ». Et sic concludit, hanc explicationem in rigore posse sustineri; sed aliam explicationem omnino non esse reiiciendam, quia pietati sit consentanea. Haec explicatio dicit, baptismum in nomine Christi significare baptismum, in quo loco « Filii » dicatur « Christi » ita ut forma esset: Ego te baptizo in nomine Patris et Christi et Spiritus sancti. Ipse tamen fatetur hanc expositionem quamvis sit pia et probabilis, nonnihil tamen videri coactam. « Unde valde dubito, an haec fuerit mens Nicolai ».

Wirceburgenses postquam proposuerunt responsionem theologorum plurimorum communem, propriam dant explicationem, secundum quam verba Nicolai intelligenda sunt de fide suscipientium baptismum. Pesch (nr. 389) verba refert ad intentionem ministri, scl. utrum vere voluerit baptizare, « i. e. non suo nomine, sed nomine ss. Trinitatis vel saltem nomine Christi illam actionem ponere ». Praeferenda videtur sententia quae

dicit verba Nicolai intelligenda esse de forma baptismi « in nomine Christi ».

Pars II: *Verba baptizantis exprimere nunc debent ipsam actionem baptismalem* [13].

48. Hugo a S. Victore (*De sacramentis* lib. 2 p. 6, cap. 13) ad ostendendum intentionem baptizandi requiri in ministro huius sacramenti, ita arguit: « Ego filium meum forte ad balnea tuleram. Veni ad aquam, non ut baptizarem, sed ut balnearem; non ut sacramentum darem, sed ut sordes abluerem et carnem foverem. Posui parvulum meum in aquam, sed quia volui ut bene cresceret et prodesset, dixi forte, sicut dixissem in manducando et bibendo, sicut in arando et seminando sive aliud quodcumque agendo dixissem, dixi: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Tu venis et dicis mihi, quod baptizatus est filius meus. Ego balneatum scio, baptizatum nescio. Quod si idcirco baptizatum putas, quia cum mergerem dixi: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; ergo et offa baptizata est, quia cum mergerem illam dixi: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » (ML 176, 457). Hic argumentandi modus videtur indicare, Hugonem non cogitasse verba « Ego te baptizo » in forma baptismi esse necessaria ad valorem sacramenti.

Petrus Lombardus (*Sent.* lib. 4 dist. 3) de hac re non loquitur. — Petrus Cantor († 1197) « Utrum prolatio huius verbi *baptizo* sit de substantia sacramenti, an sufficiat dicere: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, non est apud doctores definitum. Iuxta institutionem tamen evangelii, cum dicitur: baptizantes eos in nomine Patris etc, ostenditur quid facere debeant in invocatione istorum nominum. Unde videtur non aliud exigi ad formam » (apud Morinum, *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae.* Bruxellis 1685 pag. 565).

---

[13] De hac qaestione vide etiam Landgraf, *Die Ansicht der Frühscholastik von der Zugehörigkeit des Baptizo zur Taufform.* Scholastik 17 (1942) 412-427; 531-555.

49. Pontius episcopus Claremontensis (electus anno 1170) dubium de valore baptismi proposuit Mauritio episcopo Parisiensi (successori Petri Lombardi in episcopatu) et Stephano abbati, postea episcopo Tornacensi. Casus erat: « Cum igitur puer natus esset, nec posset sacerdos ad baptizandum eum congrue reperiri, pater eius immersit eum aqua, dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et haec est pessima consuetudo in terra nostra, ut in talis necessitatis articulo dicant: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, nec totam exprimant verborum formam, quae debet exprimi in baptismo, quod undeiare vocant. Quaerimus ergo utrum istud baptismus sit, vel utrum puer postea debeat baptizari? » (ML 211, 312 s.) Mauritius episcopus respondit: « In quem modum forma baptismi tradi vel recipi debeat, Scripturarum divinarum auctoritate et sanctorum Patrum testimonio traditum habemus in hunc modum, scilicet: Ego te baptizo, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et tanta est horum verborum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat. Nisi vero tota haec verba simul a quocunque et quacunque lingua proferantur, baptismum esse non credimus. Quia ergo, sicut litterarum vestrarum testimonio cognovimus, praesentium lator in submersione filii sui ego te baptizo siluit, et tantum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti protulit, baptismus non fuit, et ideo puer ille baptizandus est, quia baptismum nequaquam suscepit ». (ML 211, 313 s.). Stephanus Tornacensis fatetur inter alia se in respondendo premi per novitatem quaestionis. Ipse est non eiusdem sententiae cum episcopo Parisiensi. « Qui sacramentum instituit baptismi, formam tradidit baptizandi: Ite, inquit, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui baptizandi sibi potestatem retinuit, in hac forma ministerium aliis concessit. Nemo dixerit, quia quod dicitur: Ite, docete omnes gentes, vel sacramenti obtineat substantiam, vel exprimat formam. Teneamus quod sequitur: Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Nondum ibi legi Baptizantes eos, et dicentes: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Si baptizare intingere, et baptismus intinctio est, quid aliud sunt baptizantes nisi intingentes? In-

tingens ergo cum intentione baptizandi, si proferat quod Veritas iubet, id est: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, baptizasse videtur, et formam a Christo traditam complevisse. Etiam haereticos, si haec tremenda nomina protulerint, catholicam formam tenuisse dicemus ». Hoc deinde ostendit ex verbis Innocentii, pluribus textibus s. Augustini, et ex epistula quam Zacharias papa scripsit Bonifatio, et addit se plura adhuc posse colligere. « Opiniones profundo, non assertiones, paratus ut dixi, summi et catholici viri Domini Parisiensis (cuius sententia, ut supra dictum est, erat contraria) sequi vestigia, non tamen addictus in alicuius iurare verba. Clausulam tamen, quae a baptizantibus solet et debet dici, scilicet: ego te baptizo, summa reverentia deosculor, summo studio amplector. Eam mater Ecclesia sic induxit, ut esset de solemnitate ministerii, non de substantia sacramenti. Nam si aliud dixerimus, absque medio confitebimur damnatos, quos in necessitatis articulo a laicis novimus baptizatos. Hoc enim solum dicere solent, qui litteras ignorantes parvulos undaizant, En nome Patres, et Files, et Esperites santes, in quibus verbis eandem virtutem inesse quam in Latinis syllabis idem significantibus et credimus et fatemur ». Sacerdotes autem vehementer arguendi sunt, qui aliquid de verborum solemnium dignitate per negligentiam vel per imperitiam omittunt (ML 211, 314 ss.).

50. Alexander III: « Si quis (sane) puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen; et non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen, non est puer baptizatus » (*Denz* 398).

51. Praepositinus († 1210): « Sequitur de forma, de qua solet quaeri, utrum haec verba, scl. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti sufficiant, an hoc verbum baptizo sit de substantia sacramenti. Magistri nostri omnes dixerunt, quod sufficit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Sed Alexander in quadam sua decretali dicit, quod non est baptisma, nisi dicatur: Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » (apud *Gillmann*, Taufe im Namen Jesu oder in Namen Christi. Mainz, 1913, 19).

52. Guilelmus Altissiodorensis († inter 1231-1237): « Primo quaeritur, utrum verbum baptizandi sit de essentia verborum, quae exiguntur ad baptismum. Probatur quod non. Quia, si ego velim signare me, non exigitur quod ego dicam: ego signo me, sed sufficit, quod ego habeam intentionem signandi me et proferam ista verba: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Eodem modo si benedicam panem, non exigitur quod ego dicam hoc: ego benedico panem. Similiter si praedicem evangelium, non est necesse, quod ego dicam hoc: ego praedico evangelium. Ergo si ego baptizo te, non requiritur quod dicam: baptizo te, sed sufficit, quod habeam baptizandi intentionem et proferam ista verba: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Si dicatur, quod quia Deus apposuit dictionem significantem actum baptizandi in forma verborum, propter hoc verbum baptizandi est de essentia formae verborum, nulla videtur esse solutio, quia cum Dominus misit discipulos ad praedicandum, dixit (Marc 16, 15): Ite, praedicate evangelium omni creaturae, tamen ad hoc quod aliquis praedicet, non oportet ut dicat se praedicare. Ergo ad hoc quod aliquis baptizet, non oportet ut dicat se baptizare. Contra. Usus ecclesiae hoc habet, quod verbum baptizandi sit de forma verborum. Et Alexander dicit in quadam decretali, quod nisi baptizans dicat ita: ego baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, non est baptizatum. Ergo verbum baptizandi est de essentia formae verborum, quod concedimus. Ad primum dicimus, quod non est simile. Verba enim ista: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ad multa se habent, scl. ad signandum, ad benedicendum, ad baptizandum. Baptismus enim sacramentum necessitatis est, et propter hoc necesse est, baptizantem determinatam intentionem habere expressam, ne evagetur animus ad alia, cum illa verba ad alia se habeant. Et propter hoc necesse est, ut baptizans intentionem baptizandi quam habet, per verba exprimat: Baptizo te etc. Et ad secundum obiectum dicimus, quod Dominus cum mittebat discipulos ad praedicandum, non utebatur verbo determinato, sed aliquando dicebat (Marc 16, 15): Ite, praedicate; aliquando ita (Matth 28, 19): Ite, docete. Sed cum tradidit formam baptismi, determinata dictione usus est dicens: Baptizan-

tes eos in nomine Patris et Filii etc. Et propter hoc non est simile de praedicatione et baptismo » (*Summa aurea*. Paris 1500 fol. 252 v).

53. S. Albertus Magnus: « Ad id quod quaeritur de verbo baptizo, sine praeiudicio aliorum dico, quod est de forma necessitatis baptismi, et sine quo baptismus non est, nisi occurrat casus, propter quem aliter ad tempus sit faciendum, sicut apostoli fecerunt ». Pro hac sententia attulit argumentum: « Hoc sacramentum est sacramentum necessitatis ad quod exigitur intentio actus quod facit ecclesia; ergo ad hoc ut excludatur omnis error, exigitur expressio actus per verbum primae personae et praesentis temporis indicativi modi » (*In* 4 *sent.* dist. 3 art. 2 quest. 2).

Alexander Halensis: « Expressio actus baptizandi est de forma, sicut statutum est in concilio; illud quod statutum fuit in concilio, factum fuit ad coarctationem intentionis baptizandi (et propter alia quae infra patebunt) et modo est de his, quae exiguntur ad esse baptismi » (*Summa*, p. 4 m. 3 art. 3. Ed. Venetiis 1575 fol. 73 v).

S. Bonaventura: « Sicut dicit auctoritas Alexandri (III), verbum baptizandi est de necessitate formae. Ratio autem quare est de necessitate, est institutio. Ratio autem institutionis est, quia intentio necessaria est sacramento, et hoc est sacramentum necessitatis et est ad alterum. Ideo propter periculum defectus intentionis proprio verbo expressa est ibi in forma » (*In* 4 *sent.* dist. 3 p. 1. art. 2 qu. 1).

54. S. Thomas: « Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur *Col* 3, 17. Et ideo, si non exprimatur actus baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Graecorum, non perficitur sacramentum, secundum illam decretalem Alexandri III (cap. Si quis, de Baptismo et eius effect.): Si quis puerum etc » (3 qu. 66 art. 5 ad 2). *In comm.*

in 4 sent. dist. 3 qu. 1 art. 2 quaestiuncula 2: « Quia sacramenta efficaciam habent ex institutione divina, et principalius est in sacramentis forma quam etiam materia; ideo sicut nulli licet mutare sacramentum, vel aliquod novum instituere, ita nulli licet mutare formam sacramenti quantum ad id quod est de essentia formae absque speciali consilio Spiritus sancti, qui virtutem suam illis verbis non alligavit; et si mutatur, nihil agitur, et praeter hoc culpa incurritur. Si autem aliquid pertinet ad formam ex determinatione ecclesiae, si illud mutatur, nihilominus est sacramentum, sed culpa incurritur. In forma autem baptismi essentialius est quod exprimit causam agentem, a qua est tota efficacia, quam quod exprimit actum exercitum; et ideo quantum ad omnes invocatio Trinitatis est de essentia formae, nec aliqui quantum ad hoc formam mutare possunt. Quidam vero dicebant, quod actus exercitus non est de essentia formae, et quod in illa invocatione Trinitatis essentia formae consistit; quos refellit auctoritas Alexandri Papae, qui dicit quod non est baptismus, illud lavacrum quo aliquis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti nihil addendo baptizatur ». Et idem dicit quaestiuncula 3 iterum provocando ad Alexandrum III, et addit: « Oportet enim quod per formam virtus Trinitatis invocatae ad materiam propositam determinetur, quod fit in expressione actus ».

55. Decretum pro Armenis: « Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum » (*Denz* 696).

In hac doctrina scholastici omnino conveniunt, et Suarez (disp. 21 sect. 2 nr. 1) dicit: « De necessitate huius formae est ut in ea exprimatur actus baptizandi. Conclusio est de fide, quam insinuat concilium Florentium... Sentit ergo utrumque esse necessarium. Clarius Alexander III... ».

Morinus anno 1651 refert sententiam eorum theologorum, qui putabant verba Ego te baptizo non esse necessaria ad valorem, et videtur aliquatenus in eorum sententiam inclinare (*Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae.* Bruxellis 1685. Lib. 8 cap. 16).

Post paucos annos, 21 apr. 1677, FARVACQUES defendit, non posse dici haereticam opinionem, tempore s. Augustini valide administrari potuisse baptismum cum forma: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ommittendo verba: Ego te baptizo. ALEXANDER VIII damnavit propositionem: « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc. praetermissis illis: Ego te baptizo » (Decr. S. Off., 7 dec. 1690; *Denz* 1317).

56. Quaestio, num semper ad valorem baptismi necessaria fuerint verba ministri, quibus actio baptizandi enuntiatur, recenter de novo mota est a DE PUNIET O. S. B. in Dict. d'Archéologie chrétienne et de Liturgie, II, 340-344. In antiquissimis documentis liturgicis (Traditio Apostolica Hippolyti, Sacrament. Gelasianum, Testam. D. N. I. Christi) in quibus integer ritus baptizandi describitur, nihil de forma: Ego te baptizo in nomine Patris etc., vel de alia forma a ministro in actu baptizandi pronuntianda invenitur; sed ad singulas distinctas interrogationes (Credis in Deum Patrem... Credis in Iesum Christum Filium eius... Credis in Spiritum sanctum...) baptizandus respondet: Credo; est post singula responsa a baptizante mergitur; nulla autem mentio fit verborum, quae minister in actu mergendi pronuntiare debeat (vide supra 29 s.). Postea autem in Can. Hippolyti (ca. 500) additum est, ut ad singulas mersiones baptizans dicat: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [14]. Ad obviandum incommodo, quod ita integra forma ter dicenda erat, videtur (saeculo 8) praescriptum esse, ut non post singulas interrogationes et responsa, sed solum post tertiam minister baptizandum mergat, et quidem ter mergat, semel dicendo formam. Sic in Sacramentario Gregoriano (ordo IV. Assemani II, 9): « Deinde (i. e. post interrogationes et responsa) baptizet sacerdos sub trina mersione tantum sanc-

[14] Explicita testimonia pro usu « formae » apud THEODORUM MOPSUESTENUM († 428; supra nr. 29); et AMMONIUM ALEXANDRINUM (saec. 5): « Joannes baptizans dicebat: Ego te baptizo in eum qui post me venturus est...; fidelis autem, cum baptizat, dicit: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ». *Fragmenta in Acta Apostolorum*; MG 85, 1574.

tam Trinitatem semel invocans, ita dicendo: Et ego te baptizo in nomine Patris; et mergat semel; Et Filii, et mergat iterum; Et Spiritus sancti, et mergat tertio ». Tali modo sublata erat intima unio inter interrogationes, responsa, mersiones. Ita in Rituali Romano (Ordo baptismi parvulorum) antecedunt interrogationes de fide; sequitur interrogatio: Vis baptizari? Resp. Volo. « Tunc de aqua ter fundit super caput infantis... et simul verba proferens semel tantum... dicit: N. Ego te baptizo in nomine Patris, fundat primo, et Filii, fundat secundo, et Spiritus sancti, fundat tertio ».

57. Potestne iure supponi, in antiquissimis illis documentis liturgicis, quae videntur integrum ritum baptismalem describere velle, ipsam formam baptismi omissam esse, si ea revera erat in usu? Hoc absolute possibile esse negari vix potest, sive quia haec formula supponebatur omnibus nota et familiaris, sive propter disciplinam arcani. Sed valde probabile id non apparet, si simul consideratur, quomodo auctores primis saeculis de baptismo locuti sint. Sic s. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cat. myst.* 2., in qua exponit, « quarum rerum symbola fuerint illa, quae a vobis in interiori aede peracta sunt » nr. 4 dicit: « Postea ad sanctam divini baptismatis piscinam deducti estis, uti Christus a cruce ad positum coram sepulchrum. Et interrogatus est unusquisque, utrum crederet in nomen (εἰς ὄνομα) Patris et Filii et Spiritus sancti. Confessique estis salutarem confessionem, ac demersi estis tertio in aquam, rursumque emersistis » (MG 33, 1079); nihil de forma baptismi a ministro pronuntiata. S. Ambrosius, *De Sacramentis* lib. 2 cap. 7: « Interrogatus es: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus est: Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, et in crucem eius? Dixisti: Credo, et mersisti; ideo et Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis et in Spiritus sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina confessio » (ML 16, 429) [15]. Simili modo Maximus Taurinensis

[15] B. Marchetta, *La materia e la forma del battesimo nella Chiesa di s. Ambrogio.* Roma 1945, 77 ss.,

(† post 465) describit quae in ipso baptismate peracta sunt: « In hoc ergo fonte, antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Respondistis: Credo. Rursus interrogavimus: Credis et in Iesum Christum Filium eius, qui conceptus est de Spiritu sancto, et natus est ex Maria Virgine? Respondistis singuli: Credo. Iterum interrogavimus: Credis et in Spiritum sanctum? Respondistis similiter: Credo. Haec autem fecimus iuxta Domini nostri Iesu Christi Salvatoris imperium, qui cum ad Patrem in caelos ascenderet, discipulis, i. e. apostolis demandavit dicens: Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Tractatus II de Baptismo*. ML 57, 775).

58. Symbolum, interrogationes, responsiones videntur considerata esse res summi momenti et maxime necessaria. TERTULLIANUS: « Anima enim non lavatione, sed responsione sancitur » (*De carnis resurrectione* 48. CV 47, 100). « Ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompae et angelis eius; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam praegustamus... » (*De Corona* 3; R 367). — ORIGENES: « Sed et Eucharistiae, sive percipiendae sive eo ritu quo geritur explicandae, vel eorum quae geruntur in baptismo verborum, gestorumque et ordinum atque interrogationum ac responsionum, quis facile explicet rationem? » (*In Numeros hom.* 5, 1. MG 12, 603). — S. CYPRIANUS: « Quod si aliquis illud opponit ut dicat eandem Novatianum legem tenere quam catholica ecclesia teneat, eodem symbolo quo et nos baptizare, eundem nosse Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur interrogatione baptismi a nobis non discrepare: sciat quisque hoc opponendum putat, primum non esse unam nobis et schismaticis symboli legem, neque eandem interrogationem » (*Epist.* 69, 7. CV 3, 756; cf. Ep. 70, 2; 73, 5). — FIRMILIANUS: « Illa mulier,

quae prius per praestigias et fallacias daemonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cetera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut... baptizaret quoque multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de huius baptismo dicemus, quo nequissimus daemon per mulierem baptizavit? Numquid et hoc Stephanus et qui illi consentiunt, comprobant, maxime cui nec symbolum Trinitatis nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit? potest credi aut remissio peccatorum data aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis tamen per daemonem gesta sunt? Nisi si et daemonem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti gratiam baptismi dedisse contendunt, qui haereticorum baptismata adserunt, apud quos sine dubio idem error est, daemonum fallacia ipsa est, quando apud illos omnino sanctus Spiritus non est » (Ep. Cypr. 75, 10 s. CV 3, 817 s.). — S. Augustinus, *De Baptismo* lib. 1 nr. 21 loquitur de baptismo in mortis periculo, in quo quis « poscit Baptismum, quem tanta festinatione accipit, ut necessariam interrogationem paucorum verborum vix periculi tempus admittat » (ML 43, 121). Lib. 4 nr. 31 loquitur de infantibus qui ipsi respondere non possunt: « Ideo, cum alii pro eis respondeant, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet » (ML 43, 175). De forma baptismi non loquuntur.

59. In disputatione de haereticis rebaptizandis decisio non raro quaerebatur ex « symbolo ». Sic in Concilio Arelatensi (314) can. 8: « De Afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur » (*Denz* 53; plura vide *De Sacramentis in genere* nr. 175 ss.).

60. Eusebius refert epistulam Dionysii, qua narrat de aliquo fratre, qui iam pridem pro fideli habitus et coetus fidelium particeps, sed apud haereticos baptizatus « cum interfuisset baptismo eorum qui nuper baptizabantur, et interrogationes responsaque illorum audisset, ad me accessit flens et vicem suam ingemiscens », quia putabat baptismum suum non fuisse validum (Eusebius, *Hist. Eccl.* lib. 7 cap. 9. MG 20, 654). Rufinus narrat Athanasium puerum cum aliis pueris ludendo quosdam catechumenos baptizasse. Alexander episcopus, qui haec viderat, pueros ad se vocavit: « Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul et ab eo, qui interrogaverat, ubi videt secundum religionis nostrae ritum cuncta constare, conlocutus cum concilio clericorum statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus et responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, quae a sacerdotibus mos est » (Rufinus, *Hist. Eccl.* 10, 14; ML 21, 487). Investigatio ergo non fit de aliqua forma in baptismo adhibenda, sed solum de interrogationibus et responsionibus, et inde cognoscitur, secundum ritum nostrae religionis cuncta constare. Licet factum ipsum, quod Rufinus narrat, historice satis dubium sit, ipsa tamen narratio ostendit, quid habebatur necessarium in collatione baptismi.

61. Haec omnia facile intelliguntur, si supponitur, auctores illos non novisse formam: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, tamquam partem essentialem baptismi, et facile concordant cum iis, quae in primis documentis liturgicis inveniuntur [16]. Difficultas tamen videtur oriri ex propositione ab Alexandro VIII damnata (supra nr. 55). *De Puniet* tamen putat, hypothesim a se propositam diversam esse a sententia illa damnata. Et revera differentia videtur assignari posse. In propositione damnata agitur de adhibenda forma baptismi, in qua tamen priora verba omittuntur. Sic haberetur ablutio cum solis verbis: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

[16] Pro sententia opposita vide J. Brinktrine, *De antiquo ritu baptismatis*. Ephemerides Liturgicae 36 (1922) 328-337.

Haec autem forma est indifferens, non habet sensum determinatum, et propterea non est apta, quae possit lotionem, quae etiam per se est indifferens ad plura, determinare ad hoc, ut sit ablutio baptismalis. Et sic in ritu nihil est, unde sit « Baptismus ». In hypothesi autem a de Puniet proposita non habetur baptismus cum aliqua forma, in qua pars essentialis omissa esset, sed locum formae, quae nunc habetur, determinantis ablutionem in se indifferentem ad ablutionem baptismalem, occupant praecise interrogationes et responsiones baptismales: per ipsas actio mergendi determinatur, ut sit ablutio baptismalis. Qui hanc opinionem admittit, sine ulla difficultate affirmare potest: « Numquam valuit baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo ». Sed qui hanc opinionem tenet, concedere debet: « Valuit aliquando baptismus, in quo verbis non enuntiabatur actio baptizandi ». Hoc autem neque ab Alexandro III neque ab Alexandro VIII videtur damnatum esse. Et sic non videtur probari, hanc hypothesim pugnare cum aliquo decreto pontificio.

62. Ut haec quaestio relinquatur aperta, in thesi dicitur *nunc* exprimendam esse in forma actionem baptizandi. Hoc autem esse necessarium patet ex verbis Alexandri III et Alexandri VIII. Ubicumque in documentis liturgicis forma invenitur, numquam habetur solum: In nomine Patris etc., sed semper vel baptizo, vel baptizatur vel baptizetur, sive aequivalens forma. Haec est praxis totius ecclesiae. Theologi ex saeculo 13 in hac re conveniunt, a quibus etiam ratio indicatur: Per formam materia (ablutio) determinari debet, ut sit ablutio baptismalis; atqui hoc non praestant sola verba: In nomine Patris etc., quae et ipsa in se sunt indeterminata et ad plura diversa adhiberi possunt et adhibentur; ergo accedere debent verba, quae exprimunt ipsam lotionem esse baptismalem.

Haec actio exprimi potest vel active (baptizo), vel passive (baptizatur), idque etiam in forma deprecativa (baptizetur), uti Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis explicite agnovit [17].

---

[17] *Gregorius IX*, 12 nov. 1231 Archiepiscopo Barensi respondit: « Con-

63. *Utrum exprimi debeat verbis formae subiectum baptismi*, inter theologos disputatur. SUAREZ (*De Baptismo* disp. 21 sect. 2): « Dico tertio, de necessitate huius formae esse, ut in ea explicetur seu indicetur persona, quae baptizatur. Ita *D. Thomas* hic art. 5 ad 4, et est communis omnium sententia, quae colligitur ex verbis Christi: Baptizantes eos. Hunc enim esse sensum illorum verborum et institutionis Christi docuit traditio et usus ecclesiae; et ita in utraque forma, tam Graecorum quam Latinorum hoc observatum est. Ratio vero reddi potest, quia nisi aliquo modo exprimatur persona, cui applicatur baptismus, non potest actus baptizandi practice significari ut hic et nunc in particulari exercitus. Nam si tantum diceret minister: Ego baptizo in nomine Patris, nec significaret determinatum actum baptizandi, determinatur enim a subiecto, cui applicatur, nec satis indicaret actum, prout hic et nunc exercetur. Ac tandem non satis significaret effectum Baptismi, quatenus est spiritualis ablutio et regeneratio eius qui baptizatur. Tandem necessaria est expressio huius personae, ut indicetur in forma distinctio inter baptizantem et baptizatum, sicut inter generantem et genitum, prout dicitur in cap. Debitum, extra de Baptismo. Unde colligit *D. Thomas* et theologi omnes, necessarium esse exprimere hanc personam, quae baptizatur, aut proprio nomine ut cum dicitur: Ego te N. baptizo, aut per pronomen secundae vel tertiae personae, ut: baptizo te, vel illum; non vero per pronomen primae personae, ut: Baptizo me, ut in praedicto capitulo ». Rationes autem quae affert, non videntur

---

sultationi tuae breviter respondemus quod Graeci qui sub hac forma verborum: baptizetur talis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, baptizati ab aliquo extiterunt, non sunt, cum non fuerint secundum formam evangelicam, baptizati, et ideo tam illos quam de cetero baptizandos sub hac forma: ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, praecipimus baptizari ». AUVRAY, *Les registres de Grégoire IX*. Tom. 1 (Paris 1896) nr. 740. Sed epistula 13 iunii 1232 sustinet Graecos « super praemisso in sui ritus tolerantia interim non turbari » (ibid. nr. 798; cf. 797). Cf. etiam C. GIANNELLI, *Un documento sconosciuto della polemica tra Greci e Latini intorno alla formula battesimale*. Orientalia christiana Periodica 10 (1944) 150-166.

rem evincere. Nam omnia (determinatus actus baptizandi, determinatum subiectum, a baptizante distinctum) clare habentur eo quod hic minister in hoc subiectum aquam effundat. Ex traditione et usu ecclesiae constare, sensum verborum Christi esse, ut exprimatur in forma persona subiecti, difficile probatur.

64. Qui hoc pronomen *te* necessariam esse putant, interdum etiam provocant ad *Litt. S. C. de Propaganda Fide,* 11 sept. 1841, quibus dicitur: « De baptismo, ex omissione pronominis *te* in eius collatione, quod ex Coreanorum ignorantia saepe contigisse refers, invalidum fuisse sacramentum perspicua res est, ideoque renovandum » (*Collectanea S. Congr. de Prop. Fide,* Romae 1893, nr. 526). Sed in posteriore editione (Romae 1907) nr. 939 s. alia ex his litteris referuntur; quae autem agunt de baptismo omisso pronomine *te,* non iam habentur. Forma autem armenorum schismaticorum (sine pronomine *te*) declarata est valida a *S. C. S. Officii,* 8 sept. 1633: « Relata forma baptismi armenorum schismaticorum, quae in eorum Ritualibus habetur ut infra, videlicet: Baptizat nunc manus mea in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; vel: Baptizet nunc manus mea in nomine Patris, baptizet nunc manus mea in nomine Filii, baptizet nunc manus mea in nomine Spiritus sancti; S. C. declaravit dictam formam esse veram ac legitimam » (*Collectanea S. C. de Prop. Fide.* Romae 1907, nr. 74). Hinc dicendum, ad valorem baptismi non esse necessarium verbis formae exprimi subiectum baptizandum; ipsa actione baptizandi determinatum est subiectum, quod minister baptizare vult.

65. *Utrum verbis formae exprimi debeat persona ministri?* S. Thomas, 3 qu. 66 art. 5: « Oportet quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem eius duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem ». Suarez (*De baptismo* disp. 21 sect. 2): « Dico secundo: Non est de essentia huius formae, ut in ea exprimatur persona ministri. Est certa conclusio ». Et hoc

ita intelligit, ut neque explicite neque implicite persona ministri sit exprimenda, id quod imprimis probat ex forma Graecorum: Baptizetur servus Christi. « Graeci illis verbis non subintelligunt personam ministri, ita ut sensus sit: Baptizetur a me: nam potius ipsi dicuntur uti hac forma, ne viderentur sibi attribuere baptismum, et ideo potius intelligunt: Baptizetur servus Christi a Christo, vel a Deo, aut simpliciter ab eo, qui authoritatem et efficaciam habet baptizandi; ergo ex vi talis formae non exprimitur ullo modo persona ministri, et tamen est sufficiens; ergo expressio ministri in forma non est simpliciter necessaria. Quod etiam docuit Concilium Florentinum supra (*Denz* 696). Et rationem reddit, quia cum minister sit tantum causa instrumentalis, non est simpliciter necessarium, illam exprimere in forma, maxime cum ex institutione Christi id non colligatur, neque ex universali ecclesiae traditione. Nam licet latina ecclesia hoc observet, non tamen graeca, quae in hac parte non arguitur erroris ab ecclesia latina ». *Catechismus Romanus* idem ostenderat ex forma Graecorum, « a quibus tamen perfecte sacramentum ministrari ex concilii florentini sententia et definitione apparet; quum iis verbis satis explicetur id, quod ad baptismi veritatem attinet, nimirum ablutio, quae tunc reipsa peragitur » (p. 2 cap. 2 nr. 14).

THESIS 4: Effectus baptismi est regeneratio spiritualis per remissionem omnis reatus culpae et poenae et per infusionem gratiae et virtutum.

66. Thesis agit de effectu baptismi. Homo baptismo recipitur in ecclesiam Christi, fit Christianus et accipit signum indelebile, characterem, quo christianus a non christiano distinguitur. Christus ecclesiam suam vult sanctam (*Eph* 4, 26): baptismo homines qui in ecclesiam recipiuntur, sanctificantur. Haec sanctificatio est vivificatio, communicatio novae vitae. Post Adae peccatum generatione naturali communicatur vita quidem naturalis, supernaturaliter autem talis homo est mortuus, in statu peccati originalis, privatus gratia sanctificante, pertinet ad regnum diaboli, est sub servitute diaboli. Per secundum Adam,

Christum, homo ex hoc statu liberari potest. Hoc fit per baptismum, quo homini merita Christi applicantur, homo intime cum Christo coniungitur. Baptismo homo moritur peccato et incipit novam vitam in Christo et cum Christo. *Rom* 6, 3. 4: « An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus » (cf. etiam ea, quae ibi sequuntur). Qui baptizati sunt, Christum induerunt (*Gal* 3, 27); baptizati sunt in unum corpus (1 *Cor* 12, 13), sunt corpus Christi (1 *Cor* 12, 27); omnes sunt unus in Christo (*Gal* 3, 28). Baptismus est lavacrum regenerationis et renovationis, i. e. lavacrum, quo homo regeneratur et renovatur. *Tit* 3, 5-7: Salvator noster Deus « non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum; ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae ». Prima generatione naturali oritur homo vetus, in vetustate peccati; hac nova generatione oritur homo novus; moriendo cum Christo et sepultus cum Christo in baptismo homo exuit veterem hominem (*Col* 2, 11 s.; 3, 9 s.) et resurgendo cum Christo induit novum hominem (*Col.* 3, 10; cf. *Eph* 4, 24; 1 *Cor* 6, 11), efficitur nova creatura (2 *Cor* 5, 17). S. Ioannes Chrysostomus (*In epist. ad Titum*, cap. 3 hom. 5): « Papae! quam eramus in nequitia demersi (βεβαπτισμενοι), ut non possemus purgari, sed regeneratione (ἀναγεννησις) opus haberemus! Hoc enim est regeneratio (παλιγγενεσια). Sicut enim in domo ruinam minante nemo fulcrum apponit, neque veteri aedificio aliquid addit, sed illa a fundamentis dissoluta, sic superna (ἀνωθεν) erigit et renovat, ita et ille fecit: non enim aedificio adiunxit (οὐκ ἐπεσκευασεν ἡμας), sed a fundamentis erexit (ἀλλ'ἀνωθεν κατεσκευασε). Hoc enim sibi vult illud: Et renovationis Spiritus sancti, ab imo ad summum (ἀνωθεν) novos effecit. Quomodo? Per Spiritum » (MG 62, 692).

67. *Baptismo hominem recipi in ecclesiam Christi*, dictum

iam est thesi prima. Sic homo constituitur membrum ecclesiae, fit capax iurium omnibus fidelibus communium, et contrahit obligationes omnibus communes, potestati ecclesiae subiicitur. Haec obligatio oritur ex omni baptismo valide suscepto. « Ipsi quoque haeretici et schismatici, sive qui in secta haeretica vel schismatica baptizati sunt, sive qui postea ad eam defecerunt, vi characteris non ad hanc sectam, sed ad solam ecclesiam catholicam iure pertinent, quamvis de facto veluti oves extra dominicum gregem vagantes ab ea exclusi sunt... Quae obligatio erga ecclesiam efficit, ut per se ordinationibus canonicis sint obnoxii, nisi speciatim ab ecclesia eximantur » (Wernz-Vidal, *Ius canonicum* II, 2 s.). Conc. trid. *sess.* 7 *de baptismo* can. 8: « Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis summittere voluerint: anathema sit » (*Denz* 864). Iura vero non acquiruntur, etiamsi baptismus sit validus, si adest obex, qui impedit vinculum ecclesiasticae communionis, defectus fidei, « ut accidit in adulto qui scienter in haeresi et haeresi adhaerens baptizatur » (Wernz-Vidal, pag. 3). Iura acquisita ammitti possunt per poenam canonicam, censuram.

Baptismo imprimi *characterem* probatum est in tractatu de sacramentis in genere (Thes. 7; nr. 282 ss.). Hic effectus semper adest, cum baptismus valide recipitur.

68. Hac thesi ostenditur baptismo hominem vere regenerari, peccata omnia et omnes poenas peccati dimitti, gratiam sanctificantem et virtutes infundi. Hinc tres partes thesis, quibus adversantur novatores saeculi 16, propter falsam suam doctrinam de iustificatione. Secundum eos iustificatio in eo est, quod homini, in quo invenitur fides fiducialis, iustitia Christi extrinsecus imputetur; proinde a Deo pro iusto habetur, quin interius vere iustus sit. Ita peccatum tegitur quidem, sed revera manet, attamen non amplius imputatur. A iustificatione distinguunt regenerationem, renovationem hominis, quae iustificationem tamquam fructus sequitur, si scl. fides est viva et non mortua. De his erroribus fuse dicitur in tractatu de iustificatione

(cf. *De gratia Redemptoris*, pag. 76 ss.). Post thesim aliqua adduntur, de effectibus, qui ab haèreticis falso attributi sunt baptismo.

I. *Baptismus est regeneratio.*

69. Baptismus est generatio ad novam plane vitam et quidem est prima huius vitae communicatio. Vocatur regeneratio, tum quia est secunda generatio post primam generationem naturalem, tum maxime, quia est generatio ad eam vitam, quam Deus ab initio generi humano contulerat, quam homo ante peccatum habuit, quam naturali generatione propagare debuit, quam tamen peccato amisit, ita ut naturali generatione haec vita non iam communicetur, sed homo concipiatur cum privatione huius vitae, in statu peccati originalis.

Doc. Eccl.

70. Conc. Carthaginense, can. 2 baptismum vocat « lavacrum regenerationis »; in pueris qui baptizantur regeneratione mundatur, quod generatione traxerunt (*Denz* 102). Cf. Zosimus, Denz 109 a. Coelestinus, Indiculus, cap. 9: regenerationis sacramentum (*Denz* 140; cf. 139). Conc. valentinum, can. 5: « Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter ecclesiae incorporata, et iuxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in eius sanguine sit a peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio » (*Denz* 324). Conc. florent. *Decr. pro Armenis*: « Per baptismum enim spiritualiter renascimur » (*Denz* 695; cf. 696). Conc. trid. *sess* 21 cap. 4: Parvuli sunt « per baptismi lavacrum regenerati » (*Denz* 933).

S. Scriptura

71. *Tit* 3, 5: baptismus est lavacrum regenerationis. *Io* 3, 5: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto ».

Patres

72. Theophilus, *Ad Autolycum*, lib. 2 nr. 16: « Benedixit Deus iis quae ex aquis nata sunt, ut id quoque signum esset homines poenitentiam et remissionem peccatorum per aquam et lavacrum regenerationis accepturos, quotquot ad veritatem accedunt et regenerantur et benedictionem a Deo accipiunt » (MG 6, 1077; R 181). Tertullianus, *De baptismo* 1: « in aqua nascimur » (supra nr. 15). Origenes, *In numeros homil.* 7, 2: « Ante in aenigmate fuit baptismus in nube et in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua et in Spiritu sancto » (MG 12, 613; R 491). Cyprianus, *Ad Donatum* 4: baptismus vocatur « unda genetalis » (CV 3, 5; R 548). Aphraates, *Demonstrat.* 6, 14: « Ab omnibus enim de corpore natis Spiritus abest, donec ad aquae regenerationem accedant; tunc accipiunt Spiritum sanctum. In priore quidem generatione nascuntur spiritu animali praediti, qui in homine creatur, nec morietur unquam, sicut scriptum est: Factus est homo in animam viventem. At in altera, baptismi scilicet, regeneratione Spiritum sanctum ex ipsa divinitate recipiunt immortalem » (R 683). Cyrillus Hierosolymit. *Catech. myst.* 2, 4: « eodemque momento et mortui et nati estis, illaque unda salutaris et sepulchrum vobis et mater effecta est » (MG 33, 1079). S. Basilius, *De Spiritu sancto* 15, 35 (supra nr. 16). S. Gregorius Nyssenus, *In diem luminum*: « aqua, cum nihil aliud sit quam aqua, superna gratia benedicente ei in eam quae mente percipitur hominem renovat regenerationem » (MG 46, 583; cf. *De Sacramentis in genere*, nr. 442). S. Ioannes Chrysostomus, *In Ioan.* hom. 26, 1: « Sursum tandem naturae nostrae texitur opificium ex Spiritu et aqua. Aqua autem assumpta est partus genito facta. Quod est matrix embryoni, hoc est aqua fideli; in aqua enim fingitur et formatur. Primum dicebatur: Producant aquae reptile animae viventis; ex quo autem Iordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Spiritum sanctum ferentes aqua producit » (MG 59, 153).

73. S. Ambrosius, *De mysteriis* 9, 59: « Unde adepti omnia, sciamus regeneratos nos esse: nec dicamus, quomodo regenerati sumus? Numquid in ventrem matris nostrae introivimus, et renati sumus? non agnosco usum naturae. Sed nullus hic naturae ordo, ubi excellentia gratiae est. Denique non semper usus naturae generationem facit: generatum ex Virgine Christum Dominum confitemur, et naturae ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit, sed de Spiritu sancto in utero accepit, ut dicit Matthaeus: Quia inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Si ergo superveniens Spiritus sanctus in Virginem conceptionem operatus est, et generationis munus implevit, non utique dubitandum est quod superveniens in fontem vel super eos qui baptismum consequuntur, veritatem regenerationis operetur » (ML 16, 409 s.); cf. supra nr. 15.

S. Augustinus, *Epist.* 98, 2: « Ut autem possit regenerari per officium voluntatis alienae, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide; sed: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto. Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiae, et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae, solvens vinculum culpae, reconcilians bonum naturae regenerant hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum » (ML 33, 360). *De civitate Dei*, lib. 20 cap. 6, 2: « Sicut ergo duae sunt regenerationes, de quibus iam supra locutus sum: una secundum fidem, quae nunc fit per baptismum; alia secundum carnem, quae fit in eius incorruptione atque immortalitate per iudicium magnum atque novissimum: ita sunt et resurrectiones duae... » (ML 41, 666; R 1768).

S. Leo Magnus, *Sermo in Nativ. Domini* 4, 3: « Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem qui replevit et Virginem, ut peccatum quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio » (ML 54, 206). *Sermo in Nat. Domini* 5, 5: « Factus est homo nostri generis, ut nos divinae naturae possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquae, quod dedit matri; virtus

enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem » (ML 54, 211).

II. *Baptismo remittitur omnis culpa et poena.*

74. Hac renascentia tribuitur hominibus per meritum passionis Christi gratia, qua iusti fiunt (*Conc. trid.* sess. 6 cap. 3), quae iustificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Salvatorem nostrum. Haec translatio post Evangelium promulgatum fieri non potest sine lavacro regenerationis (cap. 4). Iustificatio autem non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio interioris hominis per voluntariam (in adultis) susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae (cap. 7).

75. Duo ergo in hac regeneratione includuntur: cessat homo esse inimicus Dei, incipit esse amicus et filius Dei. In hac secunda parte thesis agendum est de priore, scl. de eo, quod in homine baptizato cessat: remittitur omnis culpa, originalis et personalis, mortalis et venialis; remittitur quoque omnis poena, pro peccatis debita, aeterna et temporalis. Propterea baptizatis nulla satisfactio imponitur. Remanent quidem concupiscentia, miseriae huius vitae, mors, quae sunt poenae peccati originalis; sed in renatis haec non habent rationem poenae, i. e. per ea homo non satisfacere debet neque satisfacit pro peccato ante baptismum contracto vel commisso, sed sunt, ut dici solet, poenalitates, quae manent ad exercitium virtutis. Vi baptismi autem etiam illae auferuntur in resurrectione. Homo ergo per baptismum non restituitur in statum iustitiae originalis.

76. Quare autem per baptismum status naturae integrae non statim reddatur, ita explicat *Catechismus Romanus* (p. 2 cap. 2 nr. 48): « Quod si quaerat aliquis, cur statim post bap-

tismum, in hac etiam mortali vita, his incommodis non careamus, atque ad perfectum illum vitae gradum, in quo Adam primus humani generis parens ante peccatum collocatus fuerat, sacrae ablutionis virtute non transferamur, id quidem duabus potissimum de causis factum esse respondebitur, quarum prima est, quod nobis, qui per baptismum Christi corpori coniuncti atque eius membra effecti sumus (*Rom* 6, 3. 4), plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi capiti nostro tributum esset. Quum igitur Christus Dominus, etsi ab initio ortus sui, gratiae et veritatis plenitudinem habuit (*Io* 1, 14), tamen humanae naturae fragilitatem, quam suscepit, non ante deposuit, quam passionis tormenta et mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitae gloriam resurrexit; quis miretur, cum videat fideles, qui iam per baptismum caelestis iustitiae gratiam adepti sunt, adhuc tamen caduco et fragili corpore vestiri, ut postquam multis laboribus pro Christo perfuncti, morte obita, denuo ad vitam revocati fuerint, tandem digni sint, qui cum Christo aevo sempiterno perfruantur? Altera vero causa, cur in nobis post baptismum infirmitas corporis, morbus, dolorum sensus, concupiscentiae motus relinquatur, illa est, ut scilicet tamquam segetem et materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiorem gloriae fructum atque ampliora praemia consequeremur. Nam quum patienti animo vitae incommoda omnia toleramus, pravasque animi nostri affectiones sub rationis imperium divina ope subiicimus, certa spe niti debemus fore, ut si cum Apostolo bonum certamen certaverimus, cursum consummaverimus, fidem servaverimus, repositam quoque iustitiae coronam reddat nobis Dominus in illa die iustus iudex (1 *Tim* 4, 7)... Huc accedit, quod si per baptismum, praeter dona caelestia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari merito posset, quin multi praesentis potius vitae commoda, quam futurae speratam gloriam consectantes, ad baptismum venirent: quum tamen non falsa haec et incerta, quae videntur, sed vera atque aeterna, quae non videntur (2 *Cor* 4, 18) bona Christiano homini semper proposita esse debeant ». (Cf. S. Th. 3 qu. 69 a. 3).

77. Si dicitur in hac parte homo liberari ab omni poena, intelligitur poena cui homo obnoxius est propter culpam coram Deo; non liberatur per baptismum a poena pro delicto ante baptismum commisso ab auctoritate civili imposita. S. THOMAS (3 qu. 69 art. 2) hanc sibi facit obiectionem (3): « Sublato reatu poenae, aliquis non remanet dignus poena, et ita iniustum esset eum puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus poenae, iniustum esset post baptismum suspendere latronem, qui ante homicidium commisit. Et ita per baptismum tolleretur rigor humanae disciplinae; quod est inconveniens. Non ergo per baptismum tollitur reatus poenae ». Et respondet: « In poenis quae humano iudicio inferuntur, non solum attenditur qua poena sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui laesi et scandalizati sunt per peccatum alicuius. Et ideo, licet homicida per baptismum liberetur a reatu poenae quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos iustum est aedificari de poena, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset poenam indulgere ». Cf. *Cat. Rom.* p. 2 cap. 2 nr. 46.

Doc. Eccl.

78. SYMBOLUM NICAENO-CONSTANTINOPOLITANUM: « Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum » (*Denz* 86). CONC. CARTHAG. can. 2 supra nr. 70. GREGORIUS MAGNUS, *epist.* 45: « Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in Mari Rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismo funditus mori, quia nimirum pus valet in absolutione nostra veritas quam umbra veritatis » (ML 77, 1162; R 2298). COELESTINUS, *Indiculus*: Christus « per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit » (*Denz* 130). INNOCENTIUS III, *Prof. fidei Waldensibus praescripta*: « In baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus » (*Denz* 424). CONC. LUGDUN. II, *Professio fidei Michaelis Palaeologi*: « Illorum autem

animas, qui post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, ... mox in coelum recipi » (*Denz* 464). Conc. Florent., *Decr. pro Armenis*: « Huius sacramenti (baptismi) effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt » (*Denz* 696). Conc. trident., *sess.* 5 can. 5: « Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A. S. In renatis enim nihil odit Deus..., ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur » (*Denz* 792). *Sess.* 6 cap. 14: Christiani hominis lapsi poenitentia continet etiam satisfactionem pro poena temporali « quae (ut sacrae Litterae docent) non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis », qui post baptismum lapsi sunt (*Denz* 807; cf. *sess.* 14 cap. 2; *Denz* 895; cap. 8; *Denz* 904).

S. Scriptura

79. *Act* 2, 38: « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum ». — 22, 16: « Exsurge et baptizare, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius ». — *Rom.* 6, 2: « mortui sumus peccato » 8, 1: « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu ». — 1 *Cor.* 6, 9 ss.: « An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii neque... regnum Dei possidebunt. Et haec quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri ». — *Eph* 5, 25 ss.: « Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ».

Patres

80. Clemens Alexandrinus, *Paedagogus*, lib. 1 cap. 6 nr. 25: « Multis autem modis vocatur illud opus: gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus. Gratia autem, qua remittuntur poenae... » (MG 8, 280; R 407). S. Cyrillus Hierosol., *Catech.* 3, 12: « Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiae invocatio animam obsignans non te permittit ab immani sorberi dracone; qui mortuus in peccatis descendisti, ascendis vivificatus in iustitia » (MG 33, 441; R 812). Cf. Basil. (R 968); Ioann. Chrysost. (R 1228); Ambros. (R 1295; 1301). S. Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione*, lib. 2 cap. 28 nr. 46: « Si continuo (post baptismum) consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant » (ML 44, 179; R 1726). *De nuptiis et concupiscentia*, lib. 1 cap. 33 nr. 38: « Eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundantur atque sanantur, non solum peccata quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptisma quoties peccatur toties repetatur, sed quia ipso quod semel datur fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur » (ML 44, 435; R 1874). *Contra duas epistulas Pelagianorum*, lib. 1 cap. 13 nr. 26: « Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata » (ML 44, 562; R 1886). *Enchiridion* 64 (ML 40, 262; R 1918).

Theologi

81. Theologi in hac doctrina conveniunt, et explicant, cur baptismo hic effectus competat. Ita s. Thomas, 3 qu. 69. Art. 1: Secundum s. Paulum (*Rom* 6) « per baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitate gratiae. Omne autem

peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Unde consequens est quod omne peccatum per baptismum tollatur ». Art. 2: « Per baptismum aliquis incorporatur passioni et morti Christi, secundum illud *Rom* 4, 8: Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi... est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis ».

III. *In baptismo infunduntur gratia sanctificans et virtutes.*

82. In baptismo non solum cessat vetustas peccati, sed incipit nova vita filii Dei adoptivi. Deus homini, quem ad hanc novam vitam generat, communicat principium huius vitae, gratiam sanctificantem, quae probabilius immediate perficit substantiam animae; praeterea infundit potentias ad eliciendos actus ordini huius vitae correspondentes, virtutes scl. infusas, quae perficiunt facultates animae. Cum autem haec omnia probata sint in tractatibus de iustificatione (cf. *De gratia Redemptoris*, thes. 3 et 4) et de virtutibus (cf. *De virtutibus theologicis*, thes. 22), sufficit hoc loco ea referre, quae dicit *Concilium tridentinum*, sess. 6 cap. 7, agens de prima iustificatione, cuius causa instrumentalis est sacramentum baptismi: « Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur: fidem, spem et caritatem... Itaque veram et christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi et habeant vitam aeternam » (*Denz* 800).

De quaestione aliquando controversa, num etiam infantibus in baptismo virtutes infundantur. vide *De virtutibus theologicis*, nr. 585 ss.

83. Cum in adultis requiratur dispositio ad iustificationem (*De gratia Redemptoris*, thes. 6), effectus in tribus his partibus thesis descriptos baptismus habet in iis, qui non ponunt obicem (*De Sacramentis in genere*, nr. 369 ss.). Si obex consistit in affectu ad peccatum mortale, homo non regeneratur, nullum peccatum remittitur, gratia non infunditur. (De quaestione, num sit casus in quo sola fides vel spes infundantur, vide *De virtutibus theologicis*. nr. 606). Si vero adest affectus ad peccatum veniale, hoc peccatum neque quoad culpam neque quoad poenam in receptione baptismi remittitur; reliqui autem effectus adsunt. Postea tamen, si obex removetur, vi baptismi illi effectus habentur, qui antea impediti erant, i. e. baptismus reviviscit (*De Sacramentis in genere*, nr. 400 ss.) [18].

Effectus falso a novatoribus saec. 16 *baptismo tributi.*

84. Lutherus, *De captivitate babylonica ecclesiae praeludium* (Opera omnia, 6, 529): « Ita vides, quam dives sit homo Christianus sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas: cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptisato factam, in momento absorbentur, per eandem fidem, immo veritatem Dei, quia seipsum negare non potest, si tu eum confessus fueris et promittenti fideliter adhaeseris. Contritio autem et peccatorum confessio, deinde et satisfactio et omnia illa hominum excogitata studia subito te deserent et infeliciorem reddent, si oblitus veritatis huius divinae in ipsis tete distenderis. Vanitas enim vanitatum et afflictio spiritus est, quicquid extra fidem veritatis Dei laboratur. Simul vides, quam periculosum, immo falsum sit opinari, poenitentiam esse secundam tabulam post naufragium, et quam perniciosus sit error putare, per peccatum excidisse vim baptismi et navem hanc esse

[18] De aliquibus auctoribus, qui videntur docuisse per Baptismum etiam futura peccata remitti, vide A. Landgraf, *Zwei Probleme der frühscholastischen Sakramentenlehre*. Zeitschr. für kath. Theologie 66 (1942) 132-140.

illisam ». Contra hunc errorem *concilium* statuit *canonem* 6: « Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere: a. s. » (*Denz* 862).

85. Ex doctrina de iustificatione sola fide et de libertate filiorum Dei orta est inter protestantes doctrina hominem iustum et baptizatum liberum esse a qualibet lege, etiam ab observatione legis divinae (*Ioannes Agricola*), qua de re inter ipsos acriter disputatum est (controversia antinomistica; cf. *De gratia Redemptoris*, pag. 240). *Concilium tridentinum*, sess. 6 cap. 6 inter dispositiones ad iustificationem posuit: « dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata » (*Denz* 798); iterum cap. 7: « Unde et statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata » (*Denz* 800); cap. 11 agit de necessitate observandi mandata (*Denz* 804); et can. 19-21 reiiciuntur errores oppositi (*Denz* 829-831). Deinde, cum ageretur de baptismo, propositus est damnandus articulus: « Foedus inter Deum et baptizatum in baptismo initum non implicare divinae legis observantiam », ex quo articulo ortus est can. 7: « Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae: a. s. » (*Denz* 863).

86. Lutherus, *De capt. babyl.* (Opera 6, 536): « Dico itaque: neque Papa neque Episcopus neque ullus hominum habet ius unius syllabae constituendae super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu. Quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit: ideo orationes, ieiunia, donationes et quaecunque tandem Papa in universis suis decretis tam multis quam iniquis statuit et exigit, prorsus nullo iure exigit et statuit, peccatque in libertatem ecclesiae toties quoties aliquid horum attentaverit ». Et ibidem (pag. 537): « Pro hac dumtaxat clamo libertate et conscientia, clamoque fidenter, Christianis nihil ullo iure posse imponi legum, sive ab hominibus sive ab angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sumus ab omnibus. Quod si quae imponuntur, sic ferenda sunt, ut libertatis conscientia salva sit,

quae sciat et certo affirmet, iniuriam sibi fieri, quam cum gloria ferat, ita cavens, ne iustificet tyrannum, ut ne murmuret contra tyrannidem. Quis enim est, ait Petrus (1 *Petr* 3, 13), qui vobis noceat, si bonum emulati fueritis? Omnia cooperantur electis in bonum (*Rom* 8, 28). Attamen quia hanc baptismi gloriam et libertatis Christianae foelicitatem pauci noverunt, nec prae tyrannide Papae nosse possunt, ipse me hic expeditio et conscientiam meam redimo, compellans Papam et omnes papistas, quod nisi sua iura et traditiones sustulerint, et ecclesiis Christi libertatem suam restituerint eamque doceri fecerint, reos esse eos omnium animarum, quae hac misera captivitate pereunt, esseque papatum aliud revera nihil, quam regnum Babylonis et veri Antichristi. Quis enim est homo peccati et filius perditionis quam is, qui suis doctrinis ac statutis peccata et perditionem animarum auget in ecclesia, sedens tamen in ecclesia sicut Deus? At hoc totum abunde implevit tyrannis papalis iam a multis saeculis, quae fidem extinxit, sacramenta obscuravit, Evangelium oppressit, suas autem non modo impias et sacrilegas, verum etiam barbaras et indoctissimas leges imperavit et sine fine multiplicavit ». Contra hanc doctrinam statuit *conc. trid.* canonem 8: « Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis summittere voluerint: a. s. » (Denz 864).

87. Lutherus, *De capt. babyl.* (Opera 6, 538 s.): « Unum hic addo, quod utinam cunctis queam persuadere, id est, ut vota prorsus omnia tollerentur aut vitarentur, sive sint religionum sive peregrinationum sive quorumcunque operum, maneremusque in libertate religiosissima et operosissima baptismi. Dici non potest, quantum detrahat baptismo et obscuret scientiam libertatis Christianae opinio illa votorum plus nimio celebris, ut interim taceam infanda etiam eaque infinita pericula animarum, quae vovendi ista libido inconsultaque temeritas quotidie auget. O impiissimi pontifices et infoelicissimi pastores, qui secure stertitis et in vestris cupiditatibus lascivitis et nihil compatimini super ista contritione Ioseph pessima et pe-

riculosissima (*Amos* 6, 6). Oportuit hic generali edicto vel tollere vota, illa praesertim perpetua, et ad baptismi vota cunctos revocare vel diligenter monere, ne quis temere voveret, nullum invitare, immo difficiles tardosque esse ad vota permittenda. Abunde enim vovimus baptismo et plus quam possimus implere, sat negotii habituri, si huic uni intenderimus. At nunc mare et aridam circuimus, ut multos proselytas faciamus, mundum sacerdotibus, monachis, monialibus implemus et hos omnes perpetuis votis incarceramus. Hic invenias, qui disputent et statuant, opus intra votum esse praestantius opere extra et citra votum et nescio quantis praemiis in coelo aliis praeferendum, Pharisaei caeci et impii, qui ex operum magnitudine et multitudine aliave qualitate metiuntur iustitiam et sanctitatem, quae ex sola fide apud Deum mensuratur, apud quem nulla est differentia operum, nisi quanta est fidei differentia ».

In *concilio tridentino* propositus erat damnandus articulus: « Votum baptismi non habere conditionem nisi fidei et omnia alia vota evacuare ». Ex quo ortus est *canon* 9: « Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso iam factae irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo: a. s. » (Denz 865). Nota canonem agere solum de votis post baptismum factis; quaestio, num vota ante baptismum facta per promissionem in baptismo factam irritentur, non tangitur.

88. *Canon* 10: « Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti vel venialia fieri: a. s. » (Denz 866). Cf. supra nr. 84. Similia sess. 6 cap. 14 (Denz 807), can. 29 (Denz 839).

De effectibus falso ab haereticis baptismo tributis vide BELLARMINUM, *De sacramento baptismi*, cap. 14-18.

THESIS 5: Baptismus est sacramentum novae legis.

89. In tractatu de sacramentis in genere (thesis 1) probatum est, septem esse sacramenta novae legis et baptismum esse

unum ex illis. Hoc ab haereticis (exceptis unitariis) non est negatum, et speciatim novatores saeculi 16, admiserunt baptismum esse sacramentum, licet falsum habuerint conceptum sacramenti. Et sic concilium tridentinum, agens de sacramento baptismi, non statuit canonem, in quo reprobaretur sententia baptismum non esse sacramentum (idem observatur quoad sacramentum Eucharistiae, cum pro reliquis sacramentis singulis proprio canone sententia, quae dicit ea non esse sacramenta, damnetur).

90. Intentio huius thesis non est probare baptismum esse sacramentum, sed potius ostendere, quomodo singula, quae requiruntur, ut aliquis ritus sit sacramentum, in baptismo verificentur.

Ex tractatu de sacramentis in genere constat, sacramentum novae legis esse ritum sensibilem a Christo institutum, qui significat gratiam internam eamque confert ex opere operato.

91. *Baptsimum esse ritum sensibilem* patet.

Hic ritus *a Christo est institutus*. Hoc constat ex ipso mandato baptizandi quod Christus ecclesiae dedit. Qua occasione autem Christus baptismum instituerit, inter theologos disputatur. In concilio Tridentino, in priore (tertia) forma decreti de iustificatione, cap. 14, legebatur: « Nam sicut pro infidelibus ad Christi fidem venientibus sacramentum baptismi Christus ipse instituit dicens: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: ita pro iis qui post baptismum labuntur sacramentum instituit poenitentiae, cum dixit: Accipite Spiritum sanctum » etc. In forma autem definitiva ea verba, quae institutionem baptismi referebant post resurrectionem Domini, ommissa sunt.

92. Sententiae theologorum de tempore institutionis baptismi sunt quattuor:

1) Quando Christus ipse baptizatus est. S. Thomas (3 qu. 66 a. 2): « Sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus.

Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum. Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et rèsurrectionem. Tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novae legis. Tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, inquantum moritur peccato, et incipit novam iustitiae vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni eius » (cf. in 4 dist. 3 qu. 1 art. 5 sol. 2). Idem 3 qu. 73 art. 5 hanc sibi facit obiectionem (4): « Per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quae nonnisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem et resurrectionem, ut patet *Matth.* ultimo. Ergo inconvenienter hoc sacramentum (scl. Eucharistiae) fuit ante passionem Christi institutum ». Respondet: « Institutio respondet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistiae, quamvis sit posterius baptismo in perfectione, est tamen prius in intentione. Et ideo debuit prius institui. — Vel potest dici, quod baptismus iam erat aliqualiter institutus in ipso Christi baptismo. Unde etiam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut legitur *Ioan* 3 ».

2) In colloquio Christi cum Nicodemo *Io* 3. Ita Estius, In 4 dist. 3 § 11.

3) Quando misit discipulos baptizare Iudaeos (*Io* 3, 22. 26; 4, 1 s.). Ita S. Bonaventura, In 4 dist. 3 p. 2 a. 1 qu. 1; Scotus, In 4 dist. 3 qu. 4; Gabriel Biel, In 4 dist. 3 qu. unic. art. 3; Suarez, *De sacramentis*, disp. 19 sect. 2 nr. 1; cf. F. Schmid, *Die Einführung der christlichen Taufe*. Zeitschr. für kathol. Theologie 29 (1905) 53-81.

4) Post resurrectionem, cum discipulis dedit mandatum baptizandi omnes gentes. Ita aliquatenus Alexander Halensis, Summa, p. 4 qu. 8 m. 2 a. 3; similiter S. Albertus Magnus, In 4 dist. 3 art. 3.

93. *Baptismus significat internam gratiam.* Ritus sensibilis ex natura sua non potest gratiam internam significare, potest tamen ad hoc habere aliquam aptitudinem; ut autem actu eam

significet, debet ei communicari ab eo qui sacramentum instituit. Propterea etiam ex natura ritus haec significatio cognosci non potest, sed cognoscenda est ex iis, quae positive in ecclesia de hoc ritu docentur. Quae autem sit significatio baptismi, habetur ex thesi antecedente: ut lavacrum regenerationis et renovationis significat ablutionem animae ab omnibus maculis, communicationem puritatis et sanctitatis, quae in praesenti ordine habentur infusione gratiae sanctificantis; est sepulchrum, in quo vetus homo mortuus sepelitur et ex quo novus homo resurgit: remissio peccatorum, infusio gratiae et donorum.

94. *Hanc gratiam baptismus confert,* ut fuse probatum est thesi antecedente. Omne sacramentum gratiam sanctificantem confert vel auget, sed sacramento baptismi proprium est (« gratia sacramentalis », cf. *De sacramentis in genere*, nr. 273 ss.), quod imprimit caracterem, quo homo fit christianus, quod per se primo hanc vitam supernaturalem communicat ut regenerationem, cum prima infusione virtutum et plena deletione vetustatis peccati (remissio non solum peccati originalis et omnium peccatorum personalium mortalium, sed etiam omnium venialium, remissio non solum poenae aeternae, sed etiam omnis poenae temporalis), simul cum iure auxiliorum actualium, quibus renatus indiget, ut vitam agat christianam, secundum promissionem, quae in receptione baptismi includitur.

Hanc gratiam confert baptismus *ex opere operato*, non propter fidem vel meritum suscipientis vel ministri, sed ipsa applicatione huius ritus (cf. *De sacramentis in genere*, thesis 8): *Act* 2, 38; *Io* 3, 5; *Eph* 5, 26; *Tit* 3, 5. Textus Patrum supra nr. 72, 73.

THESIS 6: Subiectum baptismi est omnis homo viator nondum valide baptizatus.

95. Thesis agit de subiecto baptismi, i. e. de illis, qui capaces sunt hoc sacramentum recipere. Quaestio est de possibilitate, non de necessitate, vel de obligatione recipiendi baptismum. *Viator* est homo in statu viae, in quo adhuc tendit ad

finem suum ultimum; est praesens status unionis animae cum corpore, usque ad separationem animae et corporis. Morte incipit status termini, in quo homo vel definitive assequitur finem suum, vel definitive ab eo excluditur. *Omnis* homo, i. e. tum adulti, tum infantes, vel qui infantibus aequiparantur, perpetuo amentes. *Nondum baptizatus*: qui valide baptizatus est, incapax est secundi baptismi; aliis verbis: baptismus iterari non potest.

Solum viatorem esse subiectum baptismi probatum iam est in tractatu de sacramentis in genere (nr. 346 ss.), ubi ostenditur subiectum sacramentorum esse solos homines viatores; ibidem quoque dictum est de « baptismo pro mortuis ». Remanet ergo probandum 1) omnem hominem viatorem esse subiectum baptismi, ubi res evidens est de adultis et quaestio solum manet de infantibus; 2) hominem baptizatum non esse subiectum capax baptismi.

PARS I: *Omnis homo, etiam infans, est subiectum baptismi.*

96. Infantes valide baptizari posse negaverunt *Petrobrusiani*, asseclae *Petri de Bruys* († circa 1130); quorum sententiam *Petrus Venerabilis* ita reddit: « Mittens, inquiunt, Christus discipulos suos ad praedicandum, ait in Evangelio: Ite in orbem universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur. Ex his Domini verbis aperte monstratur nullum, nisi crediderit et baptizatus fuerit, hoc est, nisi Christianam fidem habuerit, et baptismum perceperit, posse salvari. Nam non alterum horum, sed utrumque pariter salvat. Unde infantes, licet a vobis baptizentur, quia tamen credere obstante aetate non possunt, nequaquam salventur. Otiosum igitur et vanum est, quando eo tempore homines aqua perfunditis, quo carnem quidem eorum a sordibus humano pro more abluere, sed animam a peccatis minime mundare potestis. Nos vero tempus congruum fidei exspectamus, et hominem postquam Deum suum agnoscere, et in eum credere paratus est, non, ut nobis imponi-

tis, rebaptizamus, sed baptizamus, qui numquam baptizatus dicendus est baptismo, quo peccata lavantur, lotus non est » (ML 189, 728 s.). Aliqui tempus baptismi recipiendi magis adhuc determinabant, de quibus *Hugo Ambianensis*, Rothomagensis archiepiscopus: « Sed... adhuc haeretici saeviunt et litigando dicunt: Christus cum esset annorum triginta baptismum accepit, ideoque parvuli non debent baptizari, sed hi qui eo annorum tempore quo Christus baptizatus est, voluerint baptizari » (ML 192, 1268). Ita generatim *Cathari* baptismum infantium reiciebant; sic rumpere conabantur vinculum, quo fideles coniuncti erant cum ecclesia, asserentes baptismum in infantia receptum nullum fuisse, proinde eos non veros esse christianos. Eundem errorem profitentur ii qui vocantur *anabaptistae*.

Doc. Ecclesiae

97. Concilium Carthaginense (418): « Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum quidem eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, anathema sit » (Denz 102). Cf. Indiculum, cap. 9 (Denz 140).

98. Concilium Lateranense II (1139) assumit contra Petrum de Bruys et alios canonem concilii Tolosani (1119): « Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes... baptisma puerorum... damnant..., tamquam haereticos ab ecclesia Dei pellimus et damnamus... » (Denz 367). — Innocentius III (1201): « Asserunt (enim), parvulis inutiliter baptisma conferri... Respondemus, quod baptisma circumcisioni successit... Unde, sicut anima circumcisi de populo suo non peribat (*Gen* 17, 4), sic, qui ex aqua fuerit et Spiritu sancto renatus, regni caelorum introitum obtinebit... Dicimus distinguendum, quod peccatum est duplex, originale scilicet et actuale, originale, quod absque consensu contrahitur, et actuale, quod committitur cum consensu.

Originale igitur quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur sacramenti... » (Denz 410). Idem in professione fidei Waldensibus praescripta (Denz 424). Concilium Lateranense IV (1215; Denz 430); Concilium Viennense (Denz 482 s.).

99. Clemens VI (1351): Armeni admittere debent, « quod parvuli ante octavum diem possunt baptizari » (Denz 574 a). Concilium Florentinum, *Decretum pro Iacobitis* (1442): « Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus iuxta quorundam observantiam sacrum baptisma differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri: ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur... » (Denz 712).

100. Concilium Tridentinum, sess. 7 *De sacramento baptismi, can. 12*: « Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: a. s. » (Denz 868). *Canon 13* contra anabaptistas: « Si quis dixerit, parvulos eo, quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiae: a. s. » (Denz 869). *Canon 14*: « Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: a. s. » (Denz 870). Ad errorem 15, ex quo ortus est hic canon, citatur in concilio tridentino: « Erasmus in Matthaeum ut recitat censura Parisiensis: Mihi videtur non mediocriter conducere, si pueri baptizati, cum iam ad pubertatem

pervenerint, interrogentur, an ratum habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo, si intellecta promissione baptismi non approbent quod gestum est per vicarios et patrinos, fortassis expedit, illos non cogi, sed illum relinqui suo animo, donec resipiscat, nec ad aliam interim vocare poenam, nisi, ut ab eucharistia reliquisque sacramentis arceatur ». (Cf. sess. 5, de peccato originali, can. 4; Denz 791).

Decretum « Lamentabili », prop. 43: « Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam » (Denz 2043).

S. Scriptura

101. S. Scriptura explicite non loquitur de baptismo infantium. Ex eo quod narratur aliquem esse baptizatum cum familia vel domo sua tota, concludi non potest cum aliqua certitudine, infantes esse baptizatos, iam ob hanc rationem, quod ignoramus, num in illa domo aut familia fuerint omnino infantes.

Dominus dicit: « Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud » (*Marc* 10, 14 s.); baptismus autem est introitus in regnum Dei (*Io* 3, 5); ergo admitti non potest, Christum exclusisse infantes a baptismo.

Baptismus praefigurabatur per circumcisionem (*Col.* 2, 11 s.); sicuti in vetere lege homines a peccato originali liberabantur circumcisione, ita in nova lege per baptismum; circumcisio autem pertinebat ad infantes; ergo idem dicendum de baptismo.

Patres

102. S. Irenaeus, *Adversus haereses*, lib. 2 cap. 22 nr. 4: « Omnes venit per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et

iuvenes, et seniores » (MG 7, 784; R 201). Tertullianus, *De baptismo*, 18: « Itaque pro cuiusque personae condicione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse, si non tam necesse est, sponsores etiam periculo ingeri, qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malae indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite eos prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt; veniant, dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum? » (CV 20, 216). Origenes, *In Romanos comment.* lib. 5 nr. 9: « Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare; sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati quae per aquam et Spiritum ablui deberent » (MG 14, 1047; R 501). S. Cyprianus, *epist.* 64, 2: « Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quem nati sint constitutos baptizari non oportere et considerandam esse legem circumcisionis antiquae, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putares, longe aliud in concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potius iudicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam » (CV 3, 718; R 585). Traditio Apostolica Hippolyti: « Primo baptizate infantes » (supra nr. 29).

103. S. Gregorius Nazianzenus, *Oratio* 40, nr. 28: « Sint haec sane, dixerit aliquis, quantum ad eos attinet, qui baptismum requirunt. Quid autem de iis dices, qui tenera adhuc aetate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Praestat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo et initiatione abscedere. Atque huius rei ratio nobis est circumcisio, die octava peragi solita, quae baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur; sicuti etiam postium unctio, quae, rebus sensu carentibus adhibita, pri-

mogenitis salutem afferebat. De reliquis ita censeo, ut triennio exspectato, aut aliquanto breviori aut longiori temporis spatio (nam tum, et mystici quiddam audire, et respondere possunt, ac si minus plene et exacte intelligunt, imbuuntur tamen et informantur); ita demum, magno perfectionis sacramento, et animas et corpora sanctificent. Etenim res ita se habet. Vitae quidem actionibus referendis tum demum obnoxii esse incipiunt, cum et ratio ad plenum accrevit, et mysterium didicerunt (aetatis enim beneficio hoc habent, ut peccatorum, quae per ignorantiam admiserint, rationem reddere minime cogantur); at propter inopinatos et repentinos periculorum impetus, quique nulla ope atque auxilio propulsari queant, lavacro communiri omnino conducibilius est ». Deinde explicat, cur exspectandum non sit usque ad trigesimum annum, in quo Christus baptizatus est (MG 36, 399). S. Chrysostomus, *Hom.* 40 in Gen. nr. 4: « Nostra autem circumcisio, vel baptismatis, inquam, gratia, medicinam habet citra dolorem, innumeraque bona nobis affert, Spiritus sancti gratia nos implet, et nullum definitum tempus habet sicut illic: sed licet et in prima, et in media et in ultima aetate hanc non manufactam circumcisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera, et remissio invenitur omnium peccatorum, quae per totam vitam gesta sunt ». (MG 53, 373 s.).

104. S. Ambrosius, *De Abraham* lib. 2 cap. 11 nr. 84: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate » (ML 14, 497; R 1324). S. Augustinus, *Epist.* 166, 7: « Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostoli praedicationem venit et totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse ». Et paulo post: « Beatus Cyprianus (supra nr. 102) non aliquod decretum condens novum, sed ecclesiae fidem firmissimam servans, ad corrigendos eos, qui putabant ante octavum diem na-

tivitatis non esse parvulum baptizandum, non carnem, sed animam dixit non esse perdendam, et mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit » (ML 33, 730 s.; R 1439 s.). *De baptismo*, lib. 4 cap. 24 nr. 31 (ML 43, 175; R 1632). *De Genesi ad litteram*, lib. 10 cap. 23 nr. 39 (ML 34, 426; R 1705). *De peccatorum meritis et remissione*, lib. 2 cap. 27 nr. 43 (ML 44, 177; R 1725). S. Leo Magnus, *Sermo* 49 nr. 3 (ML 54, 303). S. Gregorius Magnus (supra nr. 26). Sacramentarium Gelasianum (supra nr. 30).

Theologi

Scholastici disputabant quidem per aliquod tempus, num infantibus in baptismo gratia et virtutes infundantur (cf. *De virtutibus theologicis*, nr. 585 ss.); eos autem esse subiectum baptismi omnes docebant.

105. Ergo infantes valide baptizantur, imprimitur eis character, et subditi sunt ecclesiae catholicae; fructuose baptizantur, cum obicem ponere non possint, remittitur ergo peccatum originale, infunduntur gratia et virtutes.

Vi baptismi suscepti infantes subduntur ecclesiae per totam vitam, neque ad hoc requiritur, ut, cum sint adulti, ratihabeant baptismum, quem sine consensu personali acceperunt, uti conc. Trid. explicite docet. Haec enim obligatio non ex aliqua promissione libera receptioni sacramenti addita oritur, sed ipso sacramento valide collato.

Quomodo primi scholastici conati sint explicare, qua ratione in infantibus inveniatur fides ad iustificationem requisita, vide apud Landgraf, *Kindertaufe und Glaube in der Frühscholastik*. Gregorianum 9 (1928) 337-372. S. Thomas, 3 qu. 68 art. 9 ad obiectionem: « Baptismus est fidei sacramentum...; sed pueri non habent fidem...; ergo videtur quod pueri non possint baptizari » respondet: « Sicut Augustinus scribens Bonifacio dicit (lib. 1 Contra duas epist. Pelag. cap. 22), in ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis quae in baptismo

remittuntur peccata traxerunt. Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles: quia sicut Augustinus dicit eidem Bonifacio scribens (epist. 98), offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt, quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum caritate ad communionem sancti Spiritus adiunguntur... Fides autem unius, immo totius ecclesiae, parvulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui unit ecclesiam et bona unius alteri communicat ».

Pars II: *Homo valide baptizatus non est subiectum baptismi.*

106. Sensus huius partis est: Baptismus semel valide collatus iterari nequit. Haec quaestio iam soluta est in tractatu de sacramentis in genere, nr. 175-209, cum ageretur de lite rebaptismi. Nam in illa disputatione ii, qui dixerunt baptizatos ab haereticis, si ad veram ecclesiam convertuntur, esse de novo baptizandos, supponebant baptismum in haeresi collatum esse invalidum; admiserunt autem baptismum semel valide collatum iterari non posse. Similiter ii, qui dixerunt tales non esse baptizandos, tenebant baptismum valide collatum iterari non posse. Et sic disputatio proprie erat, num baptismus ab haereticis collatus validus fuerit. Utraque pars ergo in eo conveniebat, quod baptismus valide collatus iterari non possit. Sufficit ergo hoc loco pauca addere.

Doc. Ecclesiae

107. S. Siricius (385): « Prima itaque paginae tuae fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet (*Eph* 4, 5) et canones contradicant et post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a venerandae memoriae

praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant » (Denz 88). S. Gregorius II (726): « Quosdam baptizatos absque interrogatione symboli ab adulteris et indignis presbyteris fassus es. In his tua dilectio teneat antiquum morem ecclesiae: quia, quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari liceat minime; non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis huius gratiae donum percepit. Et teneatur, quod Apostolus dicit: Unus Deus, una fides, unum baptisma (*Eph* 4, 5) » (Denz 296 a).

108. Concilium Lateranense IV (1215): « Baptizatos etiam a Latinis ipsi Graeci rebaptizare ausu temerario praesumebant; et adhuc, sicut accepimus, quidam hoc agere non verentur » (Denz 435). Concilium Lugdunense, *Prof. fidei Michaelis Palaeologi* (Denz 464). Clemens VI (1351): Armeni admittere debent « quod in Ecclesia catholica baptizati, si efficiantur infideles est postmodum convertantur, non sunt iterum baptizandi » (Denz 574 a). Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis*: Baptismus, confirmatio, Ordo imprimunt characterem « unde in eadem persona non iterantur » (Denz 695).

109. Concilium Tridentinum, *De sacramentis in genere*, can. 9: « Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: a. s. » (Denz 852). *De sacramento baptismi*, can. 11: « Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles Christi fidem negaverit, cum ad poenitentiam convertitur: a. s. » (Denz 867); cf. can. 13 (Denz 869). *Sess.* 14, *De poenitentiae sacramento*, cap. 2: « Nam hos (scl. renatos), si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit » (Denz 895). *Professio fidei Tridentina*: « Profiteor... baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse » (Denz 996). Benedictus XIV (1743), *Prof. fidei Orientalibus praescripta*: Profiteor « baptismum, confir-

mationem et ordinem (sine sacrilegio) iterari non posse » (Denz 1470).

S. Scriptura

110. S. Scriptura non loquitur de initerabilitate baptismi; sed interdum *Eph* 4, 5 adhibebatur ad ostendendum, etiam pro singulis hominibus unum solum esse baptisma (supra Gregorius II, nr. 107).

Patres

111. Tertullianus, *De baptismo*, 15: « Unus omnino baptismus est nobis, tam ex Domini evangelio, quam ex Apostoli litteris, quoniam unus Deus et unum baptisma et una ecclesia in caelis... Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet » (CV 20, 213; R 308). S. Cyprianus, *epist.* 71: « Nos autem dicimus eos qui inde (i. e. ab haereticis) veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari » (CV 3, 771; R 592 a). *Epist. 73*: « Sententia nostra firmavimus, statuentes unum baptisma esse, quod sit in ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari sed baptizari a nobis quicumque ab adultera et profana aqua venientes abluendi sint et sanctificandi salutaris aquae veritate » (CV 3, 778; R 593). S. Ephraem *Sermo* 2: « Potestatem enim fecit discipulis suis ut una vice tantum per aquam peccata purificarent humanae naturae » (R 727). S. Augustinus, *Contra epistulam Parmeniani* lib. 2 cap. 13 nr. 28: « Utrumque (baptismus et ordo) sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari » (ML 43, 70; R 1617). S. Fulgentius, *De Fide ad Petrum*, cap. 3 nr. 41: Qui in haeresi baptizatus est, « debet ad ecclesiam redire, non ut sacramentum baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere, sed ut in societate catholica vitam aeternam accipiat, ad quam obtinendam numquam esse potest idoneus, qui cum sacramento baptismatis ab ecclesia catholica remanserit alienus » (ML 65, 692; R 2269).

Theologi

112. Theologi in hac doctrina, ut patet, conveniunt. S. Thomas quatuor indicat rationes initerabilitatis baptismi (3 qu. 66 art. 9): « *Primo* quidem, quia baptismus est quaedam spiritualis regeneratio: prout scilicet aliquis moritur veteri vitae, et incipit novam vitam agere. Unde dicitur *Ioan* 3, 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Unius autem non est nisi una generatio. Et ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Unde *Augustinus* dicit super illud Ioannis 3, 4: Numquid potest homo in ventrem matris suae iterato introire et renasci? (Tract. 11 in Ioannem): Sic tu intellige nativitatem spiritus, quo modo intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Quo modo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus. — *Secundo*, quia in morte Christi baptizamur (*Rom* 6, 3), per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitae. Christus autem semel tantum mortuus est. Et ideo baptismus iterari non debet. Propter quod, *Hebr* 6, 6 contra quosdam rebaptizari volentes, dicitur: Rursum crucifigentes semetipsis Filium Dei; ubi Glossa dicit: Una Christi mors unum baptisma consecravit. — *Tertio*, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur. Unde, sicut aliae consecrationes non iterantur in ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est quod *Augustinus* dicit in 2 Contra epistulam Parmeniani (cap. 13), quod character militaris non repetitur; et quod non minus haeret sacramentum Christi quam corporalis haec nota; cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur. — *Quarto*, quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo, sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur; quia, ut dicitur *Rom* 5, 18: sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae ».

THESIS 7: Valide baptizare potest quilibet homo, servata debita materia, forma, intentione.

113. In tractatu de sacramentis in genere (nr. 112) dictum est, ministrum sacramentorum esse, de lege ordinaria, solum hominem viatorem. Actio sacramentalis est actio vicaria Christi (ibidem thes. 3). Ergo requiritur facultas, ut quis valide agere possit vice Christi. Hanc autem facultatem, quod ad sacramentum baptismi attinet, ex voluntate Christi habet quilibet homo, ergo etiam laicus, vir vel mulier. Uti autem hac facultate potest solum ille, qui potest recte perficere actionem baptismalem, i. e. recte applicare materiam et formam, et habere intentionem requisitam. Thesis agit solum de facultate valide baptizandi, non de quaestionibus, quando licite quis uti possit hac facultate, vel quando illa uti debeat. De his quaestionibus vide Theologiam moralem. In tractatu de sacramentis in genere probatum est, valorem sacramentorum per se non pendere a fide vel probitate ministri (thes. 5); ergo ne de hac quidem quaestione in praesenti thesi agendum est.

Doc. Ecclesiae

114. Concilium Illiberitanum, can. 38: « Loco peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit » (Denz 52 d). Gelasius papa, *Epist.* 9 cap. 7: « Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus; nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quae primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi, praedictis fortasse officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod et laicis christianis facere plerumque conceditur ». (ML 59, 51). Nicolaus, *Resp. ad consulta Bulgarorum*, cap. 15: « Interrogatis, utrum homines illi, qui hoc ab illo (presbyterum se fingente) baptisma receperunt, Christiani sint,

an iterum baptizari debeant. Sed si in nomine summae ac individuae Trinitatis baptizati fuere, Christiani profecto sunt, et eos, a quocunque Christiano baptizati sunt, iterato baptizari non convenit » (Denz 334 a). URBANUS II, *Epist.* 271: « Super quibus consulit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum; ut et baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit » (ML 151, 529). CONCILIUM LATERANENSE IV, cap. 1: « Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invocationem et individuae Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem » (Denz 430). CONCILIUM FLORENTINUM, *Decr. pro Armenis*: « Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae et facere intendat quod facit ecclesia » (Denz 696); cf. *Decretum pro Iacobitis* (Denz 712). BENEDICTUS XIV, *Professio fidei orientalibus praescripta*: « Item baptismum... a quocumque et quandocumque sub debita materia et forma et intentione collatum esse validum » (Denz 1470).

PATRES

115. TERTULLIANUS, *De baptismo* 17: « Superest ad concludendam materiolam de observatione quoque dandi et accipiendi baptismi commonefacere. Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam laicis ius est. Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. Nisi episcopi iam aut presbyteri aut diaconi, vocantur discentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Perinde et baptismus, aeque Dei census, ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, cum ea maioribus competant, ne sibi assumant dicatum episcopis officium? Episcopatus aemulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissi-

mus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae condicio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare quod libere potuit. Petulantia autem mulieris, quae usurpavit docere, utique non etiam tinguendi ius sibi pariet, nisi si quae nova bestia evenerit similis pristinae, ut, quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. Quodsi quae Pauli perperam inscripta sunt exemplum Theclae ad licentiam mulierum docendi et tinguendique defendunt, sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi et tinguendi daret feminae potestatem qui ne discere quidem constanter mulieri permisit? Taceant, inquit, et domi maritos suos consulant (1 *Cor* 14, 34) » (CV 20, 214 s.). — In narratione de Athanasio puero baptizante (supra nr. 60) baptismus a puero collatus habetur validus.

116. Didascalia (ante 250) lib. 3 cap. 9: « Mulierem aut baptizare vel a muliere baptizari non approbamus, quia hoc illegitimum est et magnum periculum ei, quae baptizat, et ei, qui baptizatur. Si enim liceret a muliere baptizari, profecto Dominus ac magister noster a Maria matre sua baptizatus fuisset; baptizatus est autem a Ioanne, sicut et alii e populo. Nolite igitur vobis periculum struere, fratres et sorores, conversantes praeter legem evangelii » (Funk, I, 198 ss.). Eadem fere habent Constitutiones Apostolorum (ex fine saeculi 4), lib. 3 cap. 9. quae addunt cap. 10, quod neque laicus opus sacerdotale facere debeat, « sicuti sacrificium, vel baptisma, vel impositionem manus, vel benedictionem » (Funk, pag. 201).

117. S. Epiphanius, *Haeres.* 79, agens contra Collyridianos, qui B. Virgini sacrificium offerunt, ostendit, numquam ex quo mundus conditus sit, sacerdotio functam esse mulierem, quod ostendit ex Vetere Testamento, et deinde ex Novo Testamento: « Atque ut ad Novum Testamentum accedamus, si sacerdotium

mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam praestare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariae illud in Novo Testamento committi sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo regem omnium, ac caelestem Deum, Deique Filium exciperet; cuius uterus velut templum ac domicilium ad divini Verbi Incarnationem singulari est benignitate Dei magno ac stupendo mysterio praeparatus. Verum longe Deo aliter est visum, ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta, cum alioquin tingi ab illa Christus potius quam ab Ioanne potuisset » (MG 42, 743).

118. S. Hieronymus, *Dial. contra Luciferianos*, 9: « Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et episcopi iussione neque presbyter neque diaconus ius habeant baptizandi. Quod frequenter, si tamen necessitas cogat, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita et dare potest » (ML 23, 16; R 1359). S. Augustinus, *Contra epistulam Parmeniani*, lib. 2 cap. 13 nr. 29: « Quamquam etsi laicus aliqua pereuntis necessitate compulsus dederit (baptisma), quod, cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio utrum quisquam pie dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Sed et si nulla necessitate usurpetur et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum » (ML 43, 71; R 1618).

119. S. Isidorus. *De ecclesiasticis officiis*, lib. 2 cap. 25 nr. 8 s.: « Illud vero, quod nec privatis nec clericis baptizare liceat, nisi tantum sacerdotibus, in Evangelio legimus sanctis apostolis tantum permissum, Iesu post resurrectionem dicente: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Et cum hoc dixisset, inspiravit et ait: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Et in alio loco: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Unde constat bap-

tisma solis sacerdotibus esse tractandum, eiusque ministerium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopo, vel presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris cogat necessitas: quod etiam et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de saeculo evocetur » (ML 83, 822).

Theologi, ut patet, in hac re consentiunt; rationem, cur Christus ita ordinaverit indicant imprimis summam necessitatem baptismi; cf. s. Thomas, 3 qu. 67 art. 3 et 4.

THESIS 8: Post evangelium promulgatum baptismus in re vel saltem in voto omnibus hominibus necessarius est ad salutem necessitate medii hypothetica.

120. Thesis agit de necessitate baptismi recipiendi et quidem de necessitate ad salutem consequendam. Salutem non consequitur, nisi qui liber est a peccatis et ornatus gratia; si ergo baptismus necessarius est ad salutem, sine baptismo homo manet in peccato, sive solo originali, sive originali et personali, manet privatus gratia.

Necessitas baptismi non est sola necessitas praecepti, sed *necessitas medii*. Haec necessitas competit ei, quod est medium necessarium ad consequendum aliquem finem, vel sine quo finis obtineri nequit. Talis necessitas oritur ex relatione necessaria, ex nexu vel influxu necessario, qui inter tale medium et talem finem intercedit. Huiusmodi nexus necessarius potest adesse ex ipsa natura rei; sed potest talem nexum Deus etiam libera ordinatione statuere, et ita est de necessitate baptismi: Deus positive ordinavit, ut salutem homo consequi non possit, nisi adhibendo hoc medium.

Alia a necessitate medii est *necessitas praecepti*, quae oritur ex imperio superioris et consistit in obligatione morali subditi exequendi hoc superioris praeceptum. Cum obligatio moralis non adsit in eo, qui invincibiliter praeceptum ignorat, et cum ea cesset in casu impossibilitatis, ignorantia invincibilis et impossibilitas excusant ab eis, quae sunt necessaria necessitate praecepti; talis autem excusatio locum habere non postet in iis, quae sunt necessaria necessitate medii. Necessitas praecepti so-

lum spectat adultum; necessitas vero medii potest etiam spectare ad infantem.

Quod est necessarium necessitate medii, potest simul necessarium esse necessitate praecepti, si ipse finis, ad quem obtinendum hoc medium est necessarium, est finis a superiore praeceptus. Ita est in baptismo. Ex voluntate Dei homo tendere debet in salutem; si quis salutem consequi nollet, hac sua voluntate peccaret. Si autem homo ex praecepto divino tendere debet in salutem, debet quoque ex praecepto divino adhibere medium necessarium a Deo ordinatum ad hunc finem consequendum.

Necessitas medii est absoluta, si nullo alio medio suppleri potest; e. gr. status gratiae ad ingressum in caelum; est hypothetica, si in quibusdam circumstantiis suppleri potest alio medio. Talis est necessitas baptismi, qui suppleri potest martyrio, quod propterea vocatur *baptismus sanguinis*.

121. Necessitas medii ad salutem asseritur in thesi de baptismo in re (i. e. actu recepto), vel saltem in voto. *Votum* baptismi est voluntas, desiderium recipiendi baptismum; sed non quodlibet desiderium, sed illud, quod vel cum actu perfectae caritatis explicite coniunctum est (votum explicitum), vel quod in actu perfectae caritatis necessario includitur (votum implicitum). Hoc votum implicitum baptismi in actu perfectae caritatis hominis non baptizati necessario includi patet. Nam qui talem actum elicit, sincere vult omnia facere, quae in praesenti ordine ex voluntate Dei sibi facienda sunt; necessario vult omnia ea media adhibere, quae ad salutem acquirendam necessaria sunt; tale autem medium est praecise baptismus; ergo in praesenti ordine actus caritatis perfectae in non baptizato haberi nequit, quin includat voluntatem recipiendi baptismum, i. e. votum baptismi. Votum baptismi explicitum potest solum esse in eo, qui scit baptismum esse medium necessarium ad salutem; votum autem implicitum potest inveniri etiam in eo, qui nihil de baptismo audivit.

Baptismus in voto ergo intelligitur actus caritatis perfectae in homine non baptizato. Actum perfectae caritatis hominem iustificare ante actualem receptionem sacramenti, probatur in

tractatu de sacramento poenitentiae, idque hoc loco supponitur. Quia actus caritatis perfectae iustificat, et sic in non baptizato effectum baptismi, remissionem peccatorum et infusionem gratiae obtinet, vocatur et ipse baptismus et quidem *baptismus flaminis* sive Spiritus (flamen = spiritus, flare = spirare), nam in hoc « baptismo » effectus baptismi confertur solo Spiritu sancto, sine « aqua » i. e. sine signo sacramentali. Voto autem baptismi, sive explicito sive implicito, non omnes effectus baptismi re suscepti obtinentur, sed solum remissio peccatorum et infusio gratiae.

122. Necessitas baptismi asseritur in thesi *pro omnibus hominibus*, adultis et infantibus. Cum infantes incapaces sint voti baptismi, necessarius illis est baptismus re collatus (de conditione infantium sine baptismo morientium agitur in tractatu de peccato originali).

123. Universalis necessitas baptismi asseritur in thesi verbis concilii Tridentini « *post evangelium promulgatum* » [19]. Promulgatio evangelii incepit die Pentecostes. Haec autem promulgatio, ita hodie theologi communiter (aliter tamen Pohle-Gierens, *Lehrbuch der Dogmatik*, 1933, III, 141), nondum reddidit baptismum necessarium omnibus hominibus totius mundi, sed promulgatio non eodem tempore in omnibus regionibus, sed successive facta est. « Quando autem facta sit promulgatio sufficiens et alia remedia abrogata, ita pendet a morali aestimatione hominum, ut nihil certi et determinati statui posse videatur... Sufficiat hic notare secundum communem theologorum sententiam iam per multa saecula promulgationem sufficienter factam esse pro toto orbe terrarum » (Pesch, *Praelectiones dogmaticae*, VI, 417). Si autem promulgatio in toto mundo nunc iam facta est, sequitur, ut nullae exsistant gentes vel tribus, quae adhuc vivant sub disciplina legis naturae; consequenter

---

[19] De mente priorum scholasticorum vide L. Ott, *Untersuchungen zur theologischen Briefliteratur der Frühscholastik* (Bäumker, Beiträge 36). Münster 1937, 499-507).

absolute cessavit remedium legis naturae, quo infantes a peccato originali liberari poterant. D'Alès (*De baptismo et confirmatione*, pag. 142 s.) dicit: « Nunc autem communius distinguunt (theologi) condicionem adultorum et infantium. Adultos negant salvos esse posse sine fide implicita Redemptoris; ad infantes quod attinet, statuunt in unaquaque regione antiqua auxilia tum demum abolita esse cum in illa regione promulgatio Evangelii potuit censeri moraliter facta. Unde sequitur in illis regionibus quae adhuc carent promulgatione Evangelii nullam intervenisse de infantibus mutationem: non enim videtur pertinere ad Dei benignitatem ut condicio illorum infantium per adventum Domini facta sit peior... ». Haec quaestio in thesi non determinanda est. Sensus thesis est: Ubi promulgatio evangelii facta est, ibi baptismus est ad salutem necessarius.

124. Negant thesim *pelagiani*, secundum quos baptismus non est necessarius ad consequendam vitam aeternam, sed ad intrandum in regnum coelorum. Inter novatores saeculi 16, necessitatem baptismi ad salutem negavit *Zwingli*; baptismus est symbolum externum, quo homo dat nomen ecclesiae. Secundum *Calvinum* filiis fidelium non imputatur peccatum originale; sine baptismo sunt sancti, et si moriuntur, salvantur. De his vide Bellarminum *De Baptismo*, cap. 4. Secundum *modernistas* necessitas baptismi inducta est a communitate christiana (Denz 2042).

Doc. Ecclesiae

125. Conc. Carthaginense (418): « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos neget... a. s. » (Denz 102). S. Innocentius I, epist. 30, 5: « Illud vero, quod eos (Pelagianos) vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant

hos habere quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum » (ML 20, 592; R 2016). S. Leo I, *epist.* 21, 10: « Quia per primi hominis praevaricationem tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse a condicione veteris hominis liberari nisi per sacramentum baptismatis Christi » (ML 54, 685; R 2181).

126. Gelasius I, *epist.* 7: « De parvulis autem, quod asserit (haeresis Pelagiana) sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est; quamvis enim recentes ab utero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod utique non fallaciter, sed veraciter catholica celebrat ecclesia, ne in sacramentis caelestibus (quod absit) mentita videatur; proinde quia propria non habeant ulla peccata, constat eis sola prorsus originalia relaxari. Itaque omnibus etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur aeternam; consequens est, ut solis etiam non remissis, ad aeternam vitam pervenire non possint. Unde et Dominus, sicut superius diximus, ait (quod utique nisi baptizatis non convenit): Qui non manducaverit carnem Filii hominis et biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso; sine vita autem esse perpetua, quid est nisi in sempiterna morte constitui? quamvis idem sit regnum caelorum quod aeterna vita, tamen, ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est: Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum caelorum; sed etiam pariter dictum est: Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso. De vita autem aeterna hoc dictum nullus addubitat; quoniam multi non manducantes hoc sacramentum, vitam habere videantur praesentem. Nihil est ergo quod dicant, quod non renati infantes, tantummodo in regnum caelorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniantur, dum sine baptismate corpus et sanguinem Christi nec edere valeant, nec potare; sine autem hoc vitam in semetipsis habere non possunt, sine vita vero non nisi mortui sint futuri » (ML 59, 37 s.). S. Gregorius I, *Epist.* lib. 9, ep. 52: « Illud incertum non est,

quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta » (ML 77, 990). S. Leo IX, *Symbolum fidei*: « Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, et absque baptismate originali peccato obnoxiam, credo et praedico » (Denz 348).

127. Innocentius II: « Inquisitioni tuae taliter respondemus: Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse (litteris tuis) significasti, quia in sanctae matris ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et caelestis patriae gaudium esse adeptum (ex auctoritate sanctorum patrum Augustini atque Ambrosii) asserimus incunctanter » (Denz 388). Innocentius III: Parvulis non inutiliter baptismus confertur: « Per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, et ad regnum caelorum etiam pervenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit. Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem » (Denz 410). « Sane... intimasti, quod quidam Iudaeus in mortis articulo constitutus, cum inter Iudaeos tantum exsisteret, in aquam seipsum immersit dicendo: Ego baptizo me in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Respondemus, quod, cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur evidenter, dicentis apostolis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine etc., memoratus Iudaeus est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, et alius, qui baptizat... Quamvis, si talis continuo decessisset, ad caelestem patriam protinus evolasset propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum » (Denz 413).

128. Concilium Florentinum, *Decretum pro Armenis*: « Cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu sancto renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum caelorum introire » (Denz 696). *Decretum pro Iacobitis*: « Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio

subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet, non esse... sacrum baptisma differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri; ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem » (Denz 712).

129. Concilium Tridentinum [20], sess. 5 can. 4 assumit ea, quae habet conc. Carth. (supra nr. 125), et addit: « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei » (Denz 791). Sess. 6 cap. 4: « Quae quidem translatio (scl. ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei) post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei » (Denz 796). Sess. 7 can. 5: « Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem: anathema sit » (Denz 861). Sess. 14 cap. 2: « Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus » (Denz 895). Benedictus XIV, *Professio fidei orientalibus praescripta* (1743): « Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque et quandocumque sub debita materia et forma et intentione collatum esse validum » (Denz 1470). Decret. Lamentabili, prop. 42: « Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes annectens » (Denz 2042).

S. Scriptura

130. *Io* 3, 3 Dominus dicit: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei », id quod recte intelligitur, non potest particeps fieri regni Dei (cf.

---

20 Paulus Hörger O.S.B., *Concilii Tridentini de necessitate baptismi doctrina in decreto de iustificatione (sess. 6)*. Roma, 1942.

Luc 2, 26: videre mortem = mori; *Act* 2, 27. 31; 13, 35: videre corruptionem = experiri corruptionem, corrumpi). Deinde vers. 5: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ». Formula loquendi negativa aequivalet exclusivae: unica via introeundi in regnum Dei est per baptismum. Qui autem in regnum Dei non intrat, non pervenit ad salutem. Non possidere regnum Dei est excludi ab aeterna beatitudine, a vita aeterna: 1 *Cor.* 6, 9 s.; *Gal* 5, 19 ss.; *Eph* 5, 5. *Mc* 9, 46 opponitur « introire in regnum Dei » et « mitti in gehennam ignis ». Potestatem filios Dei fieri dedit Verbum iis, qui ex Deo nati sunt (*Io* 1, 13).

Si ostendi potest, hanc necessitatem valere etiam pro infantibus, constat agi de necessitate medii, cum necessitas praecepti pro illis non exsistat. Difficultas autem hoc probandi est ex simili forma, qua Dominus loquitur de necessitate manducandi suam carnem et bibendi suum sanguinem (*Io* 6, 54). Est quidem differentia aliqua, quatenus Dominus loquens de baptismo dicat in tertia persona: Si quis...; in sermone eucharistico autem alloquitur eos, qui sermonem audiunt et intelligere possunt, i. e. adultos: nisi manducaveritis..; quae differentia etiam in concilio Tridentino notata est, cum ageretur de necessitate Eucharistiae pro infantibus. Hanc tamen differentiam non omnes agnoscunt sufficientem. « Utrum autem haec necessitas sit medii an praecepti tantum, ex sola grammatica forma verborum erui non potest (cf *Io* 6, 54) ». (Pesch, *Prael. dogmaticae*, VI, 440). Ex traditione autem certum est, verba *Io* 3, 5 intelligenda esse etiam de infantibus, proinde illis enuntiari necessitatem medii.

131. Sed opponitur 1 *Cor* 7, 14: « Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt ». Ergo videntur filii christianorum ad salutem consequendam non indigere baptismo. Hoc fortasse probaretur ex textu s. Pauli, si « sanctus », « sanctificare » significare posset solam sanctificationem internam. Certo autem sensus verborum s. Pauli non est, mulieri infideli per matrimonium

cum viro christiano remitti peccata et infundi gratiam et virtutes supernaturales. Ad hunc effectum consequendum etiam talis mulier baptizanda est. Sensus verborum s. Pauli est: In matrimonio pars christiana non debet dimittere partem non christianam, si haec consentit habitare cum illa; nam pars infidelis non est consideranda immunda ita ut propter hanc immunditiam separatio necessaria sit. Si enim ita esset, etiam filii christianorum ante baptismum considerandi essent immundi, et consequenter parentes se deberent ab iis separare, quod tamen nemo affirmat; sed isti filii sunt « sancti ». Sicut infantes propter intimam coniunctionem cum parentibus vel cum parente christiano aliquam sanctitatem externam habent, ita quoque pars infidelis intima coniunctione matrimoniali cum parte christiana sanctitatem aliquam externam habet.

Patres

132. Tertullianus, *De baptismo*, 12: « Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam » (CV 20, 210; R 306). Origenes, *In Leviticum hom.* 8, 3: « Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causae sit, cum baptisma ecclesiae pro remissione peccatorum detur, secundum ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismum dari; cum utique si nihil esset in parvulis quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur » (MG 12, 496; R 496). Idem, *In ep. ad Romanos* 5, 9: « Numquid nuper editus parvulus peccare iam potuit? Et tamen habet peccatum pro quo hostia iubetur offerri a quo mundus negatur quis esse, nec si unius diei fuerit vita eius. De hoc ergo etiam David dixisse credendus est illud quod supra memoravimus, quia in peccatis concepit me mater mea. Secundum historiam enim nullum matris eius declaratur peccatum. Pro hoc et Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae

per aquam et Spiritum ablui deberent » (MG 14, 1047). S. Cyprianus, *epist.* 64, 5: « Si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur et a baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria sed aliena peccata » (CV 3, 720; R 586).

133. S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 3, 10: « Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum accipiunt » (MG 33, 440; R 811). S. Basilius, *Homil. in sanctum baptisma* 2: « Iudaeus circumcisionem non differt propter comminationem illam: Omnis anima, quae non circumcidetur die octavo, peribit de populo suo: tu vero circumcisionem non manu factam, sed quae per baptisma in exspoliatione carnis perficitur, differs, posteaquam Dominum ipsum audivisti: Amen, amen dico vobis, nisi quis natus fuerit per aquam et Spiritum, non intrabit in regnum Dei... Adoras eum, qui pro te mortuus est? Sine igitur una cum ipso sepeliri te per baptisma. Si ei non fueris insertus per similitudinem mortis eius, quomodo resurrectionis eris socius? ... Israel, nisi transisset mare, a Pharaone seiunctus non fuisset: tu quoque nisi per aquam transieris, ab amara diaboli tyrannide non separabere. Non bibisset utique ille ex spirituali petra, si non fuisset per figuram baptizatus: neque tibi dabit quisquam potum verum, nisi fueris vere baptizatus. Comedit ille panem angelorum post baptisma: tu vero quomodo comedes vivum panem, nisi prius baptisma susceperis. Ingressus est ille ad terram promissionis propter baptisma; tu vero quomodo reverteris in paradisum, nisi sis baptismate obsignatus? An non nosti flammeum gladium ad custodiendam viam ligni vitae appositum fuisse, incredulis quidem horrendum et flammantem, credentibus vero accessu facilem et iucunde coruscantem? Immo versatilem illum fecit Dominus; cum enim fidelem viderit, ter-

ga dat; cum vero quempiam non obsignatum, aciem obvertit » (MG 31, 427).

134. S. Gregorius Nazianzenus, *Oratio* 40, *In sanctum baptisma*, 23, varias classes hominum indicat, qui non assequuntur baptismum. Inter eos « alii ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum prorsus et violentum aliquem casum, quo efficitur, ut ne cupientibus quidem gratia potiri liceat ». De his exsistimat, futurum esse, ut « nec caelesti gloria, nec suppliciis a iusto iudice afficiantur, utpote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur; quemadmodum ne quisquis honore indignus est, statim etiam poenam promeretur » (MG 36, 390). S. Chrysostomus, *In epist. ad Philipp. homil.* 3, 4: « Luge infideles, luge eos qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt; hi vere lamentis digni, hi lacrimis; extra regiam sunt una cum iis, qui poenae sunt obnoxii, una cum damnatis. Amen dico vobis, nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum caelorum » (MG 62, 203; R 1206).

135. S. Ambrosius, *De Abraham*, lib. 2 cap. 11, nr. 79: « Nemo ascendit in regnum caelorum, nisi per sacramentum baptismatis » (ML 14, 494; R 1323); nr. 84: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate. Habeant tamen illam opertam poenarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem » (ML 14, 497; R 1324). *De obitu Valentini consolatio*, 51: « Sed audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atque etiam dudum hoc voti habuit, ut, et antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo prae ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam quam desideravit? Non habet quam poposcit? Certe, quia

poposcit, accepit. Et unde illud est: Iustus quacumque morte praeventus fuerit, anima eius in requie erit (Sap. 4, 7)? » (ML 16, 1374; R 1328). *De mysteriis*, cap. 4 nr. 20: « Credit autem etiam catechumenus in crucem Domini Iesu, qua et ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire » (ML 16, 394; R 1330).

136. S. Augustinus, *Epist.* 166, 7: « Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra Apostoli praedicationem venit et totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse » (ML 33, 730; R 1439). *Sermo* 294: « Parvulus, inquiunt (Pelagiani), etsi non baptizetur, merito innocentiae, eo quod nullum habeat omnino nec proprium nec originale peccatum, nec ex se nec de Adam tractum, necesse est, aiunt, ut habeat salutem et vitam aeternam, etiamsi non baptizetur; sed propterea baptizandus est, ut intret etiam in regnum Dei, hoc est, in regnum caelorum... Ergo est vita aeterna extra regnum caelorum? (3, 3) Primus hic error aversandus ab auribus, exstirpandus a mentibus. Hoc novum in ecclesia prius inauditum est: esse vitam aeternum praeter regnum caelorum, esse salutem aeternam praeter regnum Dei » (ML 38, 1336; R 1525). *De baptismo*, lib. 4 cap. 22 nr. 29: « Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso. non leve documentum idem beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest » (ML 43, 173; R 1630); cf. cap. 21 nr. 28 (ML 43, 172, R 1629). *De peccatorum meritis et remissione*, lib. 1 cap. 20 nr. 27: « An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius et sangui-

nis in se habere vitam, quia non ait: Qui non manducaverit, sicut de baptismo: Qui non renatus fuerit; sed ait: Si non manducaveritis, velut eos alloquens, qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia, nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam aetas maior id curat » (ML 44, 124; R 1716). *De anima et eius origine*, lib. 3 cap. 9 nr. 12: « Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus » (ML 44, 516; R 1881). Lib. 4 cap. 11 nr. 16: « Quod apertissime Apostolum video docuisse, simpliciter teneo: ex uno homine omnes homines ire in condemnationem qui nascuntur ex Adam, nisi ita renascantur in Christo, sicuti instituit ut renascantur, antequam corpore moriantur, quos praedestinavit ad aeternam vitam misericordissimus gratiae largitor » (ML 44, 533; R 1882).

137. S. Prosper, *De vocatione omnium gentium*, lib. 2 cap. 8: « Neque credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium » (ML 17, 1120). S. Fulgentius, *De fide ad Petrum*, cap. 3 nr. 41: « Ex illo tempore quo Salvator noster dixit: Si quis renatus non fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, absque sacramento baptismatis, praeter eos qui in ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum caelorum potest quisquam accipere nec vitam aeternam » (ML 65, 692; R 2269); cf. cap. 27 nr. 68 (ML 65, 701; R 2271).

Theologi

138. Theologi in hac quaestione conveniunt. [21] Sed cum ex necessitate medii baptismi sequatur, ut infantes sine baptismo

[21] A. Landgraf, *Das Sacramentum in voto in der Frühscholastik* Mélanges Mandonnet. Paris 1930, II, 97-143. L. Ott, *Untersuchungen zur theologischen Briefliteratur der Frühscholastik* (Bäumker, Beiträge 36). Münster 1937, 507-527.

valide recepto excludantur a salute, quae conclusio durior iis videbatur, aliqui theologi putaverunt, fortasse possibiles esse alias vias, quibus illi infantes salvarentur. Aliqua ad hanc quaestionem spectantia inveniuntur apud theologos saeculi 13., cum ageretur de necessitate intentionis in ministro sacramenti. Si enim intentio ad valorem requiritur, ex defectu huius intentionis in ministro subiectum baptismi sine propria culpa grave damnum pati potest. Ad quod respondet Alexander Halensis in adultis saluti sufficere praesumptionem de intentione simul cum propria fide et intentione subiecti; de infantibus autem, quando minister non habet intentionem, dicit: « Respondeo sine praeiudicio quod in casu isto pie supponi potest, quod summus sacerdos supplebit » (*Summa theologica*, p. 4, q. 8, m. 3 a. 1 § 1; vide *De sacramentis in genere*, nr. 122). Similiter s. Bonaventura: in tali casu in adultis fides interior supplet, et in parvulis pium est credere quod summus sacerdos suppleat; si tamen non faciat, iuste facit (In 4 dist. 6 p. 2 art. 2 q. 1; *De sacr. in genere*, nr. 126). S. Thomas non quidem reprobat talem opinionem, sed magis determinat hoc dici posse solum de effectu baptismi, qui est iustificatio, non vero de charactere; sed ipse tamquam meliorem eligit sententiam, in qua talis casus exclusus est, scl. sententiam quae dicit intentionem ecclesiae verbis ministri necessario expressam sufficere ad valorem baptismi (3, q. 64 a. 8; *De sacr. in genere*, nr. 129). Hervaeus Natalis: Si deest intentio requisita, « pietas divina suppleret in parvulo, et in adulto fides propria » (In 4 d. 6 q. 3; *De sacr. in genere*, nr. 132). Idem docet Durandus: « Si non intenderet (minister), nullum periculum ex hoc immineret baptizato, quia in adultis fides et devotio suppleret vicem baptismi, in parvulo autem pie creditur quod summus sacerdos Christus supplet illud quod malus minister omisit quantum ad hoc quod salutem consequeretur, quia quantum in offerentibus puerum fuit, Christum sacramentaliter induit » (In 4 d. 6 q. 2; *De Sacr. in genere*, nr. 137).

139. Hi ergo theologi (excepto s. Thoma) concedunt infantes fortasse salvari sine baptismo valide recepto. Supponunt autem, baptismum invalidum sine culpa eorum, qui infantem bap-

tizandum obtulerunt eosque defectum valoris non potuisse cognoscere; proponunt opinionem suam non ut absolute certam, sed « pie credi potest ».

140. Sed quid de infantibus quibus ritus baptismalis omnino non applicatur vel applicari non potest (in utero matris inclusis)? Ad ostendendum eos quoque fortasse salvari posse, varia ab aliquibus theologis excogitata sunt. (De his vide STOCKUMS, *Das Los der ohne die Taufe sterbenden Kinder*. Freiburg 1923, 88-107). Ita secundum DURANDUM sanctificatio a culpa originali secundum legem communem est mediante sacramento baptismi; sed alia est secundum specialem dispositionem ex speciali gratia Dei immediate sine sacramentis; et ita possent salvari infantes inclusi in utero matris (In 4 d. 6 q. 1). IOANNES GERSON procedit ex eo, quod gratia et salus non necessario alligata sunt sacramentis, et propterea dat parentibus consilium orandi ut « dignetur ipsum (puerum) Dominus Iesus, summus pontifex, baptismo Spiritus sancti praeveniendo misericorditer consecrare » (*Sermo in Nativ. B. M. V.*, consid. 2. Opera, Antverpiae 1706, tom. 3 pag. 1350). Animadvertit tamen, cum revelatio de hac re nihil determinate doceat, rem non esse certam. GABRIEL BIEL putat pro infantibus in utero inclusis, qui baptismi sunt incapaces, debere esse aliquod remedium; ecclesia non manifestat in quo consistat. « Voluit itaque (Dominus) remedia instituere contra morbum peccati in ecclesia per sacramenta dispensanda his, qui noti esse poterant ecclesiae. Eorum vero, qui nondum in lucem notitiae prodierunt, remedia in sua potestate sola constituit, quos cum voluerit sine exteriore remedio et sanctificare et salvare potest » (In 4 dist. 4 q. 2 dub. 2).

141. Celebris in hac quaestione facta est sententia cardinalis CAIETANI, qui in comm. in 3 q. 68 art. 2 scribit: « Circa duos primos articulos hoc solum non irrationabiliter occurrit dicendum, quod in casu necessitatis ad salutem puerorum sufficere videtur baptismus in voto parentum: praecipue cum aliquo exteriori signo. Moveor autem ad hoc primo ex auctoritate *Gregorii* dicentis...: Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc

egit apud veteros vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt mysterium circumcisionis. Hinc enim arguo. Fides sola veterum non fuit maioris virtutis apud veteres quam apud nos. Ac per hoc, non plus potuit, necessitatis urgente articulo, subvenire tunc quam nunc. Sed tunc, deficiente parvulis proprio salutis auxilio, parentum fides pro parvulo sola sufficiebat. Ergo nunc, quando parvulo deest proprium salutis remedium, quod est baptisma, sola parentis fides, parvulum Deo offerens, sufficit ad salutem parvuli. Nec obstat si dicatur quod apud veteres fides parentum erat proprium remedium parvulorum; nunc autem, adveniente Christo in carnem, institutum est sensibile sacramentum in proprium parvulorum remedium. Hoc, inquam, non obstat. Quoniam duobus exsistentibus, scl. fide et fidei sacramento, operanti apud veteres fidei adiunctum nostro tempore fidei sacramentum sub ratione possibilis intelligimus, non ut fidei virtutem solvat, sed adimpleat. Et propterea, quando impossibilitas sacramentum fidei excludit, virtuti fidei locus relinquitur. Et sic parvulus ex baptismo fluminis voto parentis suscepto salvaretur, si impossibile esset ipsum baptizari aqua. Debet autem in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et confirmatur hoc ex salute parvulorum tempore circumcisionis ante octavum diem morientium. Nam tales, secundum probabiliorem opinionem, moriebantur incircumcisi, ut patet de fratre Salomonis; et tamen salvabantur per benedictionem seu oblationem aliquam. Quoniam ex lege circumcisionis non sunt redditi mares deterioris conditionis quam feminae, quas constat ante octavum diem potuisse consequi remedium contra peccati originalis maculam. Sicut igitur incircumcisi tunc infantes, propter impossibilitatem circumcisionis, in fide parentum salvari poterant, ita nunc non baptizati. Nihilque hic aut ibi sequitur adversus divinam legem sane intellectam ».

142. Ad art. 11: « In articulo undecimo occurrit scribendum, et consequenter dicendum, sub correctione tamen, par-

vulos in maternis uteris periclitantes posse salvari; sicut superius diximus de infantibus qui non possunt baptizari. Posse autem salvari dico per sacramentum baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis. Moveor autem ad hoc duplici ratione. Una est, rationabile esse ut divina misericordia providerit homini in quocumque naturali statu de aliquo remedio salutis, ita ut nullum reliquerit statum potentem allegare impossibile esse sibi salutis remedium. Esset autem sine omni remedio derelictus status morientium in utero, nisi parentum fides illis posset subvenire; salus enim quae potest a Deo infanti in utero conferri ex speciali privilegio, non spectat ad remedium illius status, quoniam infra ordinem divinorum miraculorum concluditur. Secundo, ex eo, quod status ille est capax baptismi sanguinis. Si enim propter Christum infans in utero occideretur, martyr esset, non minus quam Innocentes. Rationabile siquidem videtur parentum fidem posse optando perducere ad id ad quod corporalis passio infantem ducit. Quocirca caute et irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam aegritudinem vel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur: et causae discussio deinde divino reservaretur tribunali. Quis scit si divina misericordia huiusmodi baptismum in voto parentum acceptet: ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas sacramenti executionem excludit? ».

143. In concilio Tridentino a theologis damnandus propositus est articulus: « Pueros in uteris maternis per invocationem Trinitatis et benedictionem salvari ». Ita introducta erat opinio Caietani in discussiones concilii; plures Patres erant contrarii, quamvis pauci eam aliqua ratione tuebantur. Cum formarentur canones, hic articulus omissus est hac addita ratione: « quia non videtur pertinere ad baptismum ». Concilium ergo opinionem Caietani neque damnavit, neque ullo modo approbavit, sed quaestionem reliquit in eo statu, in quo erat ante concilium [22]. In editione operum s. Thomae, Romae 1570, iussu

[22] Umberg, *Kajetans Lehre von der Kindererſatztaufe auf dem Trienter Konzil*. Zeitschr. für kath. Theologie 39 (1915) 452-464.

Pii V. facta, commentarii Caietani ad art. 2 et 11 omittuntur. Theologi communiter eam reiiciebant. Dominicus Soto de sententia pueros natos posse salvari sine baptismo aquae ait: « Quod sit aliud ordinarium remedium divinitus institutum, manifesta haeresis est » (In 4 dist. 5 quaest. unica art. 2; Venetiis 1570, I, 97*v*). De sententia autem, pueros in utero matris inclusos posse eo modo ut Caietanus dixit salvari, iudicat: « Est autem opinio, quam fateor me noluisse apud Caietanum reperire. Etenim ut singularis eius est, ita (ut cum omni reverentia eius loquar) vix potest a temeritate defendi. Est enim peior etiam quam altera de pueris natis. Nam illius non defuerunt qualescumque auctores; huius autem reperitur nemo, qui illam ausus fuerit asserere » (ibidem pag. 114). Toletus ait: « quantum ego puto, non potest excusari a temeritate et errore in fide » (In 3 qu. 68 art. 2; Romae 1870, 71; cf. pag. 74: falsum et contra fidem). Suarez: « Castro lib. 3 contra haereses, verbo baptismus, haeresi 9, sententiam Caietani ut haereticam damnare videtur, et revera est valde aliena a sensu et dogmatibus ecclesiae, et ideo, ut minimum, est temeraria et errori proxima » (*De baptismo* disp. 27; Moguntiae 1599, 307).

144. Similem sententiae Caietani proposuit Bianchi, *De remedio aeternae salutis pro parvulis in utero matris clausis sine baptismate morientibus.* Venetiis 1768. H. Vosen, *Der Katholizismus und die Einsprüche seiner Gegner*, Freiburg 1866, distinguit sacramentum baptismi et gratiam baptismi, quae non necessario alligata sit ipsi sacramento; verba autem, quae loquuntur de necessitate baptismi, intelligenda esse de gratia baptismi, non necessario de ipso sacramento. Klee, *Katholische Dogmatik*, Mainz 1841, 158 ss. putavit infantes, qui baptismum non receperunt, in momento mortis habere claram cognitionem veritatum ad salutem necessariarum, et posse actu proprio libero se decidere pro Deo et ita salvari; in tali actu inclusum esset votum baptismi. Haec sententia aliquibus placuit, et ut probabilis recepta erat in catechismo dioecesis Luxemburgensis (Luxemburg, 1879, 283). *Stockums* (pag. 103) de ea iudicat, fundamentum eius theologice vix esse improbandum, cum nihil

aliud dicat quam specialem baptismum flaminis, auctoritatem ecclesiasticam eam non notasse, et cuicumque liberum esse eam amplecti. Sed postquam rationes quae contra eam sunt exposuit, concludit (pag. 105): « Fasst man alle diese Schwierigkeiten, die sich bei näherem Zusehen aus der Theorie Klees ergeben, zusammen, so wird man weit davon entfernt bleiben müssen, ihr restlos zuzustimmen ». SCHELL, *Katholische Dogmatik*, Paderborn, 1893, III, 474 ss. remedium pro infantibus, qui sine baptismo moriuntur, videt in ipsa praematura eorum morte, eamque considerat quasi sacramentum, baptismum passionis, et comparat cum martyrio. Cum aliqua opera Schell in indicem librorum prohibitorum referrentur, inter alia notatum est: « Reprehenditur audacior et temerarius modus loquendi Dris Schell, quo... necessitatemque baptismi ac extremae unctionis nimis deprimit, dum efficaciam quasi sacramentalem mortis atque dolorum plus aequo exaggerat » (COMMER, *Die jüngste Phase des Schellstreites*. Wien 1909, 272 s.).

THESIS 9: Sacramentum baptismi suppleri potest martyrio.

145. Μαρτυς est testis. Apostoli sunt testes eorum, quae Christus fecit et docuit; ut testes Christum eiusque doctrinam aliis debent annuntiare: *Luc* 24, 48; *Act* 1, 8; 5, 32; 26, 16 (22, 15). Modo speciali martyres vocantur ii, qui ut testes pro Christo et eius doctrina subierunt mortem: *Act* 22, 20; *Apoc* 2, 13; 17, 6.

Μαρτυριον est testimonium, id quod aliquis ut testis dicit (1 *Cor* 2, 1; 2 *Thess* 1, 10), vel ipsa actio testandi: 2 *Tim* 1, 8: ne verearis testimonium reddere pro Domino nostro.

Sensu stricto martyrium nunc intelligitur « perpessio letalis cruciatus, in odium fidei vel ob virtutis christianae exercitium inflicti et patienter tolerati. Itaque tria requiruntur ad martyrium: *a*) debet infligi talis cruciatus, ex quo mors naturaliter sequatur, licet martyr non statim moriatur aut immo Deus miraculo mortem impediat; *b*) debet cruciatus infligi in odium christianae fidei vel virtutis, quia martyres non facit poena sed causa (S. Augustinus, Serm. 2 in Ps. 34 nr. 13; ML 36,

340); *c*) debet cruciatus patienter tolerari, unde, qui in sacro bello pugnans cadit, non est martyr » (PESCH, *Prael. dogm.* 6, 424).

146. Si unum ex his tribus deest, non habetur martyrium sensu stricto. Ergo qui se vi defendit contra eum, qui propter fidem vel virtutem infligere vult mortem, et qui in tali defensione moritur, meritorie quidem agit, sed non est martyr, quia non patienter mortem tolerat. Hanc patientiam laudat S. CHRYSOSTOMUS, *In Matth. hom.* 84 nr. 4: « Qui ad martyrium trahitur ita vincit, vinctus, flagellatus, concisus, iugulatus. Atque ut in bellis vinci dicitur is qui cadit, idipsum apud nos victoria est. Nusquam enim male agentes vincimus, sed ubique mala patientes. Tunc splendidissima victoria est, cum patiendo nocentes vincimus. Hinc ostenditur a Deo esse victoriam, quae naturam habet contrariam externae illi victoriae; idque maxime fortitudinis argumentum est. Sic marinae petrae percussae fluctus dissolvunt; sic sancti omnes celebrati victoriam retulerunt, splendidaque tropaea erexerunt, hanc non contentiose victoriam consecuti. Ne te moveas, inquit, nec defatigeris: Deus hanc tibi fortitudinem indidit, ut non ex congressu vincas, sed patiendo tantum. Ne aciem instruas, et victoriam referes; ne congrediaris, et coronaberis; longe fortior potentiorque es adversario tuo. Cur te dedecore afficis? ne des illi locum dicendi te congressum vicisse, sed relinque illum stupentem atque invictam virtutem tuam mirantem omnibusque dicentem te sine congressu vicisse » (MG 58, 756).

Neque illi qui destruendo idola vel alio modo persecutores contra se provocabant, et ita interfecti sunt, veri martyres habebantur; e contra fuga potius suadebatur, excepto casu quo fugere vel non aperte se offerre persecutoribus aequivalebat negationi fidei. S. AMBROSIUS, *De officiis* c. 37 nr. 186: « Quia in omnibus, quae agimus, non solum quid honestum, sed etiam quid possibile sit, quaerimus, ne forte aggrediamur aliquid, quod non possimus exequi. Unde nos tempore persecutionis de civitate in civitatem concedere, immo ut verbo ipso utar, fugere vult Dominus (*Matth* 10, 23), ne temere aliquis, dum martyrii desiderat

gloriam, offerat se periculis, quae fortasse caro infirmior aut remissior animus ferre ac tolerare non queat » (ML 16, 79). S. Thomas, 2, 2 qu. 124 art. 1 ad 3: Martyrium consistit « in debita sustinentia passionum iniuste inflictarum. Non autem debet homo occasionem dare alteri iniuste agendi; sed si alius iniuste egerit, ipse moderate tolerare debet ».

Eos, qui in bello ad defendendam veram fidem contra fidei hostes ceciderunt, ecclesia non colit ut veros martyres; ergo ne illi quidem secundum mentem ecclesiae videntur martyres esse sensu stricto; deest enim, quod patienter sustinent mortem. Minus adhuc ratio veri martyrii verificatur in iis, qui alio bello, licet iusto, pugnantes moriuntur, quia deest tyrannus, qui mortem minetur et infligat ad hunc finem, ut a fide vel virtute deficiant. (De hac quaestione vide Rackl, *Ist der Tod fürs Vaterland ein Martyrium?* Eichstätt 1917, et Biederlack, *Zeischrift für katolische Theologie* 41 (1917) 766-775).

147. Thesis dicit sacramentum baptismi suppleri posse martyrio, intelligendo martyrium sensu stricto. Supplet autem martyrium baptismum non quoad impressionem characteris, sed quoad remissionem omnis culpae et poenae, ita ut martyr post mortem non indigeat aliqua purgatione, sed statim consequatur aeternam beatitudinem. Ut autem in adulto martyrium hunc effectum habere possit, requiritur illa dispositio, sine qua nulla est iustificatio; ergo si commisit peccata personalia, retractatio peccati, dolor de peccatis. Haec autem dispositio invenitur per se in eo, qui vitam suam tradit pro Deo, ne desit obligationibus erga Deum, ne committat peccatum. Probabilius tribuenda est martyrio efficacia *quasi ex opere operato*, non per actum caritatis vel contritionis perfectae, sed ex speciali benevolentia divina. Sunt autem hac de re diversae sententiae theologorum.

148. Alexander Halensis, *Summa* qu. 8 m. 9 art. 3: « Similiter est de baptismo sanguinis: quando dolet de peccatis, et quod non fuerit baptizatus, gratia contritionis tollit quod mortale est, et passio in fide poenam omnem ». Art. 4: « In baptismo aquae culpa deletur, et omnis poena debita pro actuali,

et poena originalis. Hoc idem fit in martyrio: Ratione fidei, si esset culpa, deletur, et ratione fidei cum causa est augmentum gratiae et ratione poenae his coniunctae deletio omnis poenae. Et sic martyrium supplet vicem baptismi. Quod autem obiicitur de latrone, dicendum quod martyrium illius quantum erat de se, non erat completum, et quod non tota causa sanguinis ratio baptismi fuit in eo; sed duo concurrebant fides et poena, et adiungebatur contritio in articulo necessitatis. Ad cuius evidentiam nota, quod ad completum martyrium duo requiruntur, scl. iusta voluntas et iusta causa. Primum defuit in Innocentibus, secundum defuit in latrone. Unde neutrum martyrium de se fuit completum; sed sicut Dominus in Innocentibus supplevit quod defuit ex parte voluntatis, sic in latrone suppplevit quod deerat ex parte causae. Propter quod signanter dicit Hieronymus quod Christus homicidii poenam fecit esse martyrium; dicit enim *fecit* sic innuens, quod de se non fuit completum martyrium ». « Si autem quaeratur, unde habet martyrium quod tollat omnem poenam, poenitentia autem non, respondeo quod poena martyrii est maxima inter omnes poenas temporales, et ideo si adiungatur fides passionis Christi et imitatio passionis Christi, quantum potest, tollit omnem poenam debitam pro peccato ». Art. 5: Baptismus aquae « plures personas liberat, scl. parvulos et adultos, et a pluribus morbis, quia a peccato mortali et veniali; baptismus autem sanguinis liberat paucos, scl. adultos, et solum a veniali liberat, a mortali non, quia praesupponit caritatem, aliter nihil valeret ad salutem... Baptismus aquae... dat gratiam gratis datam scl. characterem et gratiam gratum facientem, quae disponit ad gloriam et praemium essentiale; baptismus autem sanguinis gratiam gratum facientem non tribuit, sed conservat, nec tribuit characterem per quem distinguitur anima et praeparatur ad gratiam. Sed utroque modorum praedictorum baptismus sanguinis excedit intensive, nam efficacius et melius liberat a malo culpae et poenae, quia omnem resecat, et secundum potentiam et secundum actum; similiter efficacius ordinat ad bonum, quia statim introducit ad gloriam et perfectiorem et gloriosiorem hoc baptismo baptizatus consequitur palmam, quam baptizatus alio ». Similiter S. Bona-

VENTURA, In 4 dist. 4 p. 2 a. 1 qu. 2, qui breviter comprehendit, quae Alexander art. 5 dixerat.

149. S. THOMAS non videtur plane eodem modo loqui in commentario in libros sententiarum et in Summa. In 4 dist. 4 qu. 3 art. 3 qc. 3: « Baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi, in quantum eam sacramentaliter repraesentat; baptismus autem sanguinis passioni Christi conformat realiter, non sacramentali repraesentatione, et ideo in his quae sacramentalia sunt baptismus sanguinis non supplet vicem baptismi aquae, sicut est impressio characteris et huiusmodi; sed in eo quod est res tantum, supplet totaliter vicem baptismi aquae, quando articulus necessitatis sacramentum excludit. Sicut enim in baptismo aquae liberatur homo ab omni culpa praecedente et poena, ita in baptismo sanguinis... Baptismo sanguinis non habet hoc tantum ex opere operante, neque quantum ad poenam qua aliquis martyrium excipit, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato, neque quantum ad devotionem iustae voluntatis, quia contingit quod voluntate maiori caritate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni poena liberari; sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, unde de martyribus dicitur *Apocal.* 7, 4: Laverunt stolas suas in sanguine agni; et ideo pueri quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur... Quamvis illa poena (martyrii) in se considerata non esset sufficiens ad liberandum ab omni poena peccati, tamen relata ad causam passionis accipit efficaciam a passione Christi, cui aliquis per talem poenam conformatur, et ex hoc ab omni poena absolvere potest ». Qc. 4: « Uterque baptismus habet efficaciam a passione Christi, secundum quod ei conformat. Et quia baptismus aquae conformat ei sacramentali significatione, baptismus autem sanguinis realiter, ideo quantum ad sacramentalia excedit baptismus aquae, sicut est impressio characteris et huiusmodi; sed quantum ad ea, quae sunt res sacramenti, excedit baptismus sanguinis, quia et gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti, et amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit; et remissio peccatorum, quamvis

non sit plenior, quia uterque omnem poenam et culpam tollit, tamen est in baptismo sanguinis efficacior et fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, ut Damascenus dicit... Quod enim quidam dicunt, quod in baptismo sanguinis gratia non confertur, apparet falsum esse in pueris, qui pro Christo occiduntur, et etiam in adultis, quibus potest in ipso actu passionis gratia dari, sicut et in baptismo aquae, si se ad eam disposuerint et obicem aliquem non ponant Spiritui sancto ». Ad 2: « In baptismo sanguinis aliquis non solum aureolam meretur, sed etiam auream per gratiam tunc collatam vel augmentatam ». Ad verba Magistri: Neque enim ille latro pro nomine Christi crucifixus est, dicit in Expositione textus: « Contra est, quod Hieronymus dicit (in epistula ad Paulinum de institutione monachi), quod Christus homicidii poenam in illo latrone fecit esse martyrium. Et dicendum quod habuit aliquid de martyrio, scl. poenam et iustam voluntatem, et aliquid defecit ad martyrium, scl. causa; sicut in innocentibus defuit iusta voluntas, sed fuit poena et causa ». Dist. 49 qu. 5 art. 3 qc. 2 ad 12 respondet: « Quidam dicunt, quod in innocentibus occisis pro Christo virtute divina acceleratus est usus rationis, sicut et in Ioanne Baptista, dum adhuc esset in materno utero; et secundum hoc vere martyres fuerunt et voluntate et actu et aureolam habent. Sed alii dicunt, quod fuerunt martyres actu tantum, et non voluntate... et secundum hoc innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc quod passi sunt pro Christo; ita etiam aureolam habent, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scl. gaudent se in obsequium Christi occisos esse, ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia et carnis integritate ».

150. 2, 2 qu. 124 art. 1 ad 1: « Quidam dixerunt quod in innocentibus acceleratus est miraculose liberi arbitrii usus, ita quod etiam voluntarie martyrium passi sunt. Sed quia hoc per auctoritatem Scripturae non comprobatur, ideo melius dicendum est, quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas

meretur, illa parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde, sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et in occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam ». Art. 2 ad 2: « Ad actum martyrii inclinat quidem caritas, sicut primum et principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem sicut motivum proprium, per modum virtutis elicientis. Et inde est quod martyrium est actus caritatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis. Et inde etiam est, quod utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex caritate, sicut et quilibet virtutis actus; et ideo sine caritate non valet ». 3 qu. 66 art. 12 ad 2: « Effusio sanguinis non habet rationem baptismi si sit sine caritate. Ex quo patet quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis; et non e converso. Unde ex hoc ipso probatur (baptismus sanguinis) perfectior ». Qu. 68 art. 2 ad 2: « Nullus pervenit ad vitam aeternam, nisi absolutus ab omni culpa et reatu poenae. Quae quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi et in martyrio; propter quod dicitur quod in martyrio omnia sacramenta baptismi complentur, scl. quantum ad plenam liberationem a culpa et poena ». Qu. 87 art. 1 ad 2: « Passio pro Christo suscepta... obtinet vim baptismi. Et ideo purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem ».

151. Radulfus Armacanus (Ricardus Fitzralph, ca. 1360), *Summa in quaestionibus Armenorum et Graecorum*, lib. 8 cap. 37: « De infantibus vero non circumcisis ab Herode occisis, quos constat sacramento salutis caruisse, probabiliter astruis quod salvati non essent, licet circumcisi de iis salvari deberent; quoniam non circumcisi non erant innocentes, sed peccatores. Et eorum saluti obviat illud manifeste: masculus cuius praeputii etc. Circumcisi de iis innocentes erant et ideo congrue festum innocentum appellatur; nec mihi videtur iuxta scripturam nobis traditam, quod illi circumcisi occisi beatitudinem

ampliorem acciperent, quam circumcisi ceteri non occisi, aut quam baptizati infantes continue morientes dici possent. Hoc dico iuxta scripturam sacram et legem divinam a Deo datam et veterem et antiquam; utrum vero Deus occulto suo iudicio eis aliquid amplius sit daturus, nec negare praesumo nec temere affirmare ». (Paris 1512; 64 v). Hadrianus VI, In 4. sentent., qu. 1 de Baptismo « Respondeo cum Armachano, non constat ex scriptura nobis tradita aliquos parvulorum etiam pro Christo occisorum salvatos esse, qui non fuerint circumcisi. Potuit tamen eis Deus suam gratiam conferendo originale remittere, cum virtutem suam nequaquam alligaverit sacramentis, et fecisse pie credi potest, sed non temere asseri, quod certitudinem ex scriptura et doctrina ecclesiae non habet » (Paris 1522, 20 r).

Probabilius autem est, dispositionem necessariam ad martyrium in peccatore adulto non esse contritionem caritate perfectam, sed sufficere, ut in sacramento baptismi et poenitentiae, attritionem; hinc martyrio delentur non solum peccata venialia et poenae temporales, sed etiam peccata mortalia, poena aeterna, et in non baptizatis peccatum originale cum suis poenis; non ergo solum confert augmentum gratiae, sed in peccatoribus primam gratiam.

S. Scriptura

152. *Marc* 8, 35: « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet eam ». Quae verba ita exponit *Zorell* (s. v. ψυχη): « qui vult animam suam servare (quod ad vitam temporalem attinet), eandem in perniciem (aeternam) aget; qui vero animam suam in perniciem (mortis corporalis) dat mea causa, eandem (ad vitam aeternam) servabit ».

Matth 10, 32 s.: « Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est ». Vers. 39: « Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ». Similiter 16, 25; *Luc* 9, 24; *Io* 12, 25.

Patres

153. Pastor Hermae, *Simil.* 9, 28: « De monte autem undecimo, ubi erant arbores fructibus plenae, aliis atque aliis fructibus ornatae, qui crediderunt huiusmodi sunt: qui passi sunt pro nomine Filii Dei, qui etiam animo prompto passi sunt ex toto corde et tradiderunt animas suas. Quare igitur, inquam, Domine, omnes arbores fructus habent, quidam vero earum fructus pulchriores sunt? Audi, inquit: quicumque passi sunt propter nomen, gloriosi sunt apud Deum, et omnium horum peccata ablata sunt, quia propter nomen Filii Dei passi sunt. Quare autem fructus eorum varii sint, quidam excellentes, audi. Quicumque, inquit, ad potestatem perducti et interrogati non negaverunt, sed prompto animo passi sunt, hi sunt multo gloriosiores apud Dominum; horum est fructus excellens. Quicumque vero timidi et vacillantes fuerunt ac deliberaverunt in cordibus suis, utrum negarent an confiterentur, et passi sunt, horum fructus minores sunt, quoniam haec cogitatio ascendit in cor eorum; mala enim est huiusmodi cogitatio, qua servus dominum suum neget. Videte ergo vos, qui haec cogitatis, ne forte haec mens permaneat in cordibus vestris et Deo moriamini. Vos autem, qui patimini propter nomen, Deum glorificare debetis, quod vos dignos exsistimavit Deus, ut hoc nomen feratis et omnia peccata vestra sanentur. Beatos igitur vos praedicate, sed magnum opus vos fecisse putate, si quis vestrum propter Deum passus fuerit. Vitam Dominus vobis donat, et non intelligitis; delicta enim vestra gravia facta sunt, et nisi passi essetis propter nomen Domini, propter peccata vestra mortui essetis Deo. Haec vobis dico, qui dubitatis de negatione aut confessione: confitemini vos habere Dominum, ne negantes tradamini in vincula. Si gentes servos suos puniunt, si quis dominum suum negaverit, quid putatis vobis facturum esse Dominum, qui universorum habet potestatem? Removete ergo de praecordiis vestris has cogitationes, ut in perpetuum vivatis Deo » (Funk, I, 625 s.).

154. *Passio sanctorum scilitanorum*, Acta proconsularia: « Saturninus proconsul decretum ex tabella recitavit: Speratum, Nartzalum, Cittinum, Donatum, Vestiam, Secundam et ceteros ritu Christiano se vivere confessos, quoniam oblata sibi facultate ad Romanorum morem redeundi obstinanter perseveraverunt, gladio animadverti placet. Speratus dixit: Deo gratias agimus. Nartzalus dixit: Hodie martyres in caelis sumus: Deo gratias. ... Universi dixerunt: Deo gratias. Et ita omnes simul martyrio coronati sunt, et regnant cum Patre et Filio et Spiritu sancto per omnia saecula saeculorum. Amen » (KIRCH, *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae*, nr 71).

155. S. IRENAEUS, *Adv. haereses*, lib. 3 cap. 16 nr. 4: « Propter hoc et pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos praemitteret in suum regnum; ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethlehem natus est Iudae, in civitate David, interfectos secundum scripturas » (MG 7, 924). TERTULLIANUS, *De baptismo*, 16: « Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus: Habeo, inquit, baptismo tingui, cum iam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Ioannes scripsit, ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, perinde nos faceret aqua vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem eius crederent, aqua lavarentur, qui aqua lavissent, etiam sanguinem portarent. Hic est baptismus qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit » (CV 20, 214; R 309).

156. CLEMENS ALEXANDRINUS, *Strom.* lib. 4 cap. 7: « Qui patitur propter suam in Deum dilectionem, patitur propter propriam salutem; et rursus, qui moritur propter propriam salutem, sustinet mortem propter dilectionem Domini... Miseris autem hominibus, quod praebetur per sanguinem Domino martyrium, videtur esse mors violentissima, nescientibus hanc mortis ianuam esse verae vitae principium... (Postquam citavit *Rom* 8, 7 ss): Vides per dilectionem doceri martyrium. Quod si velis

martyr esse propter bonorum remunerationem rursus audies: Spe enim salvi facti sumus... Et si quis cavillandi animo interroget: Et quomodo fieri potest, ut caro imbecilla resistat potestatibus et spiritibus dominationum? Illud sciat, quod Deo omnipotenti et Domino freti in eoque habentes fiduciam, adversamur principatibus tenebrarum et morti » (MG 7, 1254 ss). Cap. 9: « Illud autem non advertit (scl. Heracleon), quod etsi non actione aliqua et vita confessi sunt Christum coram hominibus, eo tamen, quod voce confiteantur in iudiciis, et usque ad mortem cruciati non negent, ex animi proposito credidisse cernuntur. Propositum autem quod confitetur, praecipue si ne morte quidem mutetur, omnia simul vitia quae gignebantur per cupiditatem corporis, omnino rescindit. Est enim, ut ita dicam, in fine vitae tota simul per actionem poenitentia, et vera in Christum confessio voce testificante... Qui autem sustinuerit in finem, is salvus erit. Nam quis ex iis, qui sapiunt, non elegerit in Deo regnare, aut etiam servire? Deum ergo confitentur quidam nosse, ut dicit Apostolus, factis autem negant, cum sint abominandi, increduli et ad omne opus bonum reprobi. Illi autem, licet nihil aliud quam confessi fuerint, unum saltem in fine vitae bonum effecerint. Videtur ergo martyrium esse expurgatio peccatorum cum gloria » (MG 8, 1283).

157. Origenes, *Exhortatio ad martyrium*, nr. 30: « Meminerimus etiam nos peccasse, nec posse remissionem peccatorum sine baptismate accipi; nos autem iuxta evangelicas leges iterum non posse baptizari aqua et Spiritu in remissionem peccatorum, sed datum nobis esse martyrii baptisma. Sic enim vocatur, ut ex eo patet quod his verbis: Potestis bibere calicem quem ego bibo? subiungitur: Aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Alibi etiam dictum est: Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor usque dum perficiatur » (MG 11, 599 s.). Nr. 39: « Meminerimus singuli, quoties morte vulgari interire periclitati simus, cogitemusque num forte simus ideo servati, ut proprio sanguine abluti et omni peccato mundati apud coeleste altare cum iis, qui similiter certaverint, conservemur » (MG 11, 615). *In Leviticum*, hom. 2, 4 enumerat septem remissiones pec-

catorum. « Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrii » (MG 12, 417; R 493). *Comment. in Matthaeum*, 16, 6: « Martyrium autem esse calicem hoc ipso palam fecit, quod statim post calicem subiunxit: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Duas autem martyrium significationes comprehendit, quarum altera calix salutaris appellatur, alia autem baptisma; et quatenus labores aliquis sustinet, calix est ab eo ebibitus, qui illata sibi omnia perfert, dolores suscipit, ac velut haurit, eosque nec repellit neque reiicit vel evomit; baptisma autem est, quatenus remissionem peccatorum adipiscitur, qui mala sustinet. Si enim peccatorum remissionem pollicetur baptisma, quemadmodum accepimus de baptismate in aqua et Spiritu, remissionem autem peccatorum recepit itidem, qui martyrii baptisma perfert, martyrium recte baptisma dici potest. Peccata autem ei remitti, qui martyrium patitur, inde liquet: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego illum coram Patre meo qui in caelis est. Coram Patre vero suo qui in caelis est unumquemque confitetur Servator, qui se fuerit confessus, etiamsi ante confessionem cuiuslibet peccati reus erit; nam si cuiuslibet peccati reos non agnoscet, haud verum erit illud: Omnis ergo, qui confitebitur me et cetera. Non futurum autem exsistimo, ut cuiusvis noxae reum coram Patre suo qui in caelis est Sospitator confiteatur; illius siquidem confessio, cum libere et audacter aliquem coram Patre confitetur et agnoscit, eiusmodi est, quasi ea coram Patre confessione dignus sit qui agnoscitur » (MG 13, 1383).

158. S. Cyprianus, *epist.* 73, 22: « Quidam, quasi evacuare possint humana argumentatione praedicationis evangelicae veritatem, catechumenos nobis opponunt, si quis ex his, antequam in ecclesia baptizetur, in confessione nominis apprehensus fuerit et occisus, an spem salutis et praemium confessionis amittat, eo quod ex aqua prius non sit renatus. Sciant igitur eiusmodi homines, suffragatores et fautores haereticorum, catechumenos illos primo integram fidem et ecclesiae veritatem tenere, et ad debellandum diabolum de divinis castris cum plena et

sincera Dei Patris et Christi et Spiritus sancti cognitione procedere, deinde nec privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae pollicitationis gratiam consequi declarat in evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem et confitentem loquitur et quod secum futurus sit in paradiso pollicetur » (CV 3, 795; R 598). *Epistula ad Fortunatum, De exhortatione martyrii*, praef. nr. 4: « Nos tantum qui Domino permittente, primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos praeparemus, insinuantes et docentes hoc esse baptisma in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius, baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo Deus et Christus eius exultant, baptisma post quod nemo iam peccat, baptisma quod fidei nostrae incrementa consummat, baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquae baptismo accipiuntur peccatorum remissa in sanguinis baptismo corona virtutum. Amplectenda res est et optanda et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei fuimus, simus et amici » (CV 3, 319). *Epistula* 58, 3: « Gaudere nos et exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronae fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent caeli... Si mortem possemus evadere, merito mori timeremus. Porro autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divina promissione et dignatione venientem et fungamur exitum mortis cum praemio immortalitatis, nec vereamur occidi, quos constet quando occidimur coronari » (CV 3, 658 s.).

159. *De rebaptismate*, cap. 11: « Quid autem statues in personam eius verbum audientis qui forte apprehensus in nomine Christi statim confessus, ac priusquam baptizari aqua permitteretur ei, fuerit punitus; utrum perisse eum pronuntiabis, quia non est aqua baptizatus, an vero aliquid extrinsecus patrocinari ei ad salutem existimabis, licet non sit aqua baptizatus? Quod perisse eum existimabis, obviam tibi veniet sententia Do-

mini dicentis: Quicumque me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo qui in coelis est; quia nihil interest utrum hic verbum audiens an fidelis sit, qui confitetur Dominum, dummodo ipsum Christum, quem confiteri oportet, confiteatur; quia Dominus pari vice confitendo et ipse confessorem suum apud Patrem honore eum martyrii sui, ut pollicitus est, exornet. Quod utique non debet latius accipi, quasi possit usquequaque porrigi, quia potest Christi nomen etiam haereticus aliquis, qui tamen ipsum Christum negat, confiteri; quia in alium Christum credit, cum Christus confiteatur quod ei prodesse minime possit: siquidem Dominus non (nisi) se ipsum in confessionem a nobis coram hominibus deduci oportere dixit, quod sine ipso et sine venerando nomine eius non potest fieri. Ed ideo integrum ac sincerum et incontaminatum et inviolatum utrumque debet consistere confitenti, nullo delectu habito ipsius confessoris, sive ille iustus, sive peccator, perfectusque christianus, an vero etiam nunc imperfectus, qui summo discrimine suo Dominum confiteri non timuit. Nec est hoc contrarium superiori tractatui: quia illic quidem tempus supererat ad corrigenda quae mutila vel prava sunt, et quoniam quaedam concessa sunt ipsi tantummodo nomini Domini nostri, martyrium autem nonnisi in ipso et per ipsum Dominum possit consummari; et ideirco neque Christum sine ipsius nomine quis possit confiteri, neque nomen Christi sine ipso Christo ad confessionem cuiquam possit patrocinari » (CV 3, 3, 82 s.).

160. Eusebius, *Hist. eccl.* lib. 6 cap. 4 narrat: « Sed et ex mulierum numero Herais quaedam, adhuc catechumena, per ignem, ut ipse alicubi dicit, baptismum adepta, ex hac luce migravit » (MG 20, 531). S. Cyrillus Hierosol., *Cat*, 3, nr. 10, vide supra nr. 133. S. Basilius, *De Spiritu sancto* cap. 15 nr. 36: « Iam vero sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, revera (veritate), non imitatione mortem pro Christo perpessi, nihil symbolis quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine. Neque haec ita loquor, quod aquae baptisma spernam, sed ut istorum rationes deiiciam,

qui adversus Spiritum eriguntur » (MG 32, 131). S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 39, 17: « Novi etiam quartum baptismi genus (praeter baptismum Moysis, Ioannis, Iesu), nempe quod martyrio et sanguine comparatur, quo ipse quoque Christus baptizatus est, et quidem eo ceteris augustius, quod nullis postea sordibus contaminatur » (MG 36, 356; R 1010). S. Ioannes Chrysostomus, *Sermo in s. Lucianum*, 2: « Neque miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim; nam et hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum abolitio et animae fit purgatio quaedam mirabilis ac stupenda; et quemadmodum ii qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur proprio sanguine abluuntur » (MG 50, 522; R 1139). S. Ambrosius, *De obitu Valentiniani consolatio*, 53: « Aut si, quia sollemniter non sunt celebrata mysteria hoc movet, ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur; non enim coronantur, si non initiantur. Quodsi suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas » (ML 16, 1375). S. Augustinus, *sermo* 159, 1: « Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari » (ML 38, 868; R 1513). *De baptismo* 4, 22, vide supra nr. 139. *De civitate Dei* lib. 13 cap. 7: « Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum iis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum, alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est » (ML 41, 381; R 1759). S. Fulgentius, *De fide ad Petrum*, cap. 3, 41 vide supra nr. 137.

Idem ostendit constans *praxis ecclesiae* non orandi pro martyribus, quae praxis manifestat persuasionem, in martyribus nihil esse purgandum.

Theologi

161. Theologi explicant rationem, cur martyrium habeat hanc efficaciam, quia scl. est perfectior configuratio cum Christo crucifixo, quam baptismus aquae. Communior et probabilior sententia est, in martyre non requiri actum caritatis perfectae (*Toletus*, In 3 qu. 66 art. 11; *Bellarminus*, De sacramento baptismi, cap. 6; *Suarez*, De baptismo, disp. 29); proinde martyrium efficaciam suam non habet ex opere operantis, sed ut dici solet, quasi ex opere operato. Habet ergo efficaciam similem sacramentis; attamen non est sacramentum, cum non sit ritus a Christo institutus ad sanctificandum homines, neque tyrannus occidendo martyrem agit ut vicarius Christi.

162. Martyrium efficaciam habere quasi ex opere operato, et non mediante actu caritatis perfectae, his rationibus ostenditur:

1) Patres simpliciter dicunt martyrium alium baptismum eique maiorem efficaciam tribuunt quam baptismo aquae.

2) Ipse Dominus dicit *Matth* 10, 28: « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ». Proponit ergo motivum timoris. De facto ex actis martyrum colligitur, motivum praevalens patienter sustinendi tormenta et mortem, saepe fuisse spem gaudiorum vitae aeternae et timorem ignis aeterni inferni (Hellmanns, *Wertschätzung des Martyriums als eines Rechtfertigungsmittels in der altchristlichen Kirche bis zum Anfang des 4. Jahrhunderts*. Breslau, 1912, 90). *Martyrium s. Polycarpi*, 2, 3: « Frigidusque ipsis (martyribus) videbatur ignis crudelium carnificum. Prae oculis enim habebant fugam illius, qui aeternus est et numquam exstinguetur » (R 78).

3) In infantibus martyrium non potest habere effectum ex opere operantis. Innocentes autem a saeculo 5. proprio festo coluntur in ecclesia, et quidem ut primitiae martyrum.

4) Si martyrium efficaciam suam haberet per actum ca-

ritatis perfectae, non esset nisi specialis forma baptismi flaminis.

163. *Io* 15, 13 Dominus dicit: « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis »; maior autem dilectio videtur esse caritas. Sed Dominus clare loquitur de dilectione fraterna, et ad quid ille paratus sit, qui maximam dilectionem erga alios habet. Martyres autem animam suam ponunt non ex amore erga proximos, sed saepe ex ordinato amore erga seipsos, ut scl. se ipsos salvent ab aeterna damnatione.

1 *Cor* 13, 3: « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest ». Sermo est de caritate proximi et sensus verborum est: Quidquid boni homo facere videtur, nihil est neque Deo placere potest, si praeceptum Domini, scl. caritatis erga proximum, non observat. Hoc valeret etiam de « martyre »: si quis odium foveret erga proximum, e. gr. erga persecutores, peccaret, et non esset vere martyr. Sed talis dispositio impossibilis est in eo, qui vitam suam tradit, ut praeceptum Domini impleat, ne committat peccatum, ne Deum offendat. Et revera acta martyrum ostendunt, quomodo martyres exemplum Domini sint secuti, quomodo persecutoribus ignoverint eisque signa verae caritatis exhibuerint. Ita iam protomartyr s. Stephanus, *Act* 7, 60. Sed hi textus non ostendunt ad verum martyrium requiri actum caritatis perfectae in martyre.

INDEX

PAG.

S. Scriptura de baptismo Christi 6

Thesis 1: Ritus quo homines in ecclesiam Christi recipiuntur, est baptismus 11

Thesis 2: Ad essentiam ritus baptismalis pertinet, ut subiectum aqua naturali abluatur 13

Thesis 3: Simul cum ablutione baptizans nunc proferre debet verba, quibus explicite nominantur tres personae divinae et ipsa actio baptismalis exprimitur . . 27

Thesis 4: Effectus baptismi est regeneratio spiritualis per remissionem omnis reatus culpae et poenae et per infusionem gratiae et virtutum 57

Thesis 5: Baptismus est sacramentum novae legis . . 72

Thesis 6: Subiectum baptismi est omnis homo viator nondum valide baptizatus 75

Thesis 7: Valide baptizare potest quilibet homo, servata debita materia, forma, intentione 87

Thesis 8: Post evangelium promulgatum baptismus in re vel saltem in voto omnibus hominibus necessarius est ad salutem necessitate medii hypothetica 91

Thesis 9: Sacramentum baptismi suppleri potest martyrio 109

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

H. LENNERZ S. I.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

EDITIO SECUNDA
RECOGNITA ET AUCTA

AD USUM AUDITORUM

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
1949

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE — ROMAE

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

1. *Concilium tridentinum,* can. 1 de sacramento confirmationis dicit: « Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant: anathema sit » (Denz. 871). Similiter can. 1 de sacramentis in genere (Denz. 844).

2. De hoc sacramento dicitur in *Decreto pro Armenis*: « Secundum sacramentum est confirmatio; cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ordinarius minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre: quia de solis apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: Cum enim audissent, inquit, apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum (Act. 8, 14 ss.). Loco autem illius manus impositionis datur in ecclesia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex ratio-

nabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae Iudaeis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia (cf. 1 Cor 1, 23), secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur » (Denz. 697).

De hoc sacramento scholastici agunt in comm. in l. 4 dist. 7; vel in S. Th. 3 q. 72. Inter recentes utiliter consuluntur: Fr. J. Dölger, *Das Sakrament der Firmung*. Wien 1906. M. O'Dwyer, *Confirmation*. Dublin 1915. J. B. Umberg, *Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung*. Freiburg 1920. Coppens, *Confirmation*. Dict. de la Bible. Suppl.

S. Scriptura de Spiritu sanctu fidelibus conferendo

3. Christus Dominus mulieri samaritanae dixit (Io 4, 10): « Si scires donum Dei (τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ), et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam ». Haec aqua in fideli fiet fons aquae salientis in vitam aeternam (v. 14). In festo scenopegiae (Io 7, 37 ss.) explicatur: « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus (datus), quia Iesus nondum erat glorificatus ». Haec communicatio Spiritus sancti a prophetis praedicta erat (« sicut dicit Scriptura ») pro tempore messianico (Is 12, 3 s.; 44, 3; 55, 1; 58, 11; Ezech 47, 1 ss.; Ioel 2, 28 ss.; 3, 18).

4. Omnes debent Filium hominis confiteri coram hominibus (Luc 12, 8), et pro hac confessione promittit Dominus Spiritum sanctum (Luc 12, 11. 12): « Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit

vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere » (Cf. Matth 10, 19 s.; Mc 13, 11). Ante ascensionem Dominus apostolis dicit (Luc 24, 48 s.): « Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto ». Idem Act Ap 1, 4 ss.: « Et convescens praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies ... accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae ». Ergo donum a Patre promissum, quod Christus missurus est, est Spiritus sanctus.

5. Mittit Spiritum sanctum festo Pentecostes (Act 2, 1 ss.); omnes qui erant in coenaculo repleti sunt Spiritu sancto (Act 2, 4); et postquam acceperunt virtutem ex alto, apostoli hucusque timidi, statim sine timore publice praedicant Christum. Petrus plenus Spiritu sancto, coram synedrio confitetur Christum (Act 4, 5 - 21). « Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri » (4, 33); iterum coram synedrio (5, 17 ss.). « Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi » (5, 32). Stephanus vir erat plenus fide et Spiritu sancto (Act 6, 5); disputantes cum eo « non poterant resistere sapientiae, et Spiritui, quo loquebatur» (Act. 6, 10).

6. Communicatio autem Spiritus sancti, quem acceperunt in die Pentecostes illi, qui erant in coenaculo, erat pro omnibus, qui invocant nomen Domini (Act 2, 17 - 21). Interrogantibus: « Quid faciemus viri fratres? » Petrus respondet (Act 2, 38 ss.): « Poenitentiam inquit agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, et filiis vestris et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster ». Admonentur baptizari in remissionem peccatorum, et accipere donum Spiritus sancti. Nisi ob rationes speciales Deus extraordinario modo intercedat (Act 10, 44, Cornelius), baptismus huic commu-

nicationi Spiritus sancti praesupponitur: Baptizatis communicatur Spiritus sanctus.

7. Hanc praxim ab initio apostoli observant. Act 8, 1 ss.: Philippus praedicavit Samariae; credentes baptizabantur (Act 8, 12). Apostoli, cum audissent Samariam verbum Dei recepisse, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. « Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum » (8, 15 - 17). Philippus baptizavit quidem, sed non imposuit manus ad dandum Spiritum sanctum; ad hunc finem venerunt apostoli. Et cum Simon magus hanc potestatem pecunia emere vellet, graviter vituperatur a Petro, quoniam exsistimavit « donum Dei » possidere pecunia (8, 20). Haec facta sunt circa annum 33/34. Similia narrantur Act 19, 1-6, quae post viginti fere annos acciderunt (circa 55/57): Paulus Ephesi invenit discipulos, eosque interrogat, num acceperint Spiritum sanctum πιστεύσαντες quando facti sunt fideles; et miratur, eos non audivisse, esse Spiritum sanctum. Cum comperisset eos baptizatos esse baptismo Ioannis, instruit eos, et baptizantur in nomine Domini Iesu. « Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant » (19, 6. 7).

8. Ex interrogatione s. Pauli apparet, doctrinam de Spiritu sancto recipiendo ad ea pertinere, de quibus statim ab initio illi instruebantur, qui voluerunt recipi in ecclesiam. Iure ergo huc referuntur ea, quae habentur Hebr 6, 2, ubi s. Paulus inter ea, quae ad « inchoationis Christi sermonem » pertinent, enumerat doctrinam baptismatum et impositionis manuum, quae impositio manuum vix alia intelligi potest nisi ea, de qua Act 8 et 19 sermo erat.

1 Cor 12, 13: « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ... et omnes in uno Spiritu potati sumus », i. e. omnes unum Spiritum bibendum accepimus, omnes unum Spiritum bibimus. Sicut « baptizati sumus » actum significat, qui transiit, ita quoque « potati sumus ». Ad « bibere s. Spiritum » cf. Io 4, 13; 7, 37 ss.; Act 2, 17 ss. (Ioel 3, 1 ss.); 2, 33; Tit 3, 6.

2 Cor 1, 21, 22: « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris », agit de s. Paulo eiusque comitibus, qui a Deo comprobatur verus ac genuinus apostolus.

Conspectus historicus de ritu conferendi baptizatis Spiritum sanctum

9. Promisit ergo Dominus donum Spiritus Sancti, et apostoli imponendo manus invocant in baptizatos hoc donum Spiritus Sancti. Sicut lavacrum regenerationis ita quoque communicatio Spiritus Sancti variis ritibus decursu temporis aucta est. Inter eos specialem mentionem meretur unctio, de cuius sensu et momento maior est controversia [1].

Neque in Didache, neque apud s. Iustinum sermo est de aliqua unctione reali, neque apud s. Irenaeum, qui quamvis usum unctionis apud aliquos Gnosticos commemoret, nihil tamen explicite de simili ritu apud catholicos dicit.

Consideramus historiam ritus conferendi Spiritus sancti baptizatis primo in ecclesia occidentali, deinde in orientali.

Pro ecclesia africana testes sunt Tertullianus, s. Cyprianus, s. Augustinus.

10. Tertullianus († post 220), *De baptismo*, postquam nr. 5 dixit: « Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu eius acceperat, sed post amiserat per delictum » pergit nr. 6: « Non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur; sed in aqua emundati sub angelo Spiritui sancto praeparamur. Hic quoque figura praecessit; sic enim Ioannes ante praecursor Domini fuit, praeparans vias eius. Ita et angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui

---

1 Inquisitiones in historiam huius ritus renovatae sunt ultimis decenniis. Vide de hac re Galtier, *Imposition des mains*. Dict. de Théol. Cath. 7, 1343-1393, et I. Coppens, *L'imposition des mains*. Wetteren-Paris 1925, apud quos reliqua indicantur. Praeterea B. Welte, *Die postbaptismale Salbung*, Freiburg 1939, de quo cf. Galtier, Gregorianum 23 (1942) 417-419.

sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre et Filio et Spiritu sancto ». Nr. 7: « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina qua ungi oleo de cornu in sacerdotio solebant (Exod. 29, 7; 1 Sam 16, 1. 13; 3 Reg 1, 39), ex quo Aaron a Moyse unctus est, unde christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enim vere in ista civitate adversus sanctum Filium tuum, quem unxisti. Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus quod delictis liberamur ». N. 8: « Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum. Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere et concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantae claritatis animare (loquitur de organo hydraulico), Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem? Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephrem et Manassem, Iacob capitibus impositis et intermutatis manibus benedixerit, et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes iam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit, super baptismi aquas tamquam pristinam sedem recognoscens conquiescit, columbae figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentiae, quod etiam corporaliter ipso felle careat columba ». (CV 20, 209).

11. *De praescriptione haereticorum* 36: Ecclesia Romana « Legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet; inde potat fidem; eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit » (ML 2, 49 s.).

12. *De carnis resurrectione* 8: « Caro salutis est cardo. De qua cum anima Deo alligatur, ipsa est quae efficit ut anima alligari possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur ut

anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro mànus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit » (CV 47, 36).

Ergo: baptismus, unctio, impositio manus. Collatio Spiritus sancti clare tribuitur impositioni manus, non unctioni.

13. S. Cyprianus († 258) clare distinguit regenerationem in baptismo et collationem Spiritus sancti. *Epist.* 74, 7: « Non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum sanctum, sed in baptismo, ut Spiritum iam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante eum Deus plasmavit, tunc insufflavit in faciem eius flatum vitae. Non enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat » (CV 3, 2, 804). *Epist.* 73, 9: « Qui legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Ioanne factum est, ut oratione pro iis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus (Act 8, 14 ss.). Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerantur et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur » (CV 3, 2, 784).

14. Haeretici non possunt dare Spiritum sanctum; propterea illi, qui extra ecclesiam baptizati sunt, per impositionem manus accipiunt Spiritum sanctum. *Epist.* 69, 11: « Qui haereticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant nobis habeantne Spiritum sanctum an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, quando iam utique acceptus sit ubi, si fuit, dari potuit? Si autem foris cuncti haeretici et schismatici non dant Spiritum sanctum, et ideo apud nos manus imponitur ut hic accipiatur, quod illic nec est nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constet Spiritum sanctum non habere » (CV 3, 2, 760). Illis ergo non solum manus imponi debet ad recipiendum

Spiritum sanctum, sed iterum baptizari debent. *Epist.* 72, 1 (CV 3, 2, 775); *Epist.* 73, 6: « Quod si secundum pravam fidem baptizari aliquis foris et remissam peccatorum consequi potuit, secundum eandem fidem consequi et Spiritum sanctum potuit, et non est necesse ei venienti manum imponi ut Spiritum sanctum consequatur et signetur. Aut utrumque enim fide sua foris consequi potuit, aut neutrum eorum, qui foris fuerat accepit » (CV 3, 2, 783).

15. Ergo impositioni manus tribuitur communicatio Spiritus sancti. Loquitur Cyprianus, sicut Tertullianus de aliqua unctione post baptismum; sed eodem modo quo Tertullianus, nullam ei tribuit relationem ad communicationem Spiritus sancti. *Epist.* 70, 2: « Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. Porro autem eucharistia est unde baptizati unguntur oleum (oleo) in altari sanctificatum (sanctificato). Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit nec ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud haereticos potest esse, quando constet oleum sanctificari et eucharistiam fieri apud illos omnino non posse » (CV 3, 2, 768).

Ergo apud s. Cyprianum sicut apud Tertullianum: baptismus, unctio, impositio manus. Collatio Spiritus Sancti tribuitur impositioni manus.

16. S. Augustinus *Sermone* 324 (ML 38, 1447) narrat quomodo infans ante baptismum mortuus per orationem Matris ad memoriam martyris Stephani ad vitam rediit. « Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus sacramentis assumptus est (i. e. iterum mortuus est) ». Apparet eadem enumeratio rituum, quae antea apud Tertullianum et Cyprianum: baptismus, unctio, impositio manus. Imo s. Augustinus urget, non proprie episcopum dare Spiritum sanctum, sed per episcopum invocari, ut veniat. *De Trinitate* 15, 26, 46 (ML 42, 1093): « Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret

in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat ecclesia ». Qua doctrina exclusum videtur, eum alicui unctioni communicationem Spiritus sancti tribuisse; nam in unctione non habetur invocatio Spiritus sancti. Tamen paulo post verba citata addit: « Dominus ipse Iesus Spiritum sanctum non tantum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia et Spiritu sancto. Et manifestius scriptum est in Actibus Apostolorum (10, 38): Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto. Non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit ecclesia ». *Sermo* 227: « Nisi enim molatur triticum, et per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quae panis vocatur. Sic et vos ante ieiunii humiliatione et exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit baptismus et aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus sancti est sacramentum ». In memoriam revocat die Pentecostes Spiritum sanctum se ostendisse in linguis igneis. « Inspirat enim caritatem, qua ardeamus in Deum, et contemnamus mundum, et fenum nostrum exuratur et cor quasi aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus sanctus, post aquam ignis: et efficimini panis, quod est corpus Christi. Et ideo unitas quodam modo significatur » (ML 38, 1100). *In epistulam Ioannis ad Parthos*, Tract. 3 cap. 2 nr. 5: « Et vos unctionem habetis a sancto, ut ipsi vobis manifesti sitis. Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cuius sacramentum est in unctione visibili. Hanc unctionem Christi dicit omnes qui habent, cognoscere malos et bonos, nec opus esse ut doceantur, quia ipsa unctio docet eos » (ML 35, 2000).

17. Propter hos et similes textus quaestio orta est de mente s. Augustini, utrum scl. secundum ipsum unctio illa referatur ad baptismum, an sit initium ritus confirmationis[2]. Coppens contra Galtier tenet Augustinum chrismationem post baptismum non iam

---

[2] De hac controversia vide Coppens, *L'imposition des mains*, 1925, 297-303.

coniunxisse cum baptismo, sed cum impositione manus; s. Augustinum chrismationi tribuisse impressionem caracteris sacramentalis confirmationis, impositioni manus vero infusionem gratiae et adventum Spiritus sancti. Sed possuntne tales distinctiones iure supponi apud s. Augustinum? Quaestio interim non videtur soluta; recte tamen monet Coppens, non provocari posse ad verba, quae inveniuntur in sermone 266,6 (ML 38, 1227): « Ex illo autem (scl. post diem Pentecostes) iam in neminem venit (scl. Spiritus sanctus), nisi fuisset manus imposita », cum haec dicta sint ex mente adversarii, contra quem s. Augustinus exemplis s. Scripturae ostendit, interdum iam ante baptismum et impositionem manus Spiritum sanctum datum esse.

Ergo in ecclesia africana invenitur: baptismus, unctio, impositio manus, cui tribuitur collatio Spiritus Sancti.

18. Integrum ritum initiationis sicut in Ecclesia Romana saec. 3 in usu fuisse videtur, describit S. Hippolytus, *Traditio Apostolica*, quam initio saeculi tertii (ca. 220) composuit, quando se ipsum caput suae sectae fecit contra Callistum Papam eiusque « scholam ».

Post ipsum baptismum sequitur: « Et postea cum ascenderit ungueatur a praesbytero de illo oleo, quod sanctificatum est, dicente: Ungueo te oleo sancto in nomine Iesu Christi. Et ita singuli detergentes se iam induantur et postea in ecclesia ingrediantur. Episcopus vero manum illis imponens invocat dicens: Domine Deus, qui dignos fecisti eos remissionem mereri peccatorum per lavacrum regenerationis Spiritus sancti, immitte in eos tuam gratiam, ut tibi serviant secundum voluntatem tuam, quoniam tibi est gloria, patri et filio cum spiritu sancto, in sancta ecclesia et nunc et in saecula saeculorum. Amen. Postea oleum sanctificatum infundens de manu et imponens in capite dicat: Ungueo te sancto oleo in Domino patre omnipotente et Christo Iesu et spiritu sancto. Et consignans in frontem offerat osculum et dicat: Dominus tecum. Et ille, qui signatus est, dicat: Et cum spiritu tuo. Ita singulis faciat » [3].

---

[3] E. Hauler, *Didascaliae apostolorum fragmenta veronensia* ... Lipsiae 1900, 111. G. Dix, *The treatise on the Ap. Trad.*, London 1939, hanc emen-

Ergo post baptismum unctio facta a presbytero, manus impositio episcopi, unctio imponendo manum episcopi, signatio frontis, osculum.

19. Cornelius papa (251-253) *Epistula ad Fabianum* (apud Eusebium, *Hist. eccl.* 6, 43, 14; R 547; Kirch 256) dicit de Novatiano, qui aegrotus in lectulo baptismum acceperat: « Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit quae iuxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto (textus graecus habet: hoc autem non percepto, vel alia lectio: his autem non perceptis) quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere? » Ergo post baptismum ritus ad accipiendum Spiritum sanctum. Quisnam vel quinam fuerint, non dicit; non loquitur de impositione manus neque de unctione, sed solum illum ritum commemorat, qui est ultimus, consummativus.

20. Liber Pontificalis (saec. 6) de s. Sylvestro (314-325) papa narrat: « Constituit ... chrisma ab episcopo confici, et privilegium episcopis, ut baptizatum consignarent, propter haereticam suasionem ». Quibus verbis postea additum est: « Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniret presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis » (Duchesne, *Liber Pontificalis*, 1, 77; c. 171). Sicuti tota haec prima pars Libri Pontificalis in multis fidem non meretur, ita speciatim ea, quae de s. Silvestro dicuntur, magna, vel maxima ex parte legendaria sunt. Num omnino aliquid veri, et quidnam huic narrationi subsit, non videtur cum aliqua certitudine decidi posse. Sed propter verba: « Hic et hoc constituit ... » Amalarius [4] et alii medio aevo putabant, eum instituisse chrismationem post baptismum a presbytero faciendam. Nostris temporibus Galtier [5] proponit hypothesim, papam fortasse

---

dationem textus proponit: « per lavacrum regenerationis, dignos fac eos repleri Spiritu Sancto, et immitte in eos tuam gratiam ... ».

[4] *Liber officialis* (De ecclesiasticis officiis) 1. 1 cap. 27. Edit. Hanssens, Città del Vaticano 1948, 139. Vide infra nr. 86.

[5] *La « Tradition Apostolique d'Hippolyte ». Particularitées et initiatives liturgiques.* Rech. de science religieuse 13 (1923) 527.

instituisse, ut cum consignatione coniungeretur unctio, ita ut duae haberentur unctiones, una pertinens ad baptismum, altera pertinens ad confirmationem.

21. Post centum fere annos certum testimonium duplicis chrismationis habetur apud INNOCENTIUM I, *Epistula ad Decentium episcopum Eugubinum*, 19. martii 416: « De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum (Act. Apost. 8, 14 ss.). Nam presbyteris sive extra episcopum, sive praesente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet; sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum » (Denz. 98). Hic clare haberi duplicem chrismationem patet. Sed nota « tradere Spiritum sanctum » et « consignare, ungere » distinguuntur ut duo ritus: *vel* consignare, *vel* tradere Spiritum sanctum competit solis episcopis, i. e. utrumque eis solis competit. Simili modo baptizare et chrismare non sunt idem ritus, et utrumque presbyteris licet. Praeterea, sicut « cum baptizant », essentialis ritus baptizandi non est chrismatio, ita « cum tradunt Spiritum Paracletum », essentialis ritus tradendi Spiritum sanctum non est unctio, consignatio.

Ex hoc tempore habetur clare in ecclesia romana: Baptismus et unctio per presbyterum; impositio manus et consignatio, quae fit unctione, per episcopum.

22. Usum Romanum, in fine saeculi 5. exhibet SACRAMENTARIUM GELASIANUM. Inter ritus baptismum antecedentes est unctio oleo exorcizato. Post baptismum: « Postea cum ascenderit a fonte infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate, his verbis: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regene-

ravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linit chrismate salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam. Resp. Amen. Deinde ab episcopo datur ei Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenerasti famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, immitte in eos Spiritum sanctum tuum Paraclitum, et da eis Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiae et pietatis. Adimple eos Spiritum timoris Dei in nomine Domini nostri Iesu Christi, cum quo vivis et regnas Deus semper cum Spiritu sancto, per omnia saecula saeculorum. Resp. Amen. Postea signat eos in fronte de chrismate dicens: Signum Christi in vitam aeternam. Resp. Amen. Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo » (Ed. Wilson 1894, 86 s.).

23. Posteriorem formam praebet Sacramentarium Gregorianum. « Ut autem surrexerit a fonte, ille qui eum suscipit, offert eum uni presbytero, qui facit signum crucis de chrismate cum pollice, in vertice eius dicens: Deus omnipotens etc (fere ut in Gelasiano). ... Pontifex vero redit in sacrarium exspectans, ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos ... Pontifex vero veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, involutis scapulis et brachiis ex panno lineo, et levata manu super capita omnium dicit: Omnipotens sempiterne Deus etc (fere ut in Gelasiano; sed in fine ita:) adimple eos Spiritu timoris et consigna eos signo crucis in vitam propitius aeternam. Per Dominum nostrum etc. Et interrogantibus diaconibus nomina singulorum, pontifex, tincto pollice in chrisma, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim » (ML 78, 90).

24. Usus Romanus a Carolo Magno in regno suo propagabatur. In synodo *Wormatiensi* (868) declaratur, licitum non esse presbyteris « ecclesias consecrare, nec per impositionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatum fronte signare ...Haec omnia illicita esse presbyteris cognos-

cuntur, quia pontificatus apicem non habent: quae tamen omnia episcopis authoritate canonum conceduntur » (Mansi 15, 871).

25. Hoc fere tempore orta est collectio rituum et orationum, quae vocata est « Pontificale Romano-Germanicum saeculi 10 » [6].

Ritus confirmationis in hoc Pontificali est: « Pontifex ... elevata et imposita manu super capita omnium, det orationem super eos, cum invocatione septiformis gratiae Spiritus Sancti. Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es ... (cf. supra nr. 22; 23). Oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina singulorum, Pontifex intincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Resp. Amen. Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo. Iterum confirmatis omnibus dicit hos versus: Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Hierusalem omnibus diebus vitae vestrae. Custodiat vos Dominus in timore suo sanctissimo, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Resp. Amen. Pax vobis. Resp. Et cum spiritu tuo. Item oratio post Confirmationem. Deus qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores caeteris fidelibus tradendum voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro chrismate delinivimus, et signo crucis designavimus, idem Spiritus sanctus adveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat. Per ... Hoc autem omnino praecavendum est, ut non negligatur, quia tunc omne baptismum legitimum Christianitatis nomine perficitur » [7].

26. Hic ritus transiit in Pontificale Romanum saeculi 12, sed cum quibusdam modificationibus. Initio non dicitur: « Pontifex ... elevata et imposita manu super capita omnium », sed: « Pontifex imposita manu super capita singulorum ». Ante orationem « Omnipotens sempiterne Deus ... » pontifex dicit: « Spiritus sanctus

---

[6] De hoc opere eiusque influxu vide *De sacramento ordinis* nr. 122 ss.

[7] Hittorp, *De divinis catholicae ecclesiae officiis*. Paris, 1624 pg. 83. Andrieu, *Le Pontifical Romain du XII. siècle*. Città del Vaticano, 1938.

super vos descendat et virtus altissimi sine peccato vos custodiat ». Verba autem dicenda, quando pontifex pollice intincto in chrismate facit crucem in frontibus singulorum, sunt: « Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

In Pontificali Curiae Romanae saeculi 13. ritus est idem.

In fine saeculi 13 (inter 1293-1295) *Guilelmus Durandus*, episcopus Mimatensis, simile Pontificale composuit, quod multi susceperunt, et cum *Innocentius VIII* (1484-1492) mandaret Pontificale Romanum typis edendum, facta est editio secundum Pontificale Durandi (1485). *Clemens VIII* anno 1596 hoc Pontificale unice adhibendum praescripsit.

27. Ritus confirmationis secundum Pontificale Durandi [8]: « Pontifex pueros in fronte chrismare volens ... praemittit admonitionem ... Deinde ... iunctis ... ante pectus manibus, dicit: Spiritus sanctus superveniat in vos et virtus altissimi custodiat a peccatis. Resp. Amen. Deinde dicit: Adiutorium nostrum in nomine Domini. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Et cum. Oremus. Et tunc elevatis et super confirmandis extensis manibus dicit: Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos ... propitiatus in vitam aeternam. Per. Resp. Amen. Tunc sedens super faldistorium coram altari vel alibi paratum, inquisito sigillatim nomine cuiuslibet consignandi ... et summitate pollicis dextrae manus crismate intincta, pontifex facit crucem in fronte illius dicens: Iohannes ... Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut replearis eodem Spiritu sancto et habeas vitam aeternam. Resp. Amen. Et dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti producat signum crucis ante faciem illius. Et deinde dat sibi leviter alapam super genam, dicens: Pax tecum ».

Sequitur « Confirma hoc ... », Oratio « Deus qui apostolis ... », « Ecce sic benedicetur homo ... », Benedictio: « Benedicat vos ... ».

---

[8] ANDRIEU, *Le Pontifical de Guillaume Durand*. Città del Vaticano 1940.

Hae differentiae a Pontificali Romano saec. 12 notandae sunt: De impositione manus super caput confirmandorum nihil dicitur; verbis dicendis, quando pollice chrismate intincto fit signum crucis in fronte: Signo te signo crucis etc. additur: « ut replearis eodem Spiritu sancto » quae verba facile indicare possunt, huic ritui attribui collationem Spiritus Sancti. Tandem in dando pacem additur alapa.

28. Haec forma recepta est in Pont. Rom., in quo usque ad nostra tempora conservatur; verba vero, a Durando verbis in chrismatione adhibendis addita (« ut replearis ... ») in Pont. Rom. non habentur. Sed, sicut in Pontificali Durandi, ita quoque in Pontificali Romano nihil iam explicite dicitur de imponenda manu super caput vel capita confirmandorum. Et ita res permansit usque ad nostra tempora in initio Pontificalis Romani, ubi agitur de pluribus confirmandis.

29. *De Puniet* dicit, in editione Pontificalis Romani (anno 1725 sub Benedicto XIII) contineri « l'addition d'une rubrique pour la confirmation, prescrivant l'imposition de la main droite pendant le Signo te » [9]. Nemo videtur hanc editionem vidisse; certum est, in editione anni 1752, sub Benedicto XIV facta, de hac manus impositione nihil inveniri, neque in initio Pontificalis, neque in Appendice, ubi agitur de confirmatione unius. Similiter in Instructione S. C. de Propaganda Fide, 4 maii 1774, nihil habetur de illa manus impositione. Idem dicendum de editione Pont. Rom. Mechlinia 1845. Sed in editione Mechliniae 1873, in Appendice, pro Confirmatione unius, dicitur: « Pontifex ... pollice manus dextrae chrismati intincto, confirmat dicens: N. Signo te signo crucis, et dum hoc dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in frontem illius; deinde prosequitur: Et confirmo te chrismate » [10].

---

[9] *Le Pontifical Romain*, I, 1930, 63.

[10] Secundum A. Malvy, *Impositio pollicis*. Bulletin de Littérature Ecclésiastique 1937, 223.

30. *Codex iuris canonici* (1917) can. 780: « Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba ... ». Can. 781 § 2: « Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita ». Can. 789: « Confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni vel extensioni, nec nisi expleto ritu discedant ».

31. Editio vaticana Ritualis Romani, diligenter revisa, emendata et aucta ad normam Codicis Iuris Canonici (1925) in Appendice ritum Chrismationis iisdem fere verbis exhibet, uti in editione Pont. Rom. Mechliniae 1873 factum est. Idem habetur in Pont. Rom. (Mechliniae 1934 pag. 7) ubi agitur de Confirmatione uni tantum conferenda. Paulo antea vero, ubi de confirmandis pluribus sermo est, nihil de hac impositione manus dicitur.

In Decreto S. C. de disciplina Sacramentorum 14 sept. 1946, *De confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti* praescribitur: « Confirmatio conferatur servata disciplina per codicem I. C. inducta et ad rem accommodata, nec non ritu adhibito ex Rituali Romano excerpto » (AAS 38, 1946, 352).

Et haec ex historia ritus Confirmationis in ecclesia Romana.

32. Qualis fuerit ritus in ecclesia mediolanensi saeculo quarto, testatur s. Ambrosius. Ante baptismum inter alia habetur unctio, qua ungitur baptizandus in athletam Christi (*De Sacramentis* lib. 1 cap. 2. ML 16, 419). Post baptismum (ibid. lib. 2 cap. 7 nr. 24): « Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua et spiritu sancto concessitque tibi peccata, ipse te ungat in vitam aeternam ». (ML 16, 430). Lib. 3 cap. 1 explicat: « Accipis autem myron, hoc est unguentum super caput. Quare supra caput? Quia sensus sapientis in capite eius, Salomon ait (Eccle 2, 14); friget enim sapientia sine gratia; sed ubi gratiam acceperit sapientia, tunc opus eius incipit esse perfectum. Haec regeneratio dicitur » (ML 16, 431). *De mysteriis* 6 hanc unctionem explicat: « Omnes enim in regnum

Dei et in sacerdotium ungimus gratia spirituali » (ML 16, 398). Post lotionem pedum induunt vestimenta candida. *De Sacramentis* lib. 3 cap. 2: « Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat; quando ad invocationem sacerdotis spiritus sanctus infunditur, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris: septem quasi virtutes spiritus » (ML 16, 434). Post haec sequitur Eucharistia. Ergo communicatio septiformis Spiritus per invocationem sacerdotis; nihil dicit de aliqua unctione; quae si adfuisset, sine dubio eius sensum explicasset, sicut explicavit sensum unctionis ante et post baptismum.

33. Concilium Arausicanum (441) can. 2 (Mansi 6,435): « Nullum ministrum qui baptizandi recepit officium sine chrismate usquam debere progredi; quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est; non ut praeiudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio ». [11]. Id quod certo hoc loco praescribi videtur est: Minister, postquam baptizavit, debet chrismare. Quodsi hanc chrismationem ob aliquam causam omiserit, episcopum ante confirmationem monere debet; sine dubio, ut episcopus eam faciat. Ergo videtur supponi, episcopum, si nihil ei dicitur, non chrismare.

---

[11] De sensu huius canonis et variis eius explicationibus vide Van den Eynde O. F. M. *Le deuxième canon du concile d'Orange de 441 sur la chrismation.* Rech. de Théol. anc. et méd. 11 (1939) 97-109. Recenter quaestionem resumit A. Chavasse, *Le deuxième canon d'Orange de 441.* Mélanges Podechard, 1945, 103-120, qui sensum canonis ita fere refert: Baptizatus semel tantum chrismatur et quidem per se ab ipso baptizante. Episcopus per se non chrismat, sed solum, si chrismatio a baptizante omissa fuit. Ratio huius usus datur: una enim est benedictio chrismatis, unde chrisma virtutem suam habet. Secunda ergo chrismatio solum repeteret id, quod prima chrismatio fecit. Propterea tamen secunda chrismatio non excluditur (videtur allusio ad usum Romanum; cf. Innoc. I supra nr. 21), sed ea non est necessaria.

Ergo chrismatio non erat ritus, quo in confirmatione per episcopum communicabatur Spiritus sanctus.

34. Concilium Illiberitanum (paulo post 300), can. 38: « Loco peregre navigantes aut si ecclesia proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit ». Can. 77: « Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit; quod si ante de saeculo recesserit sub fide qua quis crediderit poterit esse iustus ». (Mansi 2, 12).

35. Pacianus († ante 392), *De baptismo* nr. 6: « Haec autem (scl. filios dei fieri) compleri alias nequeunt, nisi lavacri et chrismatis et antistitis sacramento. Lavacro enim peccata purgantur; chrismate sanctus Spiritus superfunditur; utraque vero ista manu et ore antistitis impetramus: atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo » (ML 13, 1093). *Epistula* 6 contra eum, qui dicit solum Deum posse remittere peccata, vult ostendere hanc potestatem ab apostolis transiisse in episcopos, et Deus facit quod sacerdotes eius faciunt. Citatis verbis Matth 16, 19 pergit: « Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est. Quod si uno in loco et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est, aut nec illud ex decretis relaxatum est. ... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, maiorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque ius adfuit atque solvendi » (ML 13, 1057). Nota parallelismum: baptizare, Spiritum sanctum dare, peccata purgare; lavacri potestas, chrismatis potestas, ius ligandi et solvendi; ubi « spiritum sanctum dare » correspondet « chrismatis potestas ».

36. Concilium Toletanum I (400) can. 20. Solus episcopus debet chrisma conficere. « Episcopum sane certum est omni tempore licere chrisma conficere, sine conscientia autem episcopi nihil penitus faciendum; statutum vero est diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo; praesente vero, si ab ipso fuerit praeceptum » (Mansi 3, 1002).

Concilium Hispalense II (619) canone 7 inter ea, quae presbyteris non licent, enumerat: « per impositionem manus fidelibus baptizatis ... Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare » (Mansi 10, 559).

37. Isidorus Hispalensis († 636) *De ecclesiasticis officiis*, 2, 25 agit de baptismo, cap. 26 de chrismate: « Sed postquam Dominus noster verus rex et sacerdos aeternus a Deo Patre coelesti ac mystico unguento est delibutus, iam non solum pontifices et reges, sed omnis Ecclesia unctione chrismatis consecratur, pro eo quod membrum est aeterni regis et sacerdotis. Ergo quia genus sacerdotale et regale sumus, ideo post lavacrum ungimus, ut Christi nomine censeamur » (ML 83, 823). Capite 27 agit de manuum impositione vel confirmatione. « Sed quoniam post baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum apostolos fecisse meminimus ». Citatis verbis Actuum pergit (col. 825): « Spiritum autem sanctum accipere possumus, dare non possumus, sed, ut detur, Dominum invocamus (cf. supra quae habet s. Augustinus). Hoc autem a quo potissimum fiat, quemadmodum papa s. Innocentius scripserit, subiiciam; dicit enim, non ab alio quam episcopo fieri licere, nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent » et deinde refert ipsa verba Innocentii. Cf. *Etym.* 6, 19, 39 (ML 82, 255); 6, 50, 51 (ML 82, 256).

38. Ergo a primis temporibus invenimus a) *unctionem* vel *chrismationem* post baptismum, ante impositionem manus. Hic ritus non considerabatur ille, quo habetur collatio Spiritus sancti quae propria est sacramento confirmationis; non debuit fieri ab episcopo confirmante; potuit tempore et loco ab collatione confirmationis

distare; hic ritus hodie adhuc habetur tamquam ritus accessorius baptismi.

b) *Impositio manus* episcopi cum invocatione Spiritus sancti: ritus cui in primis saeculis tribuebatur collatio Spiritus sancti propria sacramento confirmationis; speciali modo episcopo reservatus erat; ipse ritus clare significat communicationem Spiritus sancti. Hic ritus transiit in extensionem manus cum invocatione Spiritus sancti, quae hodie adhuc habetur, sed est ritus accessorius confirmationis; non est ritus quo confertur Spiritus sanctus.

c) *Consignatio*: primo fiebat sine unctione, postea cum unctione, chrismatione: signum crucis in fronte. Initio, etiam cum iam coniunctus erat unctione, non erat ritus communicans Spiritum sanctum, sed ritus accessorius impositioni manus, sicut unctio, chrismatio post baptismum, ritus accessorius baptismi. Hic ritus hodie proprie habetur collativus Spiritus sancti. Non opus videtur notare, impositionem manus, quam aliqui theologi inveniebant in immediato tactu pollicis, vel manus impositionem a tactu pollicis distinctam, recenter praescriptam, non esse identicam cum illa manus impositione et invocatione Spiritus sancti, cui primis temporibus collatio Spiritus sancti tribuebatur.

Et haec de Ecclesia latina.

39. S. Theophilus Antiochenus, *Ad Autolycum* (ca. 181/182) lib. 1 nr. 12: « Tu non vis ungi oleo Dei? Nos enim ideo Christiani vocamur, quod Dei oleo ungimur » (MG 6, 1041). Unctio propter exempla allata intelligenda videtur realis unctio. Ita hic videtur primus textus, qui ostendit christianos unctos esse. Plura tamen de hac unctione non dicit.

40. Didascalia Apostolorum (orta saeculo tertio) [12]. Ritus baptizandi erat: 1) Unctio capitis, facta ab episcopo cum impositione manus; 2) Unctio totius corporis, facta ab aliquo ex ministris, vel apud feminas a muliere, diaconissa; 3) ipse baptismus. Post baptismum nihil de aliqua unctione [13]. Hic ritus secundum *Connolly* con-

[12] Connolly, *Didascalia Apostolorum*. Oxford 1929.
[13] Connolly, pag. XLIX.

venit cum praxi antiquarum ecclesiarum syriacarum vel syriace loquentium, uti apparet in documentis saec. 3. 4. et 5, eundemque ritum eruit ex hymnis *s. Ephraem* in Epiphaniam, et ex homilia 12 Aphraatis [14]. Secundum Connolly ritus unctionis post baptismum apud Nestorianos primo invenitur saeculo 7; sed secundum *De Vries* testimonium hoc non est certum; primum testimonium clarum pro unctione post baptismum est ex saeculo 9 [15].

41. Theodorus Mopsuestenus († 428). Post abrenuntiationem satanae sacerdos signat oleo unctionis in fronte et dicit: Signatur N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, per quam signatur ovis Christi, miles regis caelestis. Sequitur unctio in toto corpore facta per sacerdotem, qui dicit: Ungitur N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Benedictio aquae; baptismus; vestis splendida. « Itaque postquam accepisti gratiam per baptismum et induisti vestem albam et candidam, accedit sacerdos et in fronte te signat dicens: Signatur N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Postquam Iesus ascendit de aqua, accepit gratiam Spiritus sancti, qui in specie columbae venit et mansit super eum; propterea et a Spiritu sancto unctum esse dicitur: Spiritus Domini super me et propterea unxit me Deus; et Iesum Nazarenum, quem unxit Spiritus sanctus, ut ostendatur, Spiritum sanctum ab eo omnino non separatum esse; eodem modo unctio olei adhaeret et illis, qui ab hominibus uncti sunt, neque separatur ab eis. Postquam hoc modo nativitatem sacramentalem accepisti per baptismum, accedis exinde ad cibum immortalem » [16].

42. Constitutiones Apostolorum (ortae sub fine saec. 4 vel initio saec. 5 in Syria). Lib. 3 cap. 16: Episcopus ungit oleo sancto;

---

[14] Connolly, *The liturgical homilies of Narsai.* Texts and Studies VIII, 1 (1909) XLII ss. — Idem, The Journal of theological Studies VIII (1907) 252.

[15] W. De Vries, *Sakramententheologie bei den Nestorianern.* Roma 1947, 182 s. De *Aphraate* (initio saec. 4), cuius ritus sunt: unctio, benedictio aquae, baptismus, eucharistia, vide Edward J. Duncan, *Baptisme in the Demonstrations of Aphraates the Persian Sage.* Washington 1945.

[16] A. Rücker, *Ritus baptismi et missae quem descripsit Theodorus episcopus Mopsuestenus.* Opuscula et textus, ser. lit. 2. Monasterii 1933.

deinde episcopus vel presbyter baptizat in aqua; postea episcopus ungit chrismate. Lib. 7 cap. 22: « Unges autem primo oleo sancto, deinde baptizabis aqua, et tandem signabis unguento, ut oleum quidem sit participatio Spiritus sancti, aqua vero symbolum mortis, unquentum autem sigillum pactionum. Si desit oleum vel unguentum, sufficit aqua et ad unctionem et ad signationem et ad confessionem morientis sive commorientis ». Fusior descriptio habetur cap. 39-45. Cap. 42: « Post hanc autem professionem ordine venit ad olei unctionem. Benedicitur autem hoc a sacerdote in remissionem peccatorum et praeparationem baptismi. Invocat enim hic ingenitum Deum, patrem Christi, regem omnis naturae in sensum ac intelligentiam cadentis, ut sanctificet oleum nomine Domini Iesu et det gratiam spiritualem et vim efficacem, remissionem delictorum atque praeparationem confessionis baptismi, ut is, qui ungitur, solutus omni impietate fiat dignus initiatione secundum unigeniti praeceptum. (43) Deinde venit ad aquam ... (44). Et post hoc, cum baptizaverit eum in nomine patris et filii et spiritus sancti, linat unguento ac dicat: Domine Deus, qui ingenitus es et dominum non habes, ipse omnium Dominus, qui odorem cognitionis evangelii in omnibus gentibus suavem praebuisti; tu et nunc praesta, ut hoc unguentum efficax fiat in baptizato, quo firma et stabilis maneat in ipso fragrantia Christi tui, sui ipse commortuus consuscitetur ac convivat. Haec et his consentanea proferat. Nam haec est potestas impositionis manuum unicuique factae; nisi enim in unumquodque eorum talis quaepiam invocatio a pio sacerdote adhibetur, qui baptizatur in aquam tantum descendit, ut Iudaei, et corporis tantum sordes, non autem animae deponit ». Secundum Van den Eynde [17] impositio manus, de qua hic sermo est, non est sola ea, quae habeatur in unctione post baptismum, sed ea quae habetur tum in unctione oleo facta ante baptismum, tum in ipso baptismo, tum in unctione post baptismum; similiter invocatio est ea, quae habetur in consecratione olei, aquae et unguenti, et quae fit in ipsis ritibus. Comunicatio Spiritus sancti tribuitur unctioni, quae fit ante baptismum (7, 22); in nullo autem textu, qui

[17] *Baptême et Confirmation d'après les Constitutions Apostoliques VII, 44, 3.* Rech. de science rel. 27 (1937) 196-212.

loquitur de unctione post baptismum, vel de oratione cum ea coniuncta, allusio habetur ad donum Spiritus sancti.

43. Testamentum Domini Nostri Iesu Christi (ed. Rahmani, Moguntiae 1899. Circa 475, probabiliter in Syria, ortum; pendet a Traditione apostolica Hippolyti et libro 8. Constitutionum Apostolorum). Lib. 2, 8: Post abrenuntiationem satanae ungitur « oleo exorcizato, dum ille qui ipsum ungit dicit: Ungo (te) hoc oleo ad liberationem ab omni spiritu pravo et impuro et ad liberationem ab omni malo » (pag. 129). Post baptismum « ipsum ungat presbyter oleo, super quod gratiarum actio recitata fuit dicens: Ungo te oleo in nomine Iesu Christi ». Mulieres autem a viduis ungantur, cum presbyter super eas recitat verba. Lib. 2, 9: « Cum itaque congregati simul fuerint in ecclesia, episcopus imponat super illos manum et dicat sic proferens super illos Invocationem Spiritus sancti. Domine Deus, qui per dilectum Filium tuum Iesum Christum sanctos tuos apostolos Spiritu tuo sancto replevisti: qui per eundem Spiritum concessisti, ut beati prophetae tui loquerentur; qui dignos effecisti hosce famulos tuos, ut per Christum tuum mererentur remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis, atque ab illis omnem caliginem erroris tenebrasque infidelitatis abstersisti, fac ipsos per tuam philanthropiam dignos, qui tuo Spiritu sancto repleantur, tribuens eis tuam gratiam, ut serviant in veritate tibi, Deus, secundum tuum placitum, sancteque praecepta tua adimpleant, ut praestantes omni tempore, quae sunt voluntatis tuae, ingrediantur in tabernacula tua aeterna per te et per dilectum Filium tuum Iesum Christum, per quem tibi gloria et imperium cum Spiritu sancto in saecula saeculorum. Similiter (episcopus) oleum infundens et manum super caput eius (i. e. recens baptizati) imponens dicat: Ungendo ungo (te) in Deo omnipotenti, in Christo Iesu et in Spiritu sancto, ut sis operarius habens fidem perfectam et vas ipsi gratum. Et signans illum in fronte, det ipsi pacem dicens: Deus humilium sit tecum; et qui obsignatur respondeat: Et cum spiritu tuo. Et ita cum singulis faciat » (pag. 131).

44. Ps-Iustinus, *Quaestiones et responsiones ad orthodoxos* (in fine saeculi quarti vel medio saeculo quinto). Quaestio 137: « Si

ante sepulturam Maria Dominum unguento unxit (Matth 26), nos autem passionis eius et resurrectionis in baptismo celebramus symbola, cur primum oleo ungimur, deinde, postquam praedicta in lavacro celebravimus symbola, unguento demum ungimur? Quomodo nobis haec facere non videmur contra quam circa Dominum facta sunt, si quidem primo Dominus unguento unctus, deinde passus est? Quomodo autem non etiam frustra olei unctio adhibetur baptizandis, si quidem solo unguento sub passionem unctus est Dominus? Resp. Quandoquidem quae ecclesia ad sepulturam facit, ea post mortem illius facit qui sepultus est, beata autem Maria Dominum unxit ante mortem, sicut scriptum est: Quod fecit haec ad sepulturam meam fecit: praevenit enim ut ungeret corpus meum (Marc 14, 8). Illud autem praevenit, idem valet ac ante idoneum tempus unxit corpus meum, propterea nihil fit, quod contrarium sit, sed quod circa Dominum ante tempus factum est, id in baptizandis fit convenienti tempore. Ungimur autem veteri oleo (intelligendum videtur oleum exultationis, i. e. oleum catechumenorum), ut Christi efficiamur, unguento autem ad recordationem Salvatoris Christi, qui unguenti unctionem sepulturam suam esse duxit, ac nos per figuram quidem hac in vita, revera autem in futura in communicationem passionum suarum et gloriae vocavit » (MG 6, 1390 s.).

45. Theodoretus († ca. 458) *In Cant.* 1, 2. Post explicationem verborum « Unguentum effusum nomen tuum » pergit: « Quod si etiam magis mystice vis intelligere, sacri baptismatis mysterii recordare, in quo qui initiantur post tyranni abnegationem et regis confessionem, veluti signo et nota quadam regia, spiritualis unguenti chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie, invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam accipiunt » (MG 81, 60). *In Hebr.* 6, 1: « Qui enim crediderunt... accedunt ad divinum baptismum et per manum sacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt, et in divino baptismo resurrectionis typum recipientes... » (MG 82, 716).

46. Ps-Dionysius Areopagita, *De ecclesiastica hierarchia* (ex fine saeculi quinti). Cap. II, 2. Post abrenuntiationem satanae, trinam professionem fidei, ministri baptizandum penitus exuunt, « sa-

crum unctionis oleum afferunt sacerdotes. Pontifex vero trino signaculo incohans unctionem, sacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum » (MG 3, 395). Interim pontifex fontem consecrat; sequitur baptismus; vestitur et rursus ad pontificem ducitur, « qui divinitus sacrato oleo virum consignans, sacrosanctae Eucharistiae participem declarat ». Cap. II, 3 § 6 explicatur unctio, quae fit ante baptismum: « ipse siquidem antistes deiformis sacram auspicatur unctionem, quam caeteri exinde sacerdotes consummant, ad sacra per figuram hanc certamina initiatum excitantes sub Christi munerario constitutum ... » (MG 3, 402). § 7 explicatio ipsius baptismatis; deinde § 8: « Denique unguenti illa consummans unctio eum qui initiatur odoris suavitate perfundit; sacra enim divinae generationis initiatio ea quae initiata sunt divino Spiritui coniungit. Porro illapsum illum, qui spiritalem istam odoris suavitatem affert, cum sit prorsus ineffabilis, spiritaliter relinquo cognoscendum iis, qui secundum mentem sancta et deifica Spiritus communione digni sunt habiti. Demum omnibus peractis, eum qui initiatus est ad sanctissimam Eucharistiam vocat et mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit » (MG 3, 403).

47. S. Cyrillus Hierosolymitanus († 386). In catechesi mystagogica prima agit de baptismo et quidem de iis quae in exteriore aede gesta sunt; in secunda iterum de baptismo, quae in interiore aede peracta sunt, ubi nr. 3 dicit de unctione ante baptismum [18]: « Deinde vero exuti exorcizato oleo perungebamini a summis verticis capillis usque ad infima et participes facti estis sincerae olivae Iesu Christi. Excisi enim ex oleastro inserti estis in sinceram olivam et consortes effecti estis pinguedinis verae olivae » (pag. 82). Deinde de ipso baptismo. Catechesi tertia agit de Chrismate. Legebatur primo 1 Io 2, 20-28. Christus spirituali oleo, scl. Spiritu sancto unctus est, vos autem unguento uncti estis. Christi consortes et participes effecti. Nr. 3: « Ceterum vide ne nudum suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis eucharistiae post invocationem sancti Spi-

[18] Textus secundum I. Quasten, *Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima*. Florilegium patristicum 7, 2. Bonnae 1935.

ritus non est vilis panis, sed corpus Christi, ita sanctum illud unguentum non iam nudum neque, si quis ita dicere malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donum et Spiritus sancti per praesentiam divinitatis eius efficiens fit. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili corpus ungitur, sancto et invisibili spiritu anima sanctificatur. (4) Ac primum quidem in fronte uncti estis, ut ea verecundia liberaretur, quam primus homo transgressor ubique circumferebat, utque retecta facie gloriam hominis tamquam in speculo contemplaremini. Deinde in auribus, ut acciperetis aures divinorum mysteriorum audientes... Tum in naribus, ut divino accepto unguento diceretis: Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt. Tum vero in pectore, ut induti lorica iustitiae staretis adversus insidias diaboli. Nam sicut Christus post baptismum et Spiritus sancti descensum egressus debellavit adversarium, ita vos post sacrum baptisma et mysticam unctionem induti tota sancti Spiritus armatura adversus oppositam potestatem consistitis eamque debellatis dicentes: Omnia possum in eo qui me confortat Christo. (5) Hoc sancto chrismate digni habiti vocamini christiani, veritatem nominis quoque huius regeneratione probantes. Priusquam enim hac gratia digni haberetis, eo nomine proprie digni non eratis, sed quasi iter facientes progrediebamini, ut essetis Christiani » (pag. 89 ss.). 7: « Hoc immaculatum custodite... Est enim hoc sanctum chrisma spirituale corporis tutamentum et animae salutare praesidium » (pag. 91 s.).

48. Novit quidem s. Cyrillus apostolos Spiritum sanctum dedisse per impositionem manus (Cat. 14, 25; MG 33, 858; Cat. 17, 25, 30; MG 33, 995, 1003); sed describendo et explicando ritum initiationis numquam alicui impositioni manus collationem Spiritus sancti tribuit, sed semper chrismati, unctioni cum chrismate factae. Imo, nunc non per impositionem manus communicari Spiritum sanctum insinuare videtur Cat. 16, De Spiritu sancto, ubi ostendit, iam in Vetere Testamento datum esse Spiritum sanctum. « Et Iesu Nave filius repletus est Spiritu sapientiae: imposuit enim Moyses manum super illum, Eundem ubique tum in Veteri tum in Novo foederi figuram designantem vides. Sub Moyse per impositionem manuum dabatur Spi-

ritus; et Petrus per impositionem manuum largitur Spiritum. In te quoque, qui baptizandus es, perventura est gratia. Quonam vero modo non dico; nec enim tempus anteverto » (MG 33, 955), quibus verbis indicare videtur nunc Spiritum sanctum non dari per impositionem manuum, sed alio modo.

49. Clemens Alexandrinus († ante 215). *Paedagogus* lib. 1: « Tincti illuminamur; illuminati in filios adoptamur; adoptati perficimur; perfecti immortales reddimur. Ego, inquit, dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes (Ps 81, 6). Multis autem modis vocatur hoc opus: gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus. Gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est per quam Deum perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei desit, qui Deum novit » (MG 8, 282). Lib. 2 cap. 8, ubi quaerit, an unguentis et coronis utendum sit, oleum dicit esse Dominum; unguentum autem est oleum adulterinum, est Iudas proditor (MG 8, 468; cf. 474). *Stromata*, lib. 2 cap. 3 loquitur de baptismo rationis consentaneo et de beato signaculo (MG 8, 942 s.). *Cohortatio ad gentes* cap. 12 invenitur allusio ad eum qui mystam illuminaturum obsignat; ibidem loquitur de unctione fidei unguento (MG 8, 242).

50. Origenes. *In Exodum* hom. 8, 4 loquitur de sacramentis, quae norunt illi qui initiati sunt (MG 12, 356); similiter *in Iesu Nave hom.* 4 (MG 12, 843). In baptismo accipimus Spiritum sanctum: *Comment. in Ioannem*, Tom. 6 nr. 17: « Sciendum est insuper... lavacrum aquae, symbolum et nota exsistens purificationis animae ablutae ab omni sorde malitiae, nihilominus, etiam ex se, esse principium ac fontem munerum divinorum, propter potentiam invocationum adorandae Triadis, ei qui se exhibuerit deitati. Divisiones enim donorum sunt (1 Cor 12, 4)). Testimonium autem meis verbis praebet historia in Actis Apostolorum (8, 15 ss.) scripta de eo, quod adeo evidenter tunc advenerit Spiritus his qui baptizabantur, praestruente viam aqua his, qui sincere ad ipsum accedebant: adeo ut Simon ille Magus obstupefactus vellet a Petro hanc gratiam accipere,

velletque rem iustissimam per mammona iniquitatis ». Baptismus Ioannis est infra baptismum Iesu. Act. 19, 2 ss. ii qui baptismo Ioannis baptizati erant et non audiverant esse Spiritum sanctum « denuo ab Apostolo baptizantur, quia regeneratio non apud Ioannem, sed apud Iesum per apostolos suos fiebat, atque etiam regenerationis quod dicitur lavacrum, quod fiebat cum renovatione spiritus, qui etiam nunc praefertur aquae, quoniam a Deo est, sed non omnibus post aquam imprimitur et ingeneratur » (MG 14, 258). *In Ezechielem hom.* 6. 5: Non omnes, qui lavantur, in salutem lavantur. « Qui lavatur in salutem, et aquam accipit et Spiritum sanctum. Quia non fuit Simon lotus in salutem, accepit aquam et non accepit Spiritum Sanctum, putans quia possit donum Spiritus pecunia comparari, in qua non est lotus in salutem » (MG 13, 713 s.). In baptizando occurrit aqua et unctio: *In Ezechielem* hom. 7, 4: « Oleum est quo vir sanctus ungitur, oleum Christi, oleum sanctae doctrinae. Cum ergo accepit aliquis hoc oleum quo ungitur sanctus, id est Scripturam sacram instituentem quomodo oporteat baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: et pauca commutans unxerit quempiam, et quodammodo dixerit, iam non es catechumenus, consecutus es lavacrum secundae generationis; talis homo accipit oleum Dei et incensum et ponit illud ante faciem idolorum » (MG 13, 722). *Comment. in Epist. ad Romanos* lib. 5 nr. 8: « Et quamvis secundum typum ecclesiis traditum omnes baptizati simus in aquis istis visibilibus, et in chrismate visibili, tamen qui mortuus est peccato et vere baptizatus in morte Christi, et consepelitur ei per baptismum in mortem, iste vere in Spiritu sancto et aqua de superioribus baptizatur » (MG 14, 1058). *Selecta in Ezechielem* cap. 16: « Et lavi te in aqua: lavacro et gratia sancti Spiritus, verboque sanctificante. Et unxi te oleo: Unguentum est inhabitatio sancti Spiritus in scientia veritatis ». Paulo inferius: « Et incensum: Incensum et oleum ea est oratio quae ad Deum cum scientia emittitur e mente, et qua Deus delectatur » (MG 13, 811). *In Leviticum* 6, 5: « Potes enim et tu, ut saepe iam diximus, si studiis et vigiliis tuis huiuscemodi tibi praeparaveris indumenta, si te abluerit, et mundum fecerit sermo legis, et unctio chrismatis, et gratia in te baptismi incontaminata duraverit, si indutus fueris indumentis duplicibus litterae ac spiritus... » (MG 12,

472). De signo Christi in fronte loquitur *In Psalmum* 38 hom. 2 nr. 5 (MG 12, 1405); *Sel. in Ezechielem*, cap. 9 (MG 13, 802).

51. Sacramentarium Serapionis (medio saeculo quarto). *Oratio in unctionem baptizandorum*: « Domine, amans hominum et amans animarum, misericors ac benigne, Deus veritatis, invocamus te obsequentes et confidentes promissionibus unigeniti tui, qui dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et ungimus hac unctione eos, qui accedunt, vel eas, quae accedunt ad hanc divinam regenerationem, deprecantes, ut Dominus noster Christus Iesus eis operetur vim sanantem ac confortantem et revelet per hanc unctionem et tollat ab anima et corpore et spiritu eorum omne signum peccati et iniquitatis vel causae diabolicae, propria gratia remissionem eis praebeat, ut a peccato liberati iustitiae vivant et per hanc unctionem reformati e per lavacrum purificati et per spiritum renovati possint devincere in reliquum adversarias operationes ac fraudes huius vitae ipsis instantes et ita aggregari et uniri cum grege Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi et cum sanctis cohereditare promissiones, quoniam per eum tibi gloria et imperium in sancto spiritu in omnia saecula saeculorum, amen ». (Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, 2. Paderbornae 1905, 185). *Oratio in oleum quo unguntur baptizati*: « Deus virtutum, auxiliator omnis animae, quae se ad te convertit ac fit sub potenti manu tua unigeniti, invocamus te, ut per divinam et invisibilem virtutem tuam Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi operēris in hoc oleo operationem divinam ac caelestem, ut baptizati etiam uncti in eo effig'es signi salutaris crucis unigeniti, per quam crucem depulsus et triumphatus est satanas et omnis potestas adversaria, tamquam regenerati ac renovati per lavacrum regenerationis et hi participes fiant doni spiritus sancti et hoc sigillo confirmati permaneant stab'les et immobiles, innocui et inviolati, minarum et insidiarum expertes, conversantes in fide ac cognitione veritatis usque ad finem, exspectantes spes vitae caelestes et promissiones aeternas Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, per quem tibi gloria et imperium in sancto spiritu et nunc et in omnia saecula saeculorum, amen » (Funk, 187 s.).

52. S. Cyrillus Alexandrinus († 444). *In Isaiam* lib. 3 tom. 1: « Unguentum nobis perpulchre sancti Spiritus unctionem designat. Scribit enim sapiens Ioannes: Et vos unctionem habetis a sancto: neque opus habetis, ut quis doceat vos, at sicut unctio docet vos de omnibus (1 Io 2, 20. 27). Ungimur enim unguento tempore praesertim sacri baptismatis, chrisma statuentes symbolum participationis sancti Spiritus » (MG 70, 562). *In Ioelem prophetam* nr. 32: « Sciendum praeterea etiam secundum mysticum eventum promissionem veram esse. Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis, et tamquam in frumento panis vivus, et tamquam in vino sanguis. Accessit usus olei, qui per sacrum baptisma in Christo iustificatis ad consummationem conferret » (MG 71, 374). *In Ioannem* (fragm.) occurrit « instructionis chrisma seu in sancto baptismate perfectionis » (MG 74, 50).

53. S. Ioannes Chrysostomus († 407). *In Actus Apostolorum*, ad cap. 19, 1 ss. notat: discipuli Ioannis a Paulo baptizati acceperunt ex manus impositione Spiritum sanctum; inde concludit: ergo per baptismum habetur perfecta purgatio a peccatis, secus enim non accepissent Spiritum sanctum (MG 60, 283 s.). Ibid. col. 285: « Caput bonorum habemus per baptismum: peccatorum remissionem accepimus, sanctificationem, spiritus participationem, adoptionem, vitam aeternam ». *In epist. ad Coloss.* cap. 2 hom. 6, 4: « Exuit tunc (Adam) ille gloriam quam aliquando habuit; nunc hic veterem exuit hominem, et priusquam ascendat, tam facile exuit quasi vestimenta. Ungitur sicut athletae stadium ingressuri. Simul enim nascitur, et non sicut primus ille qui paulatim, sed statim; non sicut olim sacerdotes solo capite, imo vero amplius. Nam ille quidem capite, aure dextera, manu, ut et ad obedientiam et bona opera eum excitaret: hic autem totus ungitur. Non solum enim venit ut doceatur, sed etiam ut decertet et exerceatur. Ad alteram reducitur creaturam. Nam quando confessus fuerit vitam aeternam, confessus est aliam creaturam. Accepit pulverem e terra et finxit hominem. De caetero autem non pulverem, sed Spiritum sanctum: hoc (i. e. Spiritu sancto) fingitur, hoc componitur, sicut et ipse in utero virginis ... Fingitur et formatur in aqua, anima respondentem accipit

spiritum ... dat eis filios Dei fieri ... Deinde ne audias serpentem statim doceris dicere: Abrenuntio tibi ... Cum primum enim ascenderit, haec verba loquitur: Pater noster qui es in caelis, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra » (MG 62, 342).

54. *Ritus confirmandi Graecorum.* « Et postquam indutus fuerit, adiicit sacerdos orationem hanc ... Oratione hac terminata baptizatum S. Unguento ungit, Crucis signum faciens in fronte et in oculis et in naribus et in utraque aure et in pedibus dicens: Signaculum doni Spiritus Sancti. Amen » (ASSEMANI, *Codex liturgicus ecclesiae universae* 3, 56 ss.).

55. *Ecclesiae Alexandrinae Coptitarum et Aethiopum*: « Sacerdos tenet s. Chrismatis vas et coram altari orat super illud: Domine qui solus es omnipotens, et omnia mirabilia agens, nihilque tibi Domine impossibile est, sed beneplacito tuo in omnibus efficax exstat virtus tua; elargire Sanctum Spiritum per sancti Chrismatis unctionem, ut fiat vivificum obsignaculum et famulo tuo robur, seu confirmatio per filium tuum unigenitum Iesum Christum Dominum nostrum per quem etc. Deinde sancto Chrismate unge frontem baptizati atque oculos sic dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Unctio gratiae Spiritus Sancti Amen. Unge nares et os dicens: Unctio regni caelorum Arrhabonis: Amen (et similiter cum verbis correspondentibus unguntur aures, manus intra et extra; cor; genua, sola pedum, spina, brachia, humeri et ante cor; ad haec ultima dicitur: linio te NN. oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti). Postea impone manum tuam super eum et sic: Benedicaris benedictione caelitum, angelorumque benedictione. Dominus noster Iesus Christus tibi in suo nomine benedicat. Hic in gloriosae crucis figuram insuffla in faciem eius. Accipe Spiritum Sanctum, et vas purum esto, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria cum ipsius Patre bono et Spiritu Sancto nunc et semper etc. ». Deinde baptizatus albis induatur vestibus ... (ASSEMANI 3, 82 ss.; DENZINGER, *Ritus Orientalium* 1, 209).

56. *Armeni*: Post baptismum « dicit orationem: Deus qui magnus es et sempiternus, atque omnia occulta sciens; qui sanctus

es, et in sanctis habitas, salvator omnium hominum: qui tuis fidelibus scientiam tribuis veritatis, et dedisti potestatem filios Dei fieri per regenerationem ex aqua et Spiritu, quo famulum hunc tuum N. suaviter renovasti lavacro tuo: sanctifica eum veritate tua et lumine gratiarum Sancti Spiritus tui, ut fiat templum et habitaculum divinitatis tuae, valeatque confidenter assistere ante altare Unigeniti tui, Domini nostri Iesu Christi, cum quo te Patrem omnipotentem, simul et vivificantem ac liberatorem Sanctum Spiritum decet gloria, imperium, et honor nunc et semper etc. Postea vero signat sacro Chrismate primo frontem dicens: Oleum suave effusum in nomine Iesu Christi super te, signaculum caelestium donorum. Aures, dicens: Unctio sanctificationis sit ad auditionem divinorum mandatorum (deinde oculos, nares, os, manus iunctas, pectus, humerum, pedes, scapulas). Post haec autem dicat: Pax tecum. Baptizatus respondet: Et cum spiritu tuo. Mox induit eum etc ... » (Assemani 3, 118 ss.; Denzinger 1, 388).

57. *Nestoriani*: « Et elevat eum de aquis educitque eum per portam cancellorum traditque eum propinquo suo, non alteri ... Deinde egreditur sacerdos ex porta cancellorum habens secum crucem, evangelium, thuribulum, lampades et cornu Chrismatis, et dicit diaconus: Oremus. Pax nobiscum. Sacerdos orat: Gloria tibi, Altissime, qui descendisti et corpus humilitatis nostrae induisti ... Et incipiunt canonem: Venite exultemus ... Diaconus intonat: Pax. Sacerdos repetit hanc manus impositionem, imponens manum suam unicuique eorum, et dicens: Magna sunt, Domine, et admiranda dispensationis tuae opera, quibus enarrandis impar est rationalis natura nostra. Nos enim ex quo primum conditi sumus, corrupimus honorem libertatis nostrae per seductionem Satanae praedatoris nostri, et divinitatis tuae confessionem cum adoratione eius, qui Deus non est, inique commutavimus. Tua autem gratia minime nos dereliquit in perditione, quam propter mala nostra merebamur: sed per apparitionem in carne Unigeniti tui Dei Verbi reduxisti nos ad te, dignosque effecisti, ut te agnosceremus: erexisti humilitatem naturae nostrae per assumptionem primitiarum nostrarum, et constituisti nos heredes futurorum, quae finem non habent, bonorum.

Quumque tempus illud, quod exspectabamus, advenisset ad filiorum adoptionem in redemptionem corporum nostrorum, dedisti nobis pignus consolationis gratiam Spiritus Sancti, quae de sacris mysteriis spiritualis baptismi accipitur; quemadmodum et hodie accessere isti famuli tui et ancillae tuae, et donum istud induerunt, per quod a peccati affectibus liberati, facti sunt pura membra in corpore Christi, qui est caput vitae nostrae. Exspectamus autem, ut custodiat eos gratia tua in castitate vitae et puritate operum: ut fide iustitiaque pleni occurrant reverendae apparitioni Salvatoris nostri Christi, novaque et indissolubili vita perfruantur, atque tibi attollant gloriam et honorem et confessionem et adorationem nunc etc. Et signat unum quemque eorum in fronte, pollice suo dextero ab imo sursum et a dextera ad sinistram dicens: Baptizatus est et perfectus est N. in nomine Patris etc. Si vero unus fuerit, qui baptizatur, dicit sacerdos: Pignus Spiritus Sancti, quod accepisti; sacramentum Christi, quod tulisti; nova vita, quam possedisti, armatura iustitiae, quam induisti: custodiant te a malo et virtutibus eius, et sanctificet membra tua cum puritate, sitque tibi signaculum istud, quod accepisti, in bona futura et intransitoria, in revelatione Domini nostri Iesu Christi, et in novo suo saeculo statuat te ad dexteram suam, et attollat gloriam gratiarumque actionem Patri et Filio et Spiritui Sancto nunc ... » (Assemani 3, 136 ss.; Denzinger 1, 374 ss.).

58. Secundum *De Vries*[19] certum testimonium unctionis postbaptismalis habetur ex saeculo 9; certo ea in usu erat saeculo 14, sed usus non erat communis. Neque constat hac unctione communicari Spiritum Sanctum. Idem ei videtur dicendum de impositione manus, quae fit post baptismum; nam in oratione, quae cum hac impositione manus coniungitur, sermo est solum de donis, quae in baptismo iam collata sunt. Hinc concludit omnibus consideratis dicendum videri, Nestorianos sacramentum confirmationis distinctum a sacramento baptismi non clare cognovisse, et apud eos in usu non esse ritus, qui plene apti sint ad administrandum hoc sacramentum. *Iugie* censet: « Attamen eos adhuc hoc sacramentum con-

---

[19] *Sakramententheologie bei den Nestorianern*, Roma 1947.

ferre opinari quis poterit, quia impositionem manus super caput baptizati cum oratione satis explicita retinent; item, quia consignationem per signum crucis perficiunt antiquam formulam recitando » [20].

THESIS: *Baptizatis confirmatione confertur Spiritus sanctus ad robur, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen.*

59. Affirmatur hac thesi exsistentia alicuius ritus ad communicandum Spiritum sanctum ad roborandos Christianos in confessione fidei; supponitur ergo subiectum iam baptizatum; ergo est ritus a baptismo distinctus. Varia sunt huius ritus nomina: impositio manus; signaculum (σφραγίς), perfectio, consummatio (τελειωσις), unctio (χρίσμα, μύρον), confirmatio (βεβαίωσις), quae nomina vel ex ritu, vel ex eius effectu desumpta sunt, et ex parte fundamentum habent in S. Scriptura: Act. 8; 19; 2 Cor 1, 21. 22 confirmat, unxit, signavit (quamvis hoc loco sermo non sit de hoc ritu). In ecclesia latina nunc praevalet nomen confirmationis.

DOC. ECCLESIAE

60. CONCILIUM ILLIBERITANUM (paulo post 300; supra nr. 26; Denz 52 d, e): Episcopi est per manus impositionem, per benedictionem perficere. INNOCENTIUS I (416; supra n. 21; Denz. 98): episcopi baptizatis tradunt Paracletum Spiritum.

INNOCENTIUS III (1204; Denz. 419): « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur et robur ». IDEM, *Prof. fidei Waldensibus praescripta* (1208; Denz. 424): « Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus ».

---

20 *Theologia dogmatica christianorum orientalium ab ecclesia catholica dissidentium*, tom. 5 (Parisiis 1935) 295. Syri Monophysitae clare distinguunt Baptismum et Confirmationem, quae unctione confertur. Vide DE VRIES, *Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten*. Roma 1940, 124 ss.

Innocentius IV (1245; circa ritus Graecorum; Denz. 450): « Soli autem episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia huius unctio non debet nisi per episcopos exhiberi. Quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur ».

Conc. florentinum, *Decretum pro Armenis* (1439; supra nr. 2; Denz. 699): in confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen.

Ergo clare docetur exsistentia ritus a baptismo distincti, quo post baptismum per episcopos confertur Spiritus sanctus ad robur in confitendo nomine Christi.

S. Scriptura

61. Ex iis quae nr. 3-8 dicta sunt colligitur: Christus fidelibus promiserat Spiritum sanctum, ad hunc quoque finem, ut iis assistat in confitendo Christo. Die Pentecostes collatus est Spiritus sanctus et apostoli statim sine timore praedicant Christum. Idem donum Spiritus sancti apostoli conferunt baptizatis oratione et impositione manuum Act. 8; 19.

Patres

62. Eandem doctrinam a Patribus proponi patet ex textibus in conspectu historico allatis. Est autem haec communicatio Spiritus sancti *perfectio* (s. Ambrosius, nr. 32; Clemens Alexandrinus nr. 49); *consummatio* (Ps-Dionysius nr. 46); *confirmatio*.

Finis ad quem datur hoc ritu Spiritus Sanctus exprimitur in orationibus. *Traditio apostolica*: « ut tibi serviant secundum voluntatem tuam ». *Testamentum D. N. Iesu Christi*: « ut serviant in veritate tibi, Deus, secundum tuum beneplacitum, sancteque praecepta tua adimpleant ». *Sacramentarium Serapionis*: « ut ... participes fiant doni Spiritus Sancti et hoc sigillo confirmati permaneant stabiles et immobiles, innocui et inviolati, minarum et insidiarum expertes, conversantes in fide ac cognitione veritatis usque ad fi-

nem ». *Cyrillus Hierosolymitanus*: « Est enim hoc sanctum chrisma spirituale corporis tutamentum et animae salutare praesidium ».

Theologi

63. *Alcuinus* (798): « Novissime vero per impositionem manus a summo sacerdote septiformis gratiae Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vitae donatus aeternae » [21]. *Rabanus Maurus* († 859): « Nunc (ipse Spiritus Sanctus) in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei, quod in fronte suscepit, faciat eum donis caelestibus repletum, et sua gratia confortatum, intrepide et audacter coram regibus et potestatibus huius saeculi portare, ac nomen Christi libera voce praedicare » [22].

64. Medio saeculo 9 ortae sunt *Decretales Ps.-Isidorianae*, in quibus invenitur *epistula Melchiadi papae adscripta* [23], quae non parvum habuit influxum in theologos scholasticos. « Forte cogitet sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis ministerium confirmantis? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione novi generis indigemus. Non ita, dilectissimi, attendat caritas vestra. Sicut exigit militaris ordo, ut cum imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adiumentum militiae. Numquid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat salutem, nisi providere studeat et tutorem? Itaque paraclitus regeneratis in Christo custos et consolator et tutor est. Ideo dicit sermo divinus: Nisi dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Ergo Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit inlapsu, in fontem plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione

---

[21] Vide infra nr. 80.
[22] Infra nr. 87.
[23] Auctor epistulae est ignotus.

augmentum praestat ad gratiam. Quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur, ac si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati saeculi recipiendos, confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi huius et praelia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem » [24].

Eadem est doctrina Scholasticorum [25].

THESIS: *Confirmatio est verum novae legis sacramentum.*

Sacramentum novae legis est signum sensibile, significans internam gratiam eamque conferens ex opere operato, a Christo institutum (cf. tract. de sacramentis in genere).

65. Confirmationem esse vere et proprie novae legis sacramentum negaverunt novatores saeculi 16. LUTHERUS, *De captivitate Babylonica ecclesiae praeludium*: « Mirum est, quid in mentem illis venerit, ut sacramentum confirmationis facerent ex impositione manuum, qua legimus Christum parvulos tetigisse, apostolis dedisse Spiritum sanctum, ordinasse presbyteros et infirmos curasse, ut ad Timotheum scribit apostolus: Nemini manus cito imposueris. Cur non ex sacramento panis etiam Confirmationem fecerunt, quando scriptum est Act. 9: Et cum accepisset cibum, confortatus est, et Psalm 103: Et panis cor hominis confirmet, ut sic confirmatio tria complectatur sacramenta, panem, ordinem, et ipsam confirmatio-

[24] PAULUS HINSCHIUS, *Decretales Pseudo-Isidorianae*. Lipsiae 1863, 245.

[25] Vide infra nr. 75. De effectu confirmationis cf. H. WEISWEILER, *Das Sakrament der Firmung in den systematischen Werken der ersten Frühscholastik*. Scholastik 8 (1933) 488-514. JAMES R. GILLES O. P. *The effects of the sacrament of Confirmation*. Washington 1940.

nem? Si autem sacramentum est, quidquid apostoli fecerunt, cur non magis praedicationem fecerunt sacramentum? Non haec dico, quod damnem sacramenta septem, sed quod e scripturis ea probari negem. Atque utinam esset in ecclesia talis manuum impositio, qualis erat apostolorum tempore, sive eam confirmationem sive curationem appellare vellemus. At nunc nihil eius relictum est, nisi quantum ipsi excogitavimus pro ornandis officiis episcoporum, ne penitus sint sine opere in ecclesia ... Nos autem pro hac vice sacramenta divinitus instituta quaerimus, inter quae ut confirmationem numeremus, nullam invenimus causam. Ad sacramenti enim constitutionem ante omnia requiritur verbum divinae promissionis, quo fides exerceatur. At nihil legimus Christum uspiam de confirmatione promisisse, licet ipse multis imposuerit manus et Marci ult. inter signa ponat: Manus aegris imponent, et bene habebunt; at haec nemo sacramento, sicut nec potest aptavit. Quare satis est pro ritu quodam ecclesiastico seu cerimonia sacramentali confirmationem habere, similem caeteris cerimoniis consecrandae aquae aliarumque rerum. Nam si omnis alia creatura sanctificatur per verbum et orationem, cur non multo magis hominem liceat sanctificari eisdem, quae tamen, quia promissionem divinam non habent, sacramenta fidei dici non possunt? Neque enim salutem operantur. At sacramenta servant credentes promissioni divinae » [26].

66. Melanchthon, *Apologia Confessionis*, VII, 6: « Confirmatio et Extrema Unctio sunt ritus accepti a patribus, quos ne ecclesia quidem tamquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non est inutile hos ritus discernere a superioribus, qui habent expressum mandatum Dei et claram promissionem gratiae ».

67. Calvinus, *Institutio religionis christianae* cap. 16 nr. 4 ss.: « Hic mos olim fuit ut christianorum liberi, postquam adoleverant, coram episcopo sisterentur, ut officium illud implerent quod ab iis exigebatur, qui se ad baptismum adulti offerebant ... Qui ergo bap-

---

[26] Opera omnia, ed. Weimar 6, 549 s.

tismo initiati erant infantes, quia fidei confessione apud ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiae, aut ineunte adolescentia, repraesentabantur iterum a parentibus, ab episcopo examinabantur secundum formulam catechismi, quam tunc habebant certam ac communem. Quo autem haec actio, quae alioqui gravis sanctaque merito esse debebat, plus reverentiae haberet ac dignitatis, caeremonia quoque adhibebatur manuum impositionis. Ita puer ille, fide sua approbata, cum solemni benedictione dimittebatur... (nr. 5) Posterior autem aetas, re prope obliterata, fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei sacramento posuit. Confirmationis autem virtutem esse finxerunt, spiritum sanctum conferre ad gratiae augmentum, qui in baptismo collatus sit ad innocentiam; confirmare eos ad pugnam qui in baptismo regenerati sunt ad vitam. Peragitur autem haec confirmatio unctione, et hac verborum formula: Consigno te signo sanctae crucis, et confirmo chrismate salutis, in nomine patris et filii et spiritus sancti. Pulchre omnia et venuste. Sed ubi Dei verbum, quod spiritus sancti praesentiam hic promittat? Ne iota quidem obtendere possunt. Unde ergo nos certiores facient, chrisma suum esse vas spiritus sancti? Videmus oleum, crassum scilicet et pinguem liquorem: praeterea nihil. Accedat, inquit Augustinus, verbum ad elementum, et fiet sacramentum. Hoc, inquam, verbum proferant, si quidquam nos intueri in oleo volunt aliud, quam oleum... (nr. 7) Hoc vero non a me, sed a Domino audacter pronuntio, qui oleum vocant oleum salutis, salutem quae in Christo est abiurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent. Oleum enim ventri, et venter oleo: utrumque Dominus destruet... (nr. 13) Utinam vero morem retineremus, quem apud veteres fuisse suspicor, priusquam abortiva haec sacramenti larva nasceretur. Non ut esset confirmatio talis, qualem isti fingunt, quae sine baptismi iniuria nec nominari potest; sed catechesis, qua pueri, aut adolescentiae proximi, fidei suae rationem coram ecclesia exponerent » [27].

68. Secundum *modernistas* (Loisy) chrismatio erat complementum baptismi, significat unctionem Spiritus sancti, qui in baptismo

[27] Corpus Reformatorum 29, 1068 ss.

collatus est; ecclesia ritum baptismi evolvit; formalis autem distinctio duorum sacramentorum non pertinet ad historiam primi christianismi. Theologo vero liberum est, admittere virtualem distinctionem, quae auctoritate ecclesiae, in qua Christus vivit, evadit realis, secundum indigentiam communitatis (*Autour d'un petit livre*, pag. 234 s.). Sententia damnata decreto « Lamentabili » prop. 44 (Denz 2044).

69. Confirmationem esse verum novae legis sacramentum definivit concilium tridentinum sess. 7 can. 1 de Sacramentis in genere (Denz. 844) et can. 1 de sacramento confirmationis (Denz. 871). Vide etiam quae nr. 60, indicata sunt, quibus addi possunt: Decretum pro Armenis (Denz. 695); Prof. fidei Michaelis Palaeologi (Denz. 465).

70. Probamus hanc thesim ostendendo ea, quae requiruntur ad sacramentum, in confirmatione inveniri.

Est ritus sensibilis; patet: impositio manus, chrismatio cum verbis correspondentibus.

Significat internam gratiam. Sacramenta non sunt signa naturalia; ritus significare non potest internam gratiam nisi per institutionem. Potest tamen ritus naturaliter aptus esse ad significandam gratiam internam. Impositio autem manus, vel chrismatio natura sua apta sunt significare collationem Spiritus sancti. De facto autem hoc ritu collationem Spiritus sancti significari apparet ex verbis, sub quibus ritus peragitur, intellectis sicuti in ecclesia intelliguntur. Sic significant collationem Spiritus sancti ad roborandum fideles in fide.

71. *Confert internam gratiam*, i. e. gratiam sanctificantem. Ecclesia definivit confirmationem esse sacramentum et sic valent de ea, quae concilium definivit de sacramentis, can. 6: « Si quis dixerit sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem conferre ... anathema sit » (Denz. 849); de sacramento confirmationis, can. 2: « Si quis dixerit iniurios esse Spiritui sancto, qui sacro confirmationis

chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit » (Denz. 872). *Decretum pro Armenis*: « Per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide » (Denz. 695). *Innocentius* III.: « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur et robur » (Denz. 419).

72. Idem apparet in illis quae in conspectu historico allata sunt: Baptizatis datur hoc ritu Spiritus sanctus et quidem, ut eius gratia interius sanctificentur. *Tertullianus* (nr. 12) anima illuminatur; *s. Augustinus* (nr. 16) Spiritus sanctus inspirat caritatem; *Traditio apostolica* (nr. 18): « Domine Deus ... immitte in eos tuam gratiam ut tibi serviant secundum voluntatem tuam ». *Gelasianum* (nr. 22) datur spiritus septiformis; idem *s. Ambrosius*, (nr. 32). *Testamentum Domini nostri Iesu Christi* (nr. 43): « Domine Deus ... fac ipsos per tuam philanthropiam dignos, qui tuo Spiritu sancto repleantur, tribuens eis tuam gratiam, ut serviant in veritate tibi, Deus, secundum tuum beneplacitum, sancteque praecepta tua adimpleant, ut praestantes omni tempore quae sunt voluntatis tuae, ingrediantur in tabernacula tua aeterna per te et per dilectum Filium tuum etc. » *S. Cyrillus Hierosolymitanus* (nr. 47): « Dum unguento visibili corpus ungitur, sancto et invisibili spiritu anima sanctificatur ». « Est enim hoc sanctum chrisma spirituale corporis tutamentum et animae salutare praesidium ». *Sacramentarium Serapionis* (nr. 51): « Deus virtutum ... invocamus te ... ut baptizati ..., participes fiant doni spiritus sancti et hoc sigillo confirmati permaneant stabiles et immobiles, innocui et inviolati, minarum et insidiarum expertes, conversantes in fide ac cognitione veritatis usque ad finem ... ».

73. Cum s. Paulus discipulis manum imposuisset (Act 19, 6), « venit Spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant »; ergo acceperunt gratias gratis datas, charismata. Simile quid indicari videtur Act. 8, 17. 18, quia dicitur Simon magus « vidisse » per impositionem manus dari Spiritum sanctum. Sed hic non erat finis unicus vel principalis collationis Spiritus sancti. Nam donum Spiritus sancti Christus omnibus fidelibus omnium

temporum promiserat; charismata autem non conferuntur omnibus fidelibus omnium temporum, sed solum in condicionibus specialibus; donum a Christo promissum est aqua saliens in vitam aeternam, quod sine dubio dicit gratiam internam gratum facientem; promiserat Dominus virtutem ex alto, qua corroborentur, Spiritum sanctum, qui assistat in confitendo nomine Christi, quae iterum significant gratiam internam pro eo, qui accipit Spiritum sanctum. Et clara est doctrina s. Pauli, huiusmodi charismata non esse essentiale ipsius doni messianici. Monet enim, postquam de huiusmodi charismatibus locutus est, (1 Cor. 12, 31): « aemulamini autem charismata meliora », et cap. 13: Qui talia charismata habet, non autem caritatem, nihil est. Ita loqui non potuit, si charismata illa essent essentiale vel etiam principale in dono messianico. Caritas autem, quam describit cap. 13 sine dubio dicit sanctitatem internam. Eph 1, 13. 14 dicit Ephesiis: Postquam accepistis fidem « signati estis Spiritu promissionis sancto (Spiritu sancto qui promissus erat), qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis (eius quem sibi acquisivit), in laudem gloriae ipsius ». Talia dici possunt solum de dono gratiae internae gratum facientis. Principale ergo et essentiale est: Spiritus sanctus datur ad sanctificandum baptizatum. Primis quidem temporibus saepius ad confirmandam fidem simul cum hac gratia dabantur charismata, et cum Act. Apost. propagationem fidei describant, intelligitur, cur huius effectus specialem fecerint mentionem.

74. Ergo Confirmatione gratia sanctificans confertur; confertur autem iis, qui iam sunt iustificati; ergo haec collatio gratiae est augmentum gratiae. Simul cum gratia confirmatis datur ius ad specialia auxilia gratiae, suo tempore conferenda, ut confirmatus quasi ex officio et ratione status sui profiteatur fidem [28]. Et ad specialem hunc finem datur eis Spiritus sanctus. Sicuti collatio gratiae sanctificantis non excludit subiectum iam esse sanctificatum, iam habere gratiam sanctificantem, ita collatio Spiritus sancti non ex-

---

[28] Cf. quae de « gratia sacramentali » dicta sunt *De Sacramentis in genere*, nr. 273-281.

cludit subiectum iam in baptismo recepisse Spiritum sanctum. Attendendus est diversus finis ad quem Spiritus sanctus datur (etiam in sacramento ordinis datur Spiritus sanctus).

75. Praeter gratiam sanctificantem effectus confirmationis est *impressio characteris indelebilis* [29]. *S. Thomas* de charactere confirmationis dicit: « Sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem, ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit; sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Sicut patet exemplo apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione (Act 1, 13. 14); postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei christianae (ibid.). Et ideo manifestum est, quod in sacramento confirmatonis imprimitur character » (3, q. 72 a. 5 c). Secundum alios (*Alex. Hal., Bonavent., Albertum Magnum*) baptismo constituitur homo in statu fidei genitae, confirmatione in statu fidei roboratae; *Scotus*: Baptismo constituitur membrum, confirmatione miles.

76. *Confirmatio gratiam confert ex opere operato,* non per vel propter fidem vel meritum subiecti vel ministri, sed ipsa applicatione ritus [30]. Cum in Act. Ap. 8; 19 narratur apostolos dedisse Spiritum sanctum, formaliter non affirmatur eos dedisse Spiritum sanctum per impositionem manus. Sed Simon magus dicitur vidisse

---

[29] De charactere sacramentali cf. *De Sacramentis in genere,* nr. 282-345.

[30] *De Sacramentis in genere,* thes. 8, nr. 354 ss.

« per impositionem manus apostolorum » dari Spiritum sanctum. Hanc « potestatem », quam habebant apostoli, et quam non habuit Philippus diaconus, Simon pecunia emere voluit. Apostoli qui Ierosolymis erant, sciebant se habere talem potestatem, et Philippum diaconum ea carere; propterea miserunt Petrum et Ioannem Samariam. Et sic a primis temporibus clare apparet specialem potestatem requiri ad conferendum confirmatione Spiritum sanctum; haec potestas invenitur in praepositis ecclesiae; ipsi « tradunt » Spiritum sanctum. Si autem ageretur de collatione Spiritus sancti vel de augmento gratiae ex opere operantis, non intelligeretur, cur in ministro specialis potestas requiritur, neque recte diceretur minister « tradere » Spiritum sanctum. Numquam effectus huius ritus describitur excitatio fidei subiecti, neque umquam collatio Spiritus sancti tribuitur fidei vel merito subiecti vel ministri; sed eo quod ipse ritus recte applicatur, communicatur Spiritus sanctus.

77. *Hic ritus ad conferendum Spiritum sanctum institutus est a Christo.* Ex s. Scriptura constat Christum determinasse gratiam, quae hoc ritu fidelibus confertur; apostolos statim ab initio ad hunc effectum obtinendum adhibuisse aliquem ritum. Hoc autem vix aliter videtur explicari posse, quam quod apostoli ita egerint ex ordinatione Christi. Apud scholasticos diversae erant sententiae de institutione sacramentorum, et speciatim de institutione confirmationis [31]. S. Thomas ait: « Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioannis 16,7: Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud Ioannis 7, 39: Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus » (3 q. 72 art. 1 ad 1). Confirmationem a Christo institutam esse definivit concilium tridentinum can. 1 de Sacramentis in genere (Denz. 844); de modo

---

[31] *De Sacramentis in genere*, nr. 485-502; Weisweiler, *Das Sakramen der Firmung in den systematischen Werken der ersten Frühscholastik.* Scholastik 8 (1933) 482-488.

vero, in genere vel in specie disputatur inter theologos. Sed haec quaestio recurrit in thesi sequenti.

Omnia ergo quae ad verum sacramentum novae legis requiruntur, inveniuntur in confirmatione; ergo est verum novae legis sacramentum. Et quidem a baptismo distinctum; nam diversi sunt ritus, effectus, subiectum, minister; conferri potest tempore et loco separatis a baptismo, licet primis temporibus frequenter simul cum baptismo conferebatur.

THESIS: *Confirmatio nunc conferri debet unctione chrismatis pollice dextero in fronte facta, imposita manu dextera super caput confirmandi, et per verba in pontificalibus libris ab ecclesia probatis praescripta.*

78. In administrando sacramento confirmationis varii occurrunt ritus, qui decursu temporis non omnes erant iidem, neque hodie in diversis ecclesiis sunt iidem. Quaeritur, quisnam sit ille ritus, qui requiritur et sufficit, ut sacramentum certo valide administretur. Est ergo quaestio de « materia » et de « forma » huius ritus. Ponitur autem quaestio pro praesenti praxi ecclesiae; propterea dicitur « nunc » ita administrari debet. Ipsa ergo verba thesis formaliter sumpta abstrahunt a quaestione, utrum ritus qui nunc est « essentialis », ab initio et semper eodem modo fuerit essentialis, an decursu temporis facta sit aliqua mutatio. Attamen plane ab hac quaestione abstrahi non potest propter nexum, quem haec quaestio habet cum ea de mutabilitate ritus sacramentalis, vel de potestate ecclesiae in ritum sacramentalem, vel de modo quo Christus hoc sacramentum instituit, in genere scilicet an in specie; propterea dicendum erit, quid in hac re videatur magis probabile.

Sententiae theologorum de ritu essentiali sacramenti confirmationis.

79. S. BEDA VENERABILIS († 673), *In cantica canticorum allegorica expositio*, lib. 2 cap. 1: « In vineis Engaddi, ut praefati su-

mus, balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione liquori olivae admisceri ac pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes cum impositione manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur, hac unctione signentur; qua etiam altare dominicum, cum dedicatur, et caetera, quae sacrosancta esse debent, perunguntur » (ML 91, 1097 s.). *In Marci evangelium expositio*, lib. 1 cap. 1. Ad verba: Et statim ascendens de aqua vidit caelos apertos etc. haec notat: « Quod in baptizatum (scl. Christum) descendere visus est Spiritus, signum erat conferendae nobis in baptismo gratiae spiritualis, quibus in remissionem peccatorum ex aqua et Spiritu sancto regeneratis amplior eiusdem Spiritus gratia per impositionem manus episcopi solet caelitus dari » (ML 92, 138). *Super Acta Apostolorum expositio*, cap. 8, ad verba: Miserunt ad illos Petrum et Ioannem: « Notandum autem, quod Philippus, qui Samariae evangelizabat unus de septem fuerit. Si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur. Nam presbyteris, sive extra episcopum, seu praesente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum baptizatis » (ML 92, 961).

80. Alcuinus (799), *Epistula* 80, *ad domnum regem*: « Tunc maxime, dum alba tolluntur a baptizatis vestimenta, per manus impositionem a pontifice Spiritum sanctum accipere conveniens est, qui in baptismo omnium receperunt remissionem peccatorum » (ML 100, 261). *Epistula* 90, *ad fratres Lugdunenses*. Post baptismum: « Tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis, et castitatem vitae, et angelici splendoris decorem. Tunc sacro chrismate caput perungitur, et mystico tegitur velamine, ut intelligat se de anathema, regni et sacerdotii dignitatem portare, iuxta apostolum: Vos estis genus regale, offerentes vosmetipsos Deo vivo hostiam sanctam et Deo placentem (1 Petr 2, 9; Rom 12, 1). Sic corpore et sanguine dominico confirmatur, ut illius sit membrum, qui pro eo passus est et resurrexit. Novissime vero per impositio-

nem manus a summo sacerdote septiformis gratiae Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad praedicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vitae donatus aeternae » (ML 100, 292).

81. Leidradus, episcopus lugdunensis (†814), *Liber de sacramento baptismi ad Carolum Magnum imperatorem*, cap. 7 de sacra unctione: « Post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur. Chrisma enim unctio interpretatur, sicut et Christus unctus; qua unctione efficimur genus regium » (ML 99, 863). « In quibus quoque verbis (1 Reg. 16, 13) notandum est, quod post unctionem, imo per unctionem, dirigatur Spiritus Domini in David, sicut in ecclesia credimus per Chrismatis unctionem et manus impositionem dari Spiritum sanctum. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur. Et hoc quod dictum est de pristina disciplina, qua ungi in sacerdotium et in regnum solebant, quae dum carnaliter fit, spiritualiter proficit: quomodo et in ipsa baptismi gratia, visibilis quidem actus quod in aquam mergimur, sed spiritalis effectus, quod delictis mundamur. Propter quod et sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operetur. Quod autem presbyteris licet capita baptizatorum chrismate ungere, quod tamen ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paraclitum, haec causa est: nam licet et presbyteri sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum etiam Actuum apostolorum lectio, quae asserit, Petrum et Ioannem apostolos Samariam fuisse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. De quibus etiam dicitur: Oraverunt pro illis, ut acciperent Spiritum sanctum. Ex quo ostenditur, quia Spiritum sanctum accipere possumus, dare non possumus; sed ut detur Dominum invocamus. Et propterea fit manus impositio, ut per orationem et benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus: et tunc ille Paracletus, post munda, benedicta et uncta corpora, libens a Patre descendit. Quaeri autem a quibusdam solet, cum fons baptismatis sine Spiritu sancto nullatenus santificetur, neque sine

eo peccatorum remissio donetur, cur necesse est postea fieri manuum impositionem? Sed sciendum multis modis dari Spiritum sanctum, non solum in baptismo, sed etiam post baptismum ... Ergo in baptismo fit remissio peccatorum, in impositione manuum conferuntur dona virtutum, sicut Petrus apostolus ait: Baptizetur quisque vestrum in nomine Dom'ni nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, ut (!) accipiatis donum Spiritus sancti (Act. 2, 38) » (ML 99, 864 s.).

82. Magnus, Senonensis archiepiscopus († 818), *Libellus de mysterio baptismatis*, iussu Caroli Magni editus: « Post sacrae regenerationis lavacrum baptizati induuntur vestimentis ... Tunc demum sacro chrismate, quod latine dicitur unctio, caput perungitur, ut in regno et sacerdotio ecclesiae delibuti, et Christi nominis gratiam accipiant, et eius membra, qui eos redemit et eorum caput est, effici valeant. Deinde mystico velamine teguntur ... Peractis autem omnibus baptismatis sacramentis novissime per manus impositionem a summo sacerdote septiformis gratiae spiritum accipiunt, ut corroborentur in fide recta per Spiritum sanctum. Et ideo fit manus impositio, ut per benedictionem advocetur et invitetur Spiritus sanctus. Denique sciendum est, qu'a sicut caetera baptismatis sacramenta per sacerdotem visibiliter fiunt, et per Dominum invisibiliter consecrantur, ita et Spiritus sancti gratia per impositionem manuum episcoporum fidelibus traditur et a Domino confirmatur » (ML 102, 983 s.).

83. Theodulfus, Aurelianensis episcopus († 821), *De ordine baptismi ad Magnum senonensem liber*: « Quod ergo presbyteris baptizatos chrismate ungere licet, Spiritum vero sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab apostolis ecclesiae est trad'tus. Sic enim scribitur in Actibus Apostolorum (citatis Act 19 et 8 pergit:) Denique sciendum est, quia sicut caetera baptismatis sacramenta per sacerdotes visibiliter fiunt, per Deum invis'biliter consecrantur, ita nimirum et Spiritus sancti gratia per impositionem manuum et ministerium episcoporum fidelibus traditur; presbyteri vero, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem

non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi, ut vel signent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum etiam superior illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, sive absentibus sive praesentibus episcopis, baptizare et baptizatos chrismate ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum » (ML 105, 135 s.).

84. Iesse, episcopus Ambianensis (834), *Epistula de baptismo*. De unctione capitis dicit: « Baptizato autem facit presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in verticem capitis. Sicut enim in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur ». Sequitur de velamine capitis; deinde de confirmatione episcopi: « Post haec confirmat eum episcopus in fronte de chrismate. Ideoque manus impositio fit, ut per benedictionem advocatus Spiritus sanctus super eos descendat, iuxta exemplum apostolorum (Act 8) ... Presbyteri cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet; sed si ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis episcopis debetur, quo (!) tradant Spiritum paraclitum baptizatis » (ML 105, 790 s.).

85. Walafridus Strabo († 849), *De rebus ecclesiasticis*, cap. 26 de baptismi incremento et mersione et causis baptizandorum. Initio baptizatum est in fluminibus vel in fontibus. « Sicut autem supra ostendimus, crescente processu temporum, religionis honore institutionum ecclesiasticarum usque ad plenitudinem decus crevisse: ita et huius mystici lavacri, gradatim per temporum augmenta, in maius celebratio crevit. Addiderunt alii chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine nemo qui dubitet, cum primis temporibus impositione manuum baptismum confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur et Ioannem (Act 8). Quae confirmatio et tunc ad primos ecclesiae pastores pertinuit, et nunc pertinere non dubitatur; unde in canonibus saepe interdicitur presbyteris ne chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent,

quod solis debetur episcopis. Testantur hoc decreta Innocentii papae et statuta Silvestri, quia et ipse instituit, ut presbyter baptizatum chrismate liniat, propter occasionem transitus mortis. Quod si a diacono vel quolibet alio homine (intellige: non sacerdote) baptizatus, casu ante confirmationem transierit, credendum non est, perire propter hoc, quia sub fide qua credidit, poterit esse salvus, si eum post commissa peccata non perimant. Lege concilii Eliberitani decreta. Alii addiderunt in baptismatis sacramento exorcismos, alii consecrationem fontis, alii salis vel salivae infusionem, alii catechumenorum ordinabilem instructionem, alii scrutinia diligentissime ad tantum mysterium praeparationis statuerunt. Sed et multa alia, quae et exemplis divinorum actuum vel dictorum inventa sunt, et congruentissimis spiritalium profectuum significationibus plena noscuntur, sicut copiosa priorum de eisdem rebus documenta demonstrant » (ML 114, 957 s.).

86. Amalarius, († post 850), *Liber officialis* lib. 1, cap. 27: De unctione chrismatis a presbytero et de impositione manus episcopi super neophytum. Nr. 1: « Ante quam aliquid dicatur de manus impositione episcopi, dicendum est, qua de causa ungatur neophytus a presbytero in vertice capitis ». Ita instituit Silvester papa, propter occasionem transitus mortis. Nr. 3: « Secundum hunc constitutum, reor, priore tempore de unctione chrismatis pontifex exspectabatur, ut per manus episcopi omnis unctio chrismatis ageretur ». Nr. 7: « Audivi quendam interrogare si sine impositione manus episcopi possit neophytus possidere regnum caelorum ... Etiam verba s. Silvestri, qui, ob remedium difficultatis episcopum consequendi ante exitum animae, iussit ut liniretur neophytus a presbytero chrismate salutis in vitam aeternam, sic sonant, quasi possit recipi in regnum caelorum sine impositione manus episcopi ». Nr. 12: « Secundum Matthaeum modis duobus baptizamur spiritu. Ipse enim, inquit, baptizabit vos Spiritu sancto et igne. Baptizamur Spiritu sancto, quando abluimur a peccatis. Quam ablutionem significant albae vestes. In baptismate per totum corpus baptizamur igne, quando ardorem Spiritus accipimus, ut apostoli acceperunt in die Pentecostes. Baptismum ignis accipimus per impositionem manus

episcoporum, qui consumat ligna, fenum, stipulam; quia Deus ignis consumens est, et calorem praestat vitae aeternae, atque lumen videndi ea, quae mortalibus oculis clausa sunt ». Nr. 26: « Omnia verba superius memorata orationis verba sunt, quoniam non ab illis datur Spiritus, qui manum imponunt, sed deprecantur ut veniat. Unde Augustinus in libro 15 de Trinitate titulo 24: Nullus enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat ecclesia. Eum quem superius precatus est pontifex, ut mitteret Spiritum sanctum, in sequentibus petit, ut suscipientem dignetur consignare in vitam aeternam, id est ut eundem Spiritum non amittat suscipiens, usque dum perducat hospitem suum ad vitam aeternam ... ». Nr. 29: « Ut ab episcipis solis inungatur per manus impositionem, ab apostolis assumptum est, ut Beda declarat in tractatu super Actus apostolorum ». Nr. 33: « Dicit Romanus libellus, de quo saepe commemoravimus: Oratione expleta, facit crucem cum pollice et chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo. Haec verba sunt salutationis ad novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis » [32].

87. Rabanus Maurus († 859), *De clericorum institutione*, lib. 1 cap. 24, de sacramentis ecclesiae: « Sunt autem sacramenta baptismus et chrisma, corpus et sanguis, quae ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur, unde et a secretis virtutibus vel sacris, sacramenta dicuntur » (ML 107, 309). Cap. 28, De tinctione baptismi et unctione chrismatis. « Postquam enim ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a presbytero cum sancto chrismate, sequente simul et oratione, ut regni Christi particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari. Scriptum est et in evangelio ita: Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt caeli, et vidit Spiritum Dei descen-

[32] Ed. Hanssens, Città del Vaticano 1948, 138-151.

dentem sicut columbam et venientem supra se. Bene quidem baptismo cont'nuatur chrismatis unctio, quia Spiritus sanctus, qui per illud chrisma suae virtutis admistione sanctificat credentes, baptizato Iesu statim super illum in columbae specie descendit: cuius videl'cet typum praeferebat columba illa, quae in diluvio ad arcam reportavit ramum olivae virentibus foliis, significans utique, quod Spiritus sanctus per chrismationis unct'onem in baptismate virorem confert fidelibus caelestis gratiae. Sed de hoc plenius in sequentibus dicemus. Legimus et in gestis Patrum, quod Silvester papa in ecclesia romana constituerit, ut sicut potestas et privilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, et bapt'zatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet propter haereticam suasionem, ita presbyter eodem chrismate lin'at baptizatum levatum ex aqua propter occasionem transitus mortis, quia scriptum est in Apostolo: Vos autem fratres, in carne non estis, sed in sp'ritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius etc. Ac deinde profecto patet, quia quicumque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. Ideoque necessarium est, ut statim succurratur baptizato cum chrismatis unctione, ut Spir'tus sancti participationem accipiens, alienus a Christo non exsistat» (ML 107, 312 s.). Cap. 29: De indumento baptizati et Eucharistia: Indu'tur veste alba, tegitur caput mystico velam'ne. «Deinde corpore et sanguine dominico omne praecedens sacramentum in eo confirmatur». Cap. 30: De impositione manus episcopalis. «Novissime autem a summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur illi Spiritus sanctus, ut roboretur per Spiritum sanctum ad praedicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, per grat'am vitae donatus aeternae. Signatur enim baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per pontificem vero in fronte, ut priori unct'one significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad hab'tationem Deo consecrandam, in secundo quoque, ut eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiae et virtutis, venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus post mundata et benedicta corpora atque an'mas, libens a Patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificet et

illustret, et nunc in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei, quod in fronte suscepit, faciat eum donis caelestibus repletum, et sua gratia confortatum, intrepide et audacter coram regibus et potestatibus huius saeculi portare, ac nomen Christi libera voce praedicare. Nec mirum, si homo bis eodem chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum ungatur, cum idem Spiritus bis sit ipsis apostolis datus ... Sicut autem per baptismum in Christo morimur et renascimur, ita Spiritu sancto signamur, qui est digitus Dei et spiritale signaculum. Bene quidem convenit, ut per sacrum chrisma et per pinguedinem olivae gratia Spiritus sancti tribuatur, quia in Psalmo scriptum est de Christo Salvatore, quod unxerit eum Deus Pater oleo laetitiae prae consortibus suis, et idem de nobis, quod exhilaret faciem nostram in oleo. Chrisma ... latine unctio nominatur, ex cuius nomine et Christus dicitur, et ex ipso homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismate peccatorum remissio datur ad veniam, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur ad gloriam, et hoc de pristina unctione tractum est exemplum, qua ungi in sacerdotium et regnum solebant antiqui, unde et Aaron et filii eius post lavacrum a Moyse uncti sunt, ut sacerdotes Domini fierent. Et Salomon et ceteri reges per prophetas et sacerdotes perfusi sunt cornu olei, ut regni gubernacula teneant. Quod dum carnaliter fit, spiritaliter proficit, quomodo et ipsa baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergimur, sed spiritalis effectus, quod a delictis mundamur. Videamus ergo et ipsam olei naturam, si quid in ea huic significationi conveniens possit intelligi. Oleum namque ardens illuminat, et medicans sanat, et aquis infusum perspicuas eas reddit: quod bene gratiam Spiritus sancti potest demonstrare » (ML 107, 314 s.).

88. Paschasius Radbertus († circa 856), *De corpore et sanguine Domini*, cap. 3: Quid sint sacramenta et quare dicantur, nr. 2: « Sunt autem sacramenta Christi in ecclesia baptismus et chrisma, corpus quoque Domini et sanguis, quae ob hoc sacramenta vocantur, quia sub eorum specie visibili, quae videtur, secretius virtute divina caro consecratur, ut hoc sit interius in veritate, quod exterius creduntur virtute fidei » (ML 120, 1275). Deinde ostendit, quod

in alveo baptismi, priusquam infans a fonte surgat, Spiritus sanctus in eum qui renascitur adveniat; non autem loquitur de variis ritibus.

89. Ratramnus († post 868), *Contra Graecorum opposita*, « quia presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus » (ML 121, 223). « Nunc ad illud veniamus quod obiicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes presbyteri chrismate non liniunt. Quod obiectum, sicut et reliqua, magis levitate quam ratione propositum est: siquidem ecclesiae suae (id est graecae) consuetudinem sequentes ista proponunt, non aliquam divinae legis auctoritatem. Quamvis ut hoc fiat et apud Romanos et apud Occidentales omnes, tam ex Evangelio quam ex Apostolorum Actis esse constat assumptum. Constat namque Spiritus sancti gratiam per unctionem frontis ex chrismate ab episcopis donari, quod nulli praeter episcopos esse concessum, evangelica testatur auctoritas. Resurgens etenim Dominus et discipulis apparens, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (Io 20, 22). Ergo si remissio peccatorum per Spiritum sanctum contribuitur, et hoc munus apostolis specialiter constat esse donatum; iure solis episcopis haec gratia reservatur, quos in ecclesia constat apostolorum successionem et ministerium sortitos ... Constat autem omnem ecclesiam corpus esse Christi, etenim, videlicet regis et sacerdotis, unde omnes Christiani genus sumus sacerdotale et regale; propter quod post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur; et non nisi per pontifices, a quibus reges et sacerdotes ungebantur in lege. In Actis habes etiam apostolorum (citat Act 8, 14 ss.). Vide quia primum baptizati fuerant in nomine Domini Iesu ... nec tamen adhuc acceperant Spiritum sanctum. Postea vero manus imponentibus super eos apostolis, acceperunt Spiritum sanctum. Quae forma servatur hodieque in ecclesia, ut baptizentur quidem fideles per presbyteros, gratia vero Spiritus sancti per impositionem manuum tribuatur ab episcopis: quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab episcopis. Item in eisdem Actis (citat Act 19, 1 ss.). Et hic vides, quia Paulus non baptizaverit eos, sed iusserit baptiza-

ri. Baptizatis autem manus Paulus imponit; et ita demum venit super eos Spiritus sanctus. Docemur igitur baptismi gratiam per presbyteros posse contribui, donum vero Spiritus sancti, quod tribuitur per manuum impositionem, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur, non nisi per episcopos posse promereri. Et revera inter sacerdotes et episcopos differentia non parva consistit. Sacerdotes namque, sicut reliqui gradus ecclesiastici, per episcoporum ministerium consecrantur; at episcopi non a sacerdotibus benedicuntur. Ipsi quoque sanctum chrisma sanctificant, et oleum consecrant: omnisque gradus ecclesiasticus illorum dispositione peragitur. Quod considerantes ecclesiastici viri statuerunt, ut frontes baptizatorum non a presbyteris, sed ab episcopis chrismate sancto linirentur. Sicut de sancto Silvestro in Gestis apostolicis legitur, ubi sic scriptum invenitur: Hic constituit, ut chrisma ab episcopo efficiatur; et privilegium sit episcopis, ut baptizatos chrismate sancto consignent, propter haereticam insimulationem. Hinc etiam Innocentius papa in suis Decretalibus hoc modo decernit: De consignandis infantibus manifestum est (et citat reliqua verba Innocentii). Hinc omnes occidentales episcopi, maiorum sequentes institutionem, sumpsere consuetudinem, ut frontes baptizatorum chrismate liniendi non presbyteris concedant, sed privilegium sibi reservent » (ML 121, 332 ss.).

90. Hugo a S. Victore († 1141), *De sacramentis*, lib. 2 p. 7: De confirmatione. Cap. 2: « Manus impositio, quae usitato nomine confirmatio vocatur, qua Christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis episcopis apostolorum vicariis debetur, ut Christianum consignent, et Spiritum Paracletum tradant, sicut in primitiva ecclesia Spiritum sanctum per impositionem manuum dandi soli apostoli potestatem habuisse leguntur ». (Cap. 3) « In gestis pontificalibus legitur, quod Silvester papa constituit, ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem quidem mortis, ne forte per absentiam episcopi, et difficultatem cum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret. Quod quidem omnino periculosum esset. Quia sicut in baptismo remissio peccatorum recipitur, ita per ma-

nus impositionem Spiritus Paracletus datur; illic gratia attribuitur ad remissionem peccatorum, hic gratia datur ad confirmationem. Quid autem prodest si a lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris? Propterea timendum est iis, qui per negligentiam amittunt episcopi praesentiam, et non suspiciunt manus impositionem, ne forte propterea damnentur; quia festinare debuerunt, dum potuerunt. Propter eos enim, qui articulo temporis praeveniuntur, instituta est illa, qua sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis unctio, ut in hoc ipso ostendatur, quantum sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cum tam sollicite universis cavetur, ne forte sine ipso ab hac vita subtrahantur. Manifestum est autem, quod primis temporibus omnis unctio chrismatis per solos episcopos fiebat. Sed et posteaquam institutum est, ut baptizatum sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis pontificibus reservatur. Solus enim pontifex frontem consignare et linire potest, et Spiritum sanctum tradere » (ML 176, 459 ss.).

91. Petrus Lombardus, *Libri sententiarum* (1150-1152) lib. 4 dist. 7 : « Nunc de sacramento confirmationis addendum est, de cuius virtute quaeri solet; forma enim aperta est, scilicet verba, quae dicit episcopus, cum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate..... Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore (!), sed non chrismate signare in fronte. Virtus autem huius sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur, qui in baptismo datur ad remissionem ».

92. Rolandus (Alexander III. † 1181): « Videndum est de sacramento confirmationis. Unde sciendum est, quod duae sunt confirmationes, una quae fit in vertice statim post baptismum, de qua nihil ad praesens; alia fit in fronte, de qua quaeritur, a quibus sit instituta, quare, quid efficiat, a quibus tradi debeat. Instituta est ab apostolis, quando manus super baptizatos imponebant ac Spiritum sanctum invocabant » (Ed. Gietl. pag. 212 s.). Plura de materia et forma non habet.

93. Guilelmus Altissiodorensis († post 1231), *Summa*, lib. 4. « Medicina conservativa spiritualis sanitatis est confirmatio, in qua

datur spiritus sanctus ad robur et ad conservationem gratiae datae in baptismo » (fol. 248 va). Loquendo de essentia huius sacramenti dicit formam verborum esse: Confirmo te etc, et materiam chrisma ex oleo et balsamo. « Dicitur quod confirmationis sacramentum ortum habuerit ab apostolis quantum ad manus impositionem; apostoli enim imponebant manus super baptizatos et accipiebant Spiritum sanctum. Quantum vero ad chrismationem ortum habuit ab institutione ecclesiae. Sed melius est dicere quod quantum ad utrumque ortum habuit ab apostolis, licet non legantur chrismasse. Unde soli episcopi conferunt hoc sacramentum, qui sunt vicarii Christi sicut et apostoli, et sunt quasi sponsi ecclesiae » (357 ra).

94. Guilelmus de Alvernia († 1249), *De sacramento confirmationis*: « Attende autem, quod modus et forma conveniens huic sacramento est, ut praemissa exhortatione de virtute et efficacia sacramenti istius, de fide, puritate, ac devotione qua ad ipsum accedendum est, praemissa etiam oratione super confirmandos, pingatur signum crucis de chrismate in frontibus eorum, et impositis manibus super capita eorum dicitur pax tecum. Siquidem ad impositionem manuum apostolorum solebat dari Spiritus sanctus, et datur modo ad impositionem manuum episcoporum. Quod autem pontifex dicit pingendo characterem: Consigno te et cruce confirmo te, intelligenda est consignatio, ut metum incutiat daemonibus, ne praesumant ingredi frontem signatam et hortum conclusum, ne audeant disperdere et dissipare thesaurum consignatum, nec introire domum contra ipsos clausam atque signatam, ne aliquid ibi vendicare audeant in eo, quem vident in Dei servum, imo filium, consignatum » (Opera, ed. Venetiis 1591, 410).

95. Alexander Halensis, *Summa*, p. 4 q. 9 m. 1 quaerit de institutione huius sacramenti. Non est institutum a Christo, neque ab apostolis institutum, collatum, et ministratum. « Hoc patet per hoc, quod apostoli confirmabant sola impositione manuum sine inunctione et sine forma verborum qua utitur ecclesia ». « Apostoli confirmati sunt (die Pentecostes) a Spiritu sancto immediate sine ministerio et sacramento; et ipsi deinde confirmabant sine sacramento; quare hoc, infra patebit. Sed postquam apostoli, qui erant bases

ecclesiae, qui a Domino erant praelati et Spiritu sancto confirmati, defecerunt, institutum fuit hoc sacramentum Spiritus sancti instinctu in concilio Meldensi quantum ad formam verborum et materiam elementarem; cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi ». Cur autem apostoli sola manuum impositione « sine sacramento materiali » confirmaverint explicat (m. 2 art. 1) ex eo, quod ipsi confirmati erant immediate a Spiritu sancto sine ministerio humano et sacramento. « Et ideo alios confirmabant sine ministerio sacramenti, ut illi qui fuerunt bases et fundatores ecclesiae, viso quod impositione manuum suarum dabatur Spiritus sanctus, gratiam et auctoritatem in conspectu hominum haberent, et eis, sicut capitibus christianae religionis homines crederent et obtemperarent. Sed postquam illi, qui fuerunt fundatores ecclesiae, apostoli scilicet, qui a Deo, non per hominem erant ordinati, praelati, et confirmati, defecerunt, instinctu divino institutum est, ut mediante elemento sanctificato per verbum hoc sacramentum daretur. Quia ergo res sacramenti huius immediate dabatur a Spiritu sancto immediate confirmante, et in datione Spiritus sancti in impositione manuum apostolorum signa visibilia apparebant, non erat opus elemento ».

96. S. Bonaventura, In 4 dist. 7 art. 1 respondet ad 1 (forma non est necessaria, quia Christus non legitur eam instituisse) aliquos dicere Christum eam instituisse, quamvis hoc non legatur. « Aliter potest dici et melius, credo, quod illud sacramentum Christus nec dispensavit nec instituit, quia post ascensionem suam decebat apostolos confirmari et Spiritum ad robur dari. Unde Ioannis septimo: Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus; non, inquam, datus in plenitudine vel ad robur; sed hoc quidem fecit die Pentecostes. Unde confirmati sunt a Spiritu sancto immediate sine ministerio et sacramento; et ideo ipsi etiam alios confirmabant etiam sine verbo. Sed postquam bases ecclesiae, apostoli scilicet, qui a Deo, non per homines, erant ordinati, praelati, et confirmati, defecerunt, instituit Spiritus sanctus huius sacramenti formam, cui etiam virtutem sanctificandi dedit ». Quaestione 2, de necessitate materiae, dicit: « Sicut tactum est prius,

Christus hoc sacramentum non instituit, quia credentes post eius ascensionem erant confirmandi. Unde nec materiam nec formam apostoli dispensaverunt, sed rem huius sacramenti sine forma, a Spiritu sancto immediate confirmante, et sine elemento vel materia, quia in datione Spiritus sancti signa visibilia apparebant; et ideo non erat opus elemento. Sed post a successoribus institutis dandus erat vi verborum et invisibiliter; ideo oportuit institui sensibile elementum. Institutum est igitur hoc elementum, Spiritu sancto dictante, ab ipsis ecclesiae rectoribus ».

97. S. Albertus Magnus, In 4 dist. 7 art. 2: « Meo iudicio numquam fuit celebrata confirmatio sine forma verborum ab apostolis. Christus autem, qui habebat et potestatem auctoritatis in quantum Deus, et potestatem excellentiae in quantum homo unitus Deo, poterat conferre ut voluit; quia ipse non tenebat locum ministri, sed capitis in ecclesia. Sed, ut puto, apostoli numquam confirmabant sine forma verborum praescripta, licet hoc quidam dixerint et quaesiverint rationem, quare ipsi sine forma verborum et materia determinata, nostri autem pontifices cum forma verborum et materia chrismatis. Unde ad argumentum dicendum, quod licet hoc non legatur, tamen instituta est forma a Domino, apostolis tradita, sicut et baptismi ... Confirmatio quae imprimit characterem sacramentalem ... numquam ab apostolis facta est sine verbis et materia determinata, propter quod habemus capitulum speciale in Dionysio in Ecclesiastica Hierarchia, qui cum apostolis fuit, de perficiendis in myro et in ipso offerendis et loquitur de sanctificatione chrismatis ».

98. S. Thomas, In 4 dist. 7 q. 1 art. 1 qc. 1 ad 1. Christum instituisse sacramentum confirmationis « patet ex hoc, quod ipse etiam Dominus manus pueris imponebat, ut patet Matth 19. Nec obstat, quod in evangelio vel in Actibus Apostolorum non fit mentio de materia et forma huius sacramenti: quia formae sacramentales et alia, quae in sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiva ecclesia propter irrisionem gentilium, ut Dionysius dicit ... » Ad difficultatem apostolos confirmasse manus imponendo sine aliqua

materia, respondet art. 2 qc. 1 ad 3: Apostoli non confirmabant sine materia, nisi forte quando praeter legem communem visibilibus signis Spiritus sanctus in eos descendebat, quibus per apostolos manus impositio facta fuerat: tunc enim illa visibilis apparitio supplebat locum elementi visibilis. Quod autem aliquando materia uterentur, patet per Dionysium in 4. cap. Eccl. Hierarch. in principio, ubi dicitur, quod est quaedam perfectiva operatio, quam duces nostri, quos apostolos nominat, chrismatis hostiam nominant, hostiam dicens communiter omnem ritum sacramenti ». Impositio manus per Christum facta, non erat sacramentum, « sed vel signum quoddam futurae confirmationis, vel erat talis manus impositio, qualis fit in catechismo et exorcismo » (art. 3 qc. 1 ad 1). Apostoli dederunt Spiritum sanctum per manus impositionem; sancti autem dicunt, hanc impositionem manus pro illis, qui eam receperunt, erat confirmatio; nihil autem legitur de forma verborum; ergo videtur hoc sacramentum non habere formam. Respondet (ad 2): « Quidam dicunt, quod apostoli propter dignitatem et auctoritatem ipsorum confirmabant sine materia et forma, per solam manus impositionem. Sed hoc non videtur bene dictum; quia quantumcumque ipsi essent magnae auctoritatis, tamen potestatem excellentiae in sacramentis dispensandis non habebant. Et ideo dicendum, quod apostoli aliqua forma utebantur, quamvis non sit scripta. Multa enim apostoli servabant in sacramentorum dispensatione, quae nolebant divulgari propter irrisionem Gentilium evitandam ... ».

99. *Summa* 3 q. 72 art. 2 ad 1: « Non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi sensibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius ... » Art. 4 ad 1: « Per ministerium apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo confectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia nec forma huius sacramenti. Quandoque autem tamquam ministri sacramentorum hoc sacramentum praebebant. Et tunc, sicut materia, ita et forma ex

mandato Christi utebantur. Multa enim servabant apostoli in sacramentorum collatione, quae in Scripturis communiter propositis non sunt tradita ». Art 11: « Collatio huius sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in ecclesia: sicut et in primitiva ecclesia per impositionem manus apostolorum, quorum vicem gerunt episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, ut habetur Act 8. Unde Urbanus papa dicit: omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur ».

100. *Tractatus de articulis fidei et sacramentis ecclesiae*: « Secundum sacramentum est confirmationis, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod significat nitorem conscientiae, et balsamo, quod significat odorem bonae famae, per episcopum benedicto. Forma autem huius sacramenti est talis: Consigno te (etc) ... Minister autem huius sacramenti est solus episcopus. Non enim licet sacerdoti confirmando chrismate in fronte inungere. Effectus autem ... Circa hoc sacramentum est error quorundam Graecorum dicentium, quod sacerdos simplex hoc sacramentum potest conferre, contra quos dicitur Actuum 8, quod apostoli miserunt Petrum et Ioannem apostolos, qui imponebant manus super eos, qui baptizati erant a Philippo diacono, et accipiebant Spiritum sanctum. Episcopi autem sunt in ecclesia loco apostolorum, et loco illius manus impositionis datur in ecclesia confirmatio ».

101. In omnibus his textibus, quamvis confirmatio vocetur sacramentum impositionis manus, numquam indicat, in ritu conferendi confirmationem inveniri aliquam manus impositionem; hunc tamen ritum clare videtur agnoscere parte 3, q. 84 art. 4: « Impositio manuum in sacramentis ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti; et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis ». Et ad 2: « Non quaelibet acceptio Spiri-

tus sancti requirit manus impositionem; quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum sanctum; nec tamen ibi fit manus impositio. Sed acceptio Spiritus sancti cum plenitudine requirit manus impositionem, quod pertinet ad confirmationem ».

102. *In epistulam ad Hebraeos*, cap. 6 lect. 1: « Secundum sacramentum intrantium est in ipsa manuum impositione. Ideo dicit: Impositionis quoque manuum. Haec autem est duplex. Una est miracula faciens, sicut quando Christus per manus impositionem curabat infirmos, Luc 4: singulis manus imponens curabat eos, et haec non est sacramentum. Alia est sacramentalis, et haec est duplex. Una in sacramento ordinis, 1 Tim 5: Manus nemini cito imposueris. Alia est in sacramento confirmationis ad renovationem, Tit 3: Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti etc. In confirmatione enim datur Spiritus sanctus ad robur, ut scilicet audacter homo confiteatur nomen Christi coram hominibus. Sicut enim in esse naturae prius generatur homo et postea augetur, et roboratur, ita in esse gratiae ». *De forma absolutionis*, cap. 4 reiicit sententiam eius, qui praesumit impositionem manus esse de necessitate sacramenti poenitentiae. « Primo propter hoc, quod Act 8 dicitur: Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum. Illa enim impositio fuit loco sacramenti confirmationis, quod datur per maiores ministros. ... Quinto obiicit quod dicitur Actuum 8: Cum vidisset Simon, quod per impositionem manuum apostolorum etc. Hoc autem pertinet ad impositionem manuum, quae fit in confirmatione, ut supra dictum est ».

103. Scotus, In 4 dist. 7 q. 1: « Confirmatio seu sacramentum confirmationis est unctio hominis viatoris, aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio numquam usi, facta in fronte, in figura crucis, cum chrismate sanctificato, et hoc a ministro idoneo simul cum intentione debita inungente, et verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem animae per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi ». Opponitur: « Christus non sic instituit, ut patet Jo 20, quando insufflavit et dedit discipulis Spiritum sanctum; et similiter Act 2,

quando misso Spiritu sancto in linguis igneis ocnfirmabantur; nec etiam apostoli tali forma utebantur vel materia, ut patet in Actibus, sed impositione manuum ». Respòndet: « Christus non alligavit potentiam suam sacramentis, et ideo ipse sive in terris sive post ascensionem in coelo exsistens potuit confirmare apostolos sine tali materia et tali forma. Cum apostolis etiam in primitiva ecclesia potuit dispensare, et maxime, quia in confirmatione ab eis collata erant aliqua signa sensibilia, puta communiter descensus Spiritus sancti super confirmatos et donum linguarum; sed tamen cessantibus talibus miraculis ministri debuerunt hanc materiam et hanc formam servare. Supponitur enim institutum esse a Deo, licet tempus et modus huius institutionis in scriptura non legatur, forte quia historiographi scripturarum usque ad tempus illud non produxerunt, non enim produxerunt ultra tempus apostolorum, nec etiam usque ad plures annos ante mortem eorum. Toto autem tempore apostolorum forte mansit donum linguarum in sacramento confirmationis, nec est improbabile multa esse tradita auctoritative a Christo ecclesiae per apostolos, quae tamen in scriptura non legimus ».

104. Petrus Aureoli, In 4 dist. 7 q. 1 probat confirmationem esse sacramentum: « Est enim signum sensibile, quia elementum et tactus; et verba sensibilia sunt; et significant invisibilem gratiam; nam chrisma significat unctionem interiorem gratiae, impositio vero manuum sive tactus significat robur ad defensionem susceptae fidei » (pag. 61). « Sacramenti istius materia est chrisma ex oleo olivarum balsamoque confectum ab episcopo consecratum » (pag. 63). « Ista autem unctio per gratiam, quae est descensus Spiritus sancti in suis donis, in primitiva ecclesia, scilicet tempore apostolorum, communiter fiebat in duobus signis, scilicet in apparitione ignis descendentis et dono linguarum. Ecclesia ergo, quia non semper potuit talia habere signa, idcirco congrue instituit signa communia pro omni tempore illis signis correspondentia; talia sunt oleum et balsamum: nam oleum correspondet igni, cuius est fomentum naturale; balsamum vero cum ratione odoris sit summe diffusivum, et per hoc significat donum linguarum et loquacitatis diffusionem. Est tamen hic dubium, utrum talis materia, puta chrisma,

sit de essentia sacramenti confirmationis, sicut aqua est de baptismi essentia. Et videtur quod non, quia cum sacramentum formaliter sit signum, variato signo variatur ratio sacramenti. ... Sed apostoli confirmabant in alio signo, quam hodierna ecclesia, puta in impositione manuum sine chrismate, nos in chrismate; ergo si chrisma sit de essentia sacramenti confirmationis, sacramentum collatum per apostolos et quod hodie confertur, non est idem et unum sacramentum. ... Hic ergo est controversia duarum opinionum, scilicet theologorum et canonistarum; tenent enim theologi, quod chrisma est de essentia sacramenti, sicut aqua est de essentia baptismi, et tunc dicunt consequenter, quod papa non posset immutare, faciendo quod hoc sacramentum fieret in alia materia. Brucardus autem et alii doctores canonici tenent oppositum, et quod papa similiter posset dispensare, et eorum motivum est, quia quod in tali materia fieret sacramentum confirmationis, non fuit traditum a Christo, nec ab apostolis praeceptum observari, sed fuit statutum in antiquis conciliis; talia autem immutari possunt auctoritate papae. Videtur mihi, quod istae duae opiniones possent faciliter reduci ad concordiam, propter quod distinguo de hoc, quod est esse de essentia. Aliquid enim potest esse dupliciter de substantia alterius, uno modo de necessitate intrinsece, quo corrupto aliud necesse est corrumpi. Alio modo, quoad bene esse, quo corrupto non necesse est totum corrumpi, licet removeat (lege: remaneat) imperfectum. Primo modo cor est de essentia et substantia hominis; secundo modo manus. Tunc dico ad propositum, quod de essentia sacramenti confirmationis primo modo sunt tactus et prolatio aliqua verborum; est enim necessaria verborum prolatio, quia secundum Dionysium cap. 4 de Eccl. Hier. apostoli, quando confirmabant, certis verbis utebantur, et necessarius est tactus, qui antiquitus dicebatur manuum impositio, ratione significationis; significat enim effectum, quod efficit sacramentum, scilicet robur ad defendendum fidem Christi. Sed chrisma est de substantia huius sacramenti tantum secundo modo, sicut manus est de substantia hominis. Nam sicut homo carens manu est quidem homo, tantum non integer, sic in confirmatione, si non adhibeatur chrisma, est quidem sacramentum, non tamen integrum; ideo ad integritatem sacramenti oportet, quod suppleatur chrisma. Quod bene videtur Innocentius

sentire in illa decretali, Veniet, ubi ponitur casus de episcopo, super cuius caput non erat positum chrisma, et dicit ibi Innocentius papa, quod erat reungendus. Et tum restat dubium de institutione chrismatis, quis scilicet instituerit, utrum Christus, an apostoli, an concilia. Respondeo ad hoc, quod magis est verisimile, quod fuerit institutum a Christo vel apostolis, quam a posterioribus conciliis, sicut expresse haberi potest ex Dionysio cap. 4 de Eccl. Hier. ubi dicit: Duces nostri hoc docuerunt nos et tradiderunt verbis et certum est quod concilia post per multa tempora fuerunt. Quod si videatur non esse rationabile, quod Christus instituerit, videtur tamen probabile, quod illud instituerint apostoli Spiritu sancto suggerente. Sed numquid potest Deus dispensare, quod non confirmetur cum chrismate? Respondeo, dicunt quidam quod sic. Sed non determino pro nunc; credo tamen magis quod non, eo quod sacramenta nostra debent immutabilia esse » (pag. 63 s. Ed. Romae 1605).

105. In forma verborum huius sacramenti habentur duae clausulae, quae correspondent duobus signis: « Prima quidem, cum dicitur: Signo te etc. correspondet signo tactus, qui debet fieri per modum crucis, et hoc rationabiliter institutum est, ut notetur, quod confirmatus debet portare opprobria et vituperia Christi in fronte, ut fortius animetur ad pugnam; iste tamen tactus in modum crucis non est de essentia sacramenti, est tamen modus ecclesiae, et ideo peccaret graviter, qui modum illum scienter immutaret. Secunda vero clausula, cum dicitur: Confirmo te etc., correspondet secundo signo sensibili, puta chrismati, quod quidem significat salutarem effectum gratiae septiformis ».

106. Durandus, In 4 dist. 7 q. 2: « Apostoli non confirmabant sine chrismate, quamvis non legatur in scriptura canonica. Dicit enim Dionysius cap. 4 caelest. hier. ... Potuit tamen esse, quod praeter legem communem Deus ex speciali gratia dedit aliquibus effectum confirmationis sine sacramento, cum ad impositionem manuum apostolorum dabatur Spiritus sanctus sub visibilibus signis; sacramentum confirmationis semper dabant apostoli mediante chrismate secundum communem legem sacramenti ».

107. Petrus de Alliaco, In 4 q. 4 art. 1 similem proponit definitionem confirmationis ut Scotus: « Confirmatio est unctio ... ». Chrisma esse materiam « non legitur ex evangelio, sed auctoritate ecclesiae ». Ad obiectionem contra materiam et formam: « Christus non sic instituit, nec apostoli tali forma vel materia utebantur, sed impositione manuum » respondet: « potest dici, quod supponitur sic institutum fuisse a Christo, et apostolos sic usos fuisse, licet hoc non legatur in scriptura; quia aliter ecclesia non sic uteretur, nisi sumpsisset ex doctrina Christi etc. Nec est inconveniens multa esse edita a Christo autentica per apostolos, quae tamen in scriptura non legimus, sicut dicit Damascensus lib. 2 cap. 4 ».

108. Gabriel Biel († 1495), In 4 dist. 7 q. unica art. 1 solum de unctione chrismatis loquitur, quae est divinae institutionis. « Christus sacramentum illud instituit, materiam et formam determinavit; non tamen potentiam suam sacramentis alligavit ». Hinc ipse « potuit apostolos confirmare immediate, sine tali materia et forma; confirmare, inquam, non sacramentum eis exhibendo (sine materia enim et forma non est sacramentum), sed rem sacramenti, hoc est Spiritum sanctum dare ad robur. Potuit etiam cum apostolis in primitiva ecclesia dispensare maxime in sacramento confirmationis, ut per solam manuum impositionem daretur effectus confirmationis. ... An autem apostoli materia et forma usi sunt, dubium est, cum hoc assèrere non sit contra scripturam » (D). Art. 3: « Dubitatur secundo, cur unctio chrismatis in capite facta a sacerdote post baptismum, non est sacramentum, sicut illa quae fit in fronte ab episcopo. ... Respondetur quod aliae unctiones ... non sunt sacramenta proprie, sed sacramentalia; quia non sunt a Christo instituta tamquam gratiae efficacia signa, sed ab ecclesia ad disponendum ad gratiam baptismatis suscipiendam, vel significandam, et non principaliter ad conferendam gratiam; sic enim ecclesia instituere non potuit » (K). (Ed. Lugduni 1519).

109. Ruardus Tapper, *Explicatio articulorum venerandae facultatis sacrae theologiae generalis studii Lovaniensis*, Lovanii 1555, 1557, art. 12: « Sacramentum hoc (scl. confirmationis) a Christo

esse institutum, saltem in genere, hoc est, quod sub signo sensibili baptizatis robur et virtus conferatur adversus suae professionis hostes, ex scripturis citatis est manifestum ... Determinationem autem materiae et formae, hoc est certi signi sensibilis, sub quo Spiritus sanctus daretur, Christus apostolis suae ecclesiae praepositis reliquit, sicut dicit B. Augustinus de modo sumendi sacram Eucharistiam. Qui apostoli primo vel suo spiritu apostolico, vel Christi suggestione (nam de speciali mandato aut institutione nihil habent scripturae) utebantur manuum impositione tamquam huius sacramenti materia. Nam de verbis etiam nihil meminerunt. Linguae autem igneae, sub quibus dabatur Spiritus sanctus, formae sacramenti significationem supplebant. Significabant enim quod magno fervore et libertate testimonium Christi perhiberent: Et ideo opus non erat eo tempore alia expressioreque significatione. Quando autem linguae, ut caetera miracula cessabant, oportebat ob confusam, incertam et indistinctam manus impositionis significationem, proprium et determinatum signum institui atque assumi. ... Et visum est apostolis convenientissimum fore, quod hoc signum institueretur in chrismate ab episcopo consecrato, una cum certa verborum forma, quibus hactenus utitur et utetur semper ecclesia catholica ... Apostoli ... assumpserunt aliud signum perpetuo permansurum, adeo ut irritum futurum sit sacramentum, si aliter vel etiam sola manuum impositione administretur » (pag. 230).

110. Petrus Soto, *Assertio catholicae fidei circa articulos confessionis.* ... Coloniae 1555: Sacramentum confirmationis a Christo institutum est, apostolis collatum et apostoli docuerunt illud in ecclesia perpetuo retinendum. « Quamquam enim nec in adventu Spiritus sancti in die Pentecostes (quando scl. apostoli confirmati sunt), nec deinceps in principio ecclesiae, chrismate usi fuerint apostoli, cum eo tempore aliis manifestis et visibilibus signis atque miraculis Spiritus sanctus suam praesentiam testaretur, docuerunt tamen apostoli chrismate insigniendos esse ab episcopis sub certa verborum forma baptizatos, cuius doctrinae non scripto sed verbo traditae, sunt certissima testimonia ».

111. Dominicus Soto, In 4 dist. 7 q. unica art. 1: Christus sacramentum confirmationis non exhibendo instituit, sed promittendo plenitudinem Spiritus, secundum Io 16, et citat epistulam Fabiani papae, in qua dicitur « quod in coena, ubi Christus eandem promissionem (scl. Spiritus sancti) fecit, chrisma conficere docuit ». Si non aderant illa sensibilia miracula, apostoli confirmabant chrismate.

112. Melchior Cano, *De locis theologicis*, lib. 6 cap. 8 explicat apparentem dissensum inter ea, quae Nicolaus et Pelagius dicunt de valore baptismi in nomine Christi collati: « Deinde duo hi pontifices fortasse non pugnant. Nam Nicolaus intelligitur docuisse, quod in simili necessitate, qualis apostolorum tempore fuit, si cetera paria sint, baptismus in nomine Christi nunc etiam ratus erit. Pelagius autem definit citra eiusmodi necessitatem non valere; quemadmodum si nunc deesset balsamum aut liber et calix, qui tangeretur, et confirmationis et ordinis sacramenta manu solum imposita conficerentur; ut aetate apostolorum a principio statim fieri consuevit. At ubi non esset similis necessitas, nec ordinatio forte, nec confirmatio sine eiusmodi sacramentorum materia valeret ».

113. S. Bellarminus, *De sacramento confirmationis*, cap. 8: « Chrisma sive unctio materia est sacramenti confirmationis ». Cap. 9 ad obiectionem, Act 8 et 19 sermonem esse solum de manus impositione, non de chrismate, eligit probabiliorem solutionem eam, quam dederunt Thomas Waldensis et Hugo a S. Victore, « qui dicunt, idem esse unctionem chrismatis et manus impositionem; qui enim inungit, manus imponit, et idcirco utrumque significari, etiamsi alterum tantum exprimi videatur ».

Eandem sententiam multi theologi usque ad nostra tempora tenent. Et quia unctio ipsa, vel tactus in unctione, habet rationem impositionis manuum, haec unctio fieri non debet aliquo instrumento.

114. Tournely, *Praelectiones theologicae*, tom. 7 (Venetiis 1790) De sacramento confirmationis q. 1 art. 3: « Quaestio est, an sola

manus impositio, per quam apostoli Spiritum sanctum conferebant, sit essentialis et adaequata materia sacramenti confirmationis, an vero sola unctio chrismatis, an utraque simul; et quae sit illa manus impositio, an ab unctione distincta vel separata » (pag. 214). Ponit conclusionem: « Materia essentialis adaequata et totalis sacramenti confirmationis est impositio manuum et unctio chrismatis » (pag. 218). « Nos affirmantis sententiae, tamquam Antiquorum menti magis conformis, ultro adhaeremus, ac manus impositionem, quae initio ritus ab episcopo fit, et tempore distincta est ab unctione, ad substantiam sacramenti confirmationis pertinere arbitramur » (pag. 227).

115. Apud theologos recentes Sirmondus († 1651) et Isaac Habert († 1668) citari solent pro sententia, solam impositionem manuum esse essentialem ritum confirmationis, chrismationem autem ad eius valorem non requiri. Hic usus initium sumpsisse videtur a Witasse († 1716), qui in suo tractatu de confirmatione, p. 1 q. 2 art. 3 de Sirmondo dicit: « vult unctionem frontis esse partem dumtaxat accidentalem, nec a Christo, nec ab apostolis, sed ab ecclesia postmodum institutam, eamque ut confirmationis sacramentum valeat, minime necessariam esse » (Apud Migne, Theologiae cursus completus, tom. 21, 769). Et eandem sententiam tribuit J. Habert (768). Sed Sirmondus, *Antirrheticus* II c. 8 explicite dicit, se non interposuisse suam sententiam de chrismate, se has disputationes non ingredi (Opera varia, tom. 4. Venetiis 1728, 212 ss.); et Isaac Habert, *Archieraticon seu Liber Pontificalis Ecclesiae Graecae*, Paris 1643, 701-704 non dicit confirmationem sola impositione manus, sine chrismatione validam esse, sed ecclesiam ordinasse, ut fieret chrismatio, eamque hanc habere potestatem, quando materia alicuius sacramenti solum in genere indicata est.

Canonistae moderni sententiam, quam Petrus Aureoli canonistis tribuit, solam scilicet manus impositionem esse ritum essentialem, non iam videntur tenere.

116. Recenter autem de novo proposita est sententia aliqua, secundum quam sola impositio manus, a Christo instituta, est ri-

tus essentialis confirmationis; illa sola est « signum efficax gratiae »; sed ex ordinatione ecclesiae etiam chrismatio requiritur. Impositio enim manus effectum suum non consequitur, nisi accedat unctio chrismatis; haec est condicio ab ecclesia statuta, cuius omissio est obex ab ecclesia statutus. Intelligitur autem ea impositio manus, quae habetur immediato tactu in ipsa unctione; hanc enim ecclesia subrogavit illi antecedenti manus impositioni, quae primis temporibus erat ritus essentialis [33].

117. Ex dictis haec videntur colligi posse: *S. Beda* novit quidem unctiones, quae fiunt a presbytero et episcopo, explicite tamen communicationem Spiritus sancti tribuit impositioni manus. Idem dicendum de *Alcuino*. *Leidradus* dicit Spiritum sanctum dari unctione et impositione manus; notat tamen, Spiritum sanctum proprie non dari ab hominibus, sed impositione manuum invitari ut veniat. *Magnus* et *Theodulfus* loquuntur solum de impositione manuum. *Iesse*: per unctionem episcopi datur Spiritus sanctus, per impositionem manus invitatur. Secundum *Walafrid Strabo* initio manuum impositione confirmatum est, postea chrismatio addita. Silvester papa instituit, ut presbyter post baptismum ungeret. Haec unctio presbyteri apud ipsum iam aliquomodo considerari videtur compensatio eius, quod episcopus praestat; id quod clarius apparet apud *Amalarium*. Hic quoque, provocando ad s. Augustinum, tenet homines non dare posse Spiritum sanctum, sed eum invitare; ille habet locutionem « ungere per manus impositionem ». *Rabanus* clare dicit, bis dari Spiritum sanctum, per unctionem presbyteri et per unctionem episcopi; quod autem episcopus facit, vocat etiam manus impositionem. Ex *Paschasio* nihil desumi potest. *Ratramnus*: gratia Spiritus sancti datur unctione in fronte, vel per manus impositionem, quando frons linitur. De unctione presbyteri mentio fit solum in verbis Innocentii ab ipso citatis.

118. *Hugo a s. Victore, Guilelmus Altissiodorensis, Guilelmus de Alvernia* explicite adhuc nominant impositionem manus et unc-

---

[33] Umberg, *Zur Gewalt der Kirche über die Sakramente*. Der Katholik, 95, 1915 II, 25-40.

tionem. *Petrus Aureoli* tenet, impositionem manus, id est immediatum tactum, esse de essentia simpliciter, unctionem vero ad bene esse. Omnes fere reliqui antea citati, cum de materia et forma loquuntur, solam chrismationem considerant. Longe maior eorum pars praeterea tenet, numquam sacramentum confirmationis collatum fuisse sine chrismatione, ne ab apostolis quidem. Si apostoli sola manuum impositione Spiritum sanctum conferebant, non administrabant sacramentum. *Tapper, Sirmondus, Habert* et fortasse *Petrus de Soto* concedunt, primis temporibus ipsum sacramentum collatum esse sola manus impositione; imo *Melchior Cano* concedere videtur, etiam nunc in casu necessitatis confirmationem valide administrari posse sola manus impositione. Iam saeculo 15 iterum incepit, sed maxime ex saeculo 16. invaluit sententia, impositionem manus et chrismationem esse nunc quoque ritum huius sacramenti; intelligunt communiter eam impositionem manus, quae habetur immediato tactu in unctione. *Tournely* vero primam impositionem manus et unctionem habet ritum essentialem. Tandem secundum *Umberg* sola manus impositio, quae habetur in unctione, est signum efficax gratiae.

Solutio quaestionis.

119. Firma ergo, constans, vere communis sententia de ritu essentiali confirmationis apud theologos non invenitur. *Benedictus* XIV anno 1756, in encyclica « *Ex quo primum* », postquam diversas theologorum sententias enumeravit, omnes eas dicit libere inter theologos disputari posse (vide infra nr. 123). In efformanda sententia, et in diiudicandis datis historicis, maxime influit sententia, quam quis defendit de potestate ecclesiae in sacramenta, vel de modo, quo Christus sacramenta instituit, scl. vel omnia in specie, vel aliqua in genere. Nam qui propter data historica tenet, initio hoc sacramentum collatum esse sola manus impositione, et simul defendit, omnia sacramenta a Christo instituta esse in specie, necessario concludere debet, solam impositionem manus hodie quoque esse ritum essentialem confirmationis. Ex altera parte, qui tenet nunc chrismationem esse ritum essentialem, et simul defendit Chris-

tum hoc sacramentum in specie instituisse, tenere debet sententiam, numquam hoc sacramentum sine chrismatione collatum esse. Consequenter data historica, quae videntur contraria, vel sic explicat, quod in impositione manus primis temporibus subintelligenda sit chrismatio, vel quod unctio postbaptismalis pertinuerit ad sacramentum confirmationis, vel dicit apostolos cum leguntur sola manus impositione contulisse Spiritum sanctum, ob specialem concessionem dedisse effectum sacramenti sine sacramento.

120. In tractatu de sacramentis in genere statuimus thesim 11: « Ex eo quod ecclesia substantiam sacramentorum mutare non potest, Christum ipsum pro omnibus sacramentis materiam et formam ritus in specie immutabiliter determinasse, inferri nequit ». Et ibidem nr. 231: « Hoc certo habetur, et ab omnibus admittendum est et admittitur: ecclesia in ritu sacramentorum ea mutare non potest, quae Christus immutabilia instituit; vel: ecclesia ritum mutare non potest ultra limites a Christo in sacramentorum institutione determinatos; quinam vero sint isti limites in singulis sacramentis, generali quadam formula enuntiari non potest; sed in tractatibus specialibus de singulis sacramentis ostendendum est, quomodo eorum ritus a Christo determinatus sit. Intra hos limites ecclesiae competit potestas mutandi ... Ecclesia autem in praxi validae administrationis sacramentorum et in usu potestatis circa ritum sacramentorum errare non potest; mutationes ergo ab ecclesia factae manent intra limites a Christo determinatos. Hinc ex maiore vel minore mutabilitate ritus concludi potest, intra quos limites Christus ritum immutabiliter determinaverit; et haec est aliqua via cognoscendi, utrum ritus huius vel illius sacramenti in genere an in specie a Christo sit determinatus ». Ex hac parte ergo non sumus ligati neque in diiudicandis datis historicis, neque in assignando ritu, qui nunc huic sacramento est essentialis. Cavendum quidem est in tota hac materia, ne quid nimia certitudine affirmetur; multa enim adhuc exploranda manent. Aliqua tamen cum sufficienti certitudine dici possunt de iis, quae nunc ad valorem huius sacramenti requiruntur et sufficiunt.

121. ***Prima impositio sive extensio manuum*** cum invocatione Spiritus sancti nunc ad valorem non requiritur; idque satis certo videtur statui posse. *S. C. de Prop. Fide,* 6. aug. 1840: « Dum quidam missionarius, Indulto Apostolico confirmandi munitus, in eo erat, ut Confirmationis sacramentum pluribus christianis administraret, territus est a gentilibus in atrio adstantibus. Omisso proinde prima manuum impositione, lectaque praepropere oratione *Omnipotens* usque ad verba *de coelis,* et, neglecta commemoratione septem donorum, protulit formam: Signo te, etc. Quaeritur an, attenta encyclica Benedicti XIV *Ex quo primum,* et scandalo quod oriretur, si sub conditione illi christiani iterum confirmarentur, tuta conscientia possint relinqui in bona fide. R. Non esse repetendam confirmationem sub condicione » [34]. *S. C. S. Officii,* 17 aprilis 1872: « Saepe accidit in chrismate infantium, praesertim in multitudine eorum, ut furtim aliquis immisceatur, qui tamen praesens non fuit in prima manuum extensione episcopi. An dicti infantes relinquendi sint confirmati absque prima manuum extensione. R. Affirmative. Cavendum tamen, ut omnes confirmandi adsint primae manuum impositioni » [35].

Et haec quoque nunc est communis sententia theologorum. *Benedictus* XIV, *De synodo dioec.* lib. 13 cap. 18 nr. 17: « Cum episcopus sub functionis exordium primam orationem recitet simulque manus protendat super eos qui praesentes adsunt sacramentum suscepturi, nec amplius eandem orationem repetat manusque protendat ad eos, qui praesentes non aderant cum primum hoc praestitit, sed paulatim subingressi sunt in locum eorum, qui chrismate inuncti recesserunt; cumque huiusmodi agendi ratio communiter recepta sit et passim servetur, nemine penitus contendente propterea nullum irritumque esse confirmationis sacramentum sic administratum iis, qui in locum priorum successerunt: satis id est ad evincendum manuum extensionem, quae praeindicato tempore fit ab episcopo super confirmandos, neque reipsa esse neque censeri eam manuum impositionem, quae ad validitatem sacramenti requiritur ».

[34] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide,* 1, 507.
[35] *Ibid.* 2, 53.

122. Hanc manuum impositionem non esse necessariam interdum deducitur ex eo, quod Graeci validam quidem habeant confirmationem, non autem hanc manus impositionem. Quod Graecorum confirmatio valida est, explicite dicit Benedictus XIV, in encyclica « *Ex quo primum* » 1. martii 1756:

§ 50: « Apud Graecos nihil praescriptum legitur de impositione manuum in administrando chrismatis sacramento ». Citatis *Morino, Goar, Renaudot, Chardon* pergit: « Denique dilectus filius *Ioseph Augustinus Orsi* Ord. Praed., nunc temporis Palatii nostri Apostolici Magister, in dissertatione historico-theologica, quam olim edidit de Chrismate Confirmatorio, compluribus monumentis erudite congestis demonstrat, materiam sacramenti confirmationis apud Graecos non esse manuum impositionem, sed sacrum Unguentum. Nec ideo dici potest, id quod a nonnullis temere affirmatum fuit, non adesse in ecclesia graeca sacramentum confirmationis, propterea quod in ea impositio manuum deficiat. Alioquin id sequeretur, quod nemo sibi persuaserit, tot saeculorum decursu, in tam ampla Christiani orbis parte, atque in ecclesia non minus doctrina quam sanctitate illustri defecisse confirmationis sacramentum; ut optime ad rem nostram pergit Goarius loco cit.: At vero tam amplam et spatiosam, tam eruditam, et apostolicarum ecclesiasticarumque sanctionum tenacem Christiani orbis portionem, adeo exquisitum sacramentum respuisse, neglexisse, vel ignorasse, pauci, me quidem iudice, dicere attentabunt ».

123. § 51 « Caput hoc iniustae atque inopportunae dissensionis inter latinam et graecam ecclesiam, originem traxit a controversiis, quae inter nostrates theologos agitari solent. Disputant hi, utrum apostoli sacramentum confirmationis ministraverint per manuum impositionem, an etiam sacro chrismate adhibito; et quidem, ut assolet, nonnulli affirmant, quod alii negant. Disceptatur etiam inter eos, an sola manuum impositio sit materia huius sacramenti, nonnullis tenentibus, in ea dumtaxat consistere sacramenti materiam; dum alii malunt in sacro chrismate statuere materiam remotam sacramenti, proximam vero in illius applicatione, quae fit cum signo crucis ad confirmandi frontem; iuxta id, quod legitur in Decreto

pro Armenorum instructione ab Eugenio IV. Pontifice edito: Secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto. Ubi etiam Pontifex loquens de manuum impositione, quae ab apostolis hoc sacramentum ministrantibus fiebat, ita subdit: loco autem illius manus impositionis, datur in ecclesia confirmatio. Alii denique impositionem manuum et chrisma simul iungunt, dicentes, tam illam, quam istud, materiam esse sacramenti confirmationis: sed illam aeque ac istud, materiam inadaequatam, quotiescumque seorsim considerentur; si autem simul iungantur, tunc, aiunt, in iisdem ita coniunctis materiam totalem sacramenti consistere. Caeterum ipsam manuum impositionem, alii putant eam esse protensionem manuum, quam facit episcopus versus confirmandos, sub initium sacrae actionis, dum priores recitat preces; alii eandem agnoscunt in ipso ungendi actu, quo episcopus signat frontem illius, quem confirmat, cum nequeat alicuius frons unguento liniri, nisi manus eidem imponatur. Hae sunt controversiae, de quibus theologi nostri disputant, et circa quas unicuique licet eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit. At nemini fas est asserere, in ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifesto obstaret vetus orientalis disciplina, quam apostolica Sedes optime perspectam habuit, nec umquam damnavit, aut improbavit iuxta quam in graecorum ritualibus libris nulla fit mentio de manuum impositione, tamquam materia adaequata aut inadaequata sacramenti confirmationis. Quare ad evadendum huius difficultatis labyrinthum, alio filo utendum est, quod quidem diligenter inquirenti non deerit, absque eo quod super propositione incerta et nullibi definita, stabiliatur reprobatio alienae opinionis et sententiae, quae defensoribus orthodoxis non caret ».

124. § 52 « Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur; nimirum in ecclesia latina confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, seu oleo olivarum, balsamo commixto, et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti mini-

strum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat » [36].

125. Certo ergo graecorum confirmatio est valida; atqui illi non habent hanc manus impositionem antecedentem; ergo illa ad valorem non requiritur. Haec ratio caute adhibenda est. Erant enim theologi, qui tenebant apud latinos impositionem manus non requiri ad valorem sacramenti ordinis, quae tamen secundum eosdem est ritus essentialis huius sacramenti apud graecos. Estne simile quid impossibile in sacramento confirmationis? Ergo melius videtur ab hoc argumento abstinere, nisi possit specialis ratio pro eius valore in sacramento confirmationis afferri.

126. Si prima impositio manus non est necessaria ad valorem confirmationis, sequitur, ut *unicus ritus necessarius* sit *chrismatio;* nam ritus sequentes non veniunt in quaestionem.

127. Innocentius III (1204): « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos, i. e. episcopus debet conferre, quia de solis apostolis legitur, quorum vicarii sunt episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant » (Denz. 419). Ergo quia per confirmationem datur Spiritus sanctus, propterea hanc unctionem solum episcopi debent conferre, quia illi sunt vicarii apostolorum, qui soli poterant dare Spiritum sanctum. Ita autem neque loqui neque argumentari potuit, si unctio est solum ritus aliquis accidentalis et non ritus, quo confertur Spiritus sanctus.

128. Innocentius IV (1254): « Nam Spiritus sancti donum in chrismatis unctione confertur » (Denz. 450). *Prof. Fidei Michaelis Palaeologi*: « Chrismando renatos » (Denz. 465); Clemens VI (1351) (Denz. 571 ss.); *Decretum pro Armenis* (Denz. 698) confirmationem

---

[36] *Benedicti XIV Bullarium*, tom. 3, Prati 1847, 719 s.

vocat unctionem simili modo quo Innocentius III, et materiam dicit esse chrisma.

129. Chrismationem ad valorem confirmationis esse necessariam post saeculum 16. evasit sententia semper magis communis theologorum, ita ut hodie non videatur negari. In hoc ritu ecclesia occidentalis et ecclesiae orientales, apud quas hoc sacramentum certo validum invenitur, conveniunt. Dubium autem de valore confirmationis apud Nestorianos theologi latini magna ex parte movebant, quia chrismationem omittunt [37].

130. Sed, ut antea iam dictum est, multi theologi aliquam manus impositionem nunc quoque dicunt esse necessariam in confirmationis sacramento. Eorum rationes sunt, quod apostoli legantur contulisse Spiritum sanctum baptizatis per manus impositionem; quod hoc sacramentum vocetur manus impositio; quod primis maxime temporibus collatio Spiritus sancti tribuebatur manus impositioni. *Innocentius* III (supra nr. 127). *Prof. fidei Waldensibus praescripta*: « Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus » (Denz. 424). *Prof. fidei Michaelis Palaeologi*: « Aliud est sacramentum confirmationis quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos » (Denz. 465).

131. In contrarium afferri posset, quod in *Decreto pro Armenis* dicitur: « *Loco* illius manus impositionis (de qua sermo est in Actibus Apostolorum) datur in ecclesia confirmatio » (Denz. 697). Et antea dixerat *Innocentius IV*: « Soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio *repraesentat*, Spiritum sanctum tribuisse leguntur » (Denz. 450). Et anno 1577 *Gregorius* XIII: « Quumque de solis apostolis, quorum vices in terris gerunt episcopi, legatur, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant baptizatis, *loco* autem illius manus impositionis in ecclesia confirmationis sacramentum

---

[37] Vide supra nr. 57, 58.

successerit, magna cum veneratione tenendum est hoc sacramentum » (Col. Lac. 2, 422). *Catechismus Romanus* in tota sua expositione doctrinae de sacramento confirmationis ne verbum quidem habet de manus impositione.

132. Theologi, qui nostris temporibus affirmant necessitatem alicuius manus impositionis, eam non intelligunt primam manus impositionem vel extensionem, sed eam, quae simul est cum chrismatione, et sic iam habetur alia manus impositio ab ea, cui primis temporibus collatio Spiritus sancti tribuebatur. Duplici autem modo concipi potest impositio manus simul cum chrismatione: vel ita, ut ipse tactus pollicis in fronte dicatur manus impositio, uti antea dixerat *Petrus Aureoli*, vel ita, ut simul cum unctione manus imponatur super caput confirmandi. Generatim autem videntur theologi eam invenisse in ipso immediato tactu pollicis, unde concludunt, unctionem fieri non debere aliquo instrumento. Videtur tamen iure quaeri posse, num frontem pollice tangere sit idem ac manus capiti imponere. Nemo dicit chrismationem verticis, quae post baptismum fit a presbytero, esse impositionem manus presbyteri. Praeterea quaeri potest, num sit certum, confirmationem invalidam esse, si unctio instrumento facta sit. *S. C. S. Officii*, 14 ianuarii 1885 de aliquibus, qui a sacerdotibus schismaticis confirmati erant, respondit: « Non expedire, ut confirmati de quibus in casu, iterum ab episcopo inungantur, nisi ad Tonsuram et Ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant, ac nisi, facta inquisitione circa modum collationis confirmationis, reperiatur pennicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub condicione »[38]. Ergo, si sub condicione sacramentum conferendum dicitur, non videtur certo constare, illam confirmationem propter usum instrumenti fuisse invalidam; dubium autem de valore manet.

133. In Codice Iuris Canonici, et in editione Ritualis Romani emendata ad normam iuris canonici, sermo quidem est de manus

---

[38] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, 2, 206.

impositione; sed ex modo, quo ea ibi proponitur, augetur fortasse difficultas decidendi, quaenam manus impositio intelligatur, et num ea necessaria sit ad valorem. *Cod. Iur. Can.* canone 780 dicit confirmationem conferri debere « per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba ... », quae facile ita intelligi possunt, ut ipsa impositio manus proprie sit ritus principalis (*per* manus impositionem = materia; *per verba* = forma). Sequenti canone § 2 dicitur: « Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita ». Haec ultima verba intelligi possunt ita, ut *per* impositam manum fiat unctio (dicitur: non instrumento, sed manu imposita, i. e. *per* manum impositam); sic intellecta verba correspondent sententiae multorum theologorum. Possunt autem verba etiam sic intelligi, ut sit sensus: simul cum unctione fieri debet manus impositio; unctio debet fieri, quando simul manus capiti imposita est. Etiam sic intelligendo exclusus videtur usus instrumenti. Nam si manus capiti imposita est, videtur impossibile unctionem facere aliquo instrumento, nisi in auxilium vocetur altera manus; et e converso, si quis ungit aliquo instrumento, difficile erit eandem manum imponere capiti.

134. In nova editione *Ritualis Romani*, diligenter revisa, emendata et aucta ad normam Codicis Iuris Canonici etc. dicitur: « Summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta, confirmat eum dicens: N. Signo te signo crucis, quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in fronte illius, deinde prosequitur: et confirmo te Chrismate salutis ». Hic modus loquendi videtur distinguere « pollice signum crucis in fronte producere » et « manum imponere super caput ». Nemo enim facile dixerit, producere *pollice* signum crucis in *fronte* esse idem quod *imponere manum super caput*. Si autem ita intelligeretur, videretur simul indicari, ipsum immediatum tactum frontis per pollicem non iam considerari manus impositionem, quod non conveniret sententiae multorum theologorum. Haberentur sic duo ritus non identici, sed simultanei: unctio et manus impositio.

135. Quaeri ulterius potest, num illa impositio manus super caput confirmandi sit ad valorem sacramenti necessaria, ita ut si epis-

copus eam omitteret, confirmatio esset invalida, licet immediato tactu perfecisset chrismationem. Nova editio Pontificalis Romani, revisa, emendata, aucta, ad normam Codicis Iuris canonici etc. nondum habetur. Ergo manet antiqua forma, in qua nihil dicitur de aliqua manus impositione. Sed in recenti aliqua editione Pontificalis Romani [39] in Forma confirmationis unius (antea in appendice Pontificalis, in hac editione statim post « De confirmandis ») recepta est rubrica, uti habetur in nova editione Ritualis Romani, ita ut in hac editione primo detur rubrica antiqua sine manus impositione, et paucis paginis post, rubrica Ritualis Romani cum manus impositione. Quamdiu res in tali statu sunt, non videtur dici posse, in Rituali Romano praescribi ritum aliquem, qui ad valorem sacramenti sit necessarius. Exspectandum est, quomodo res proponatur, si edatur Pontificale Romanum revisum et emendatum, sicut editum est Rituale Romanum. Interim dicendum videtur: res non liquet, scl. neque num aliqua manus impositio sit necessaria ad valorem, neque quaenam sit vel in quo consistat illa manus impositio. Propter auctoritatem tamen tot theologorum dici fortasse potest, probabile esse, aliquam manus impositionem nunc requiri, sive ea est identica realiter cum unctione, sive ea est non quidem identica, sed simultanea cum unctione.

136. Consequenter videtur dicendum: ipsa unctio certo est elementum essentiale huius sacramenti; proinde eius materia est chrismatio, et forma sunt verba, sub quibus chrismatio fit; fortasse etiam aliqua manus impositio est elementum essentiale.

137. His praemissis iam quaeri potest, *quomodo Christus sacramentum confirmationis censendus sit instituisse,* in genere, an in specie.

Si unctio nunc est ritus essentialis, et si supponitur institutio in specie, dicendum est, Christum unctionem chrismate faciendam immutabiliter instituisse ritum sacramentalem (fortasse cum aliqua impositione manus simul cum unctione), ita ut tenendum sit, num-

---

[39] Mechliniae 1934 pag. 7.

quam hoc sacramentum valide collatum fuisse sine hac unctione et verbis correspondentibus. Huic autem opinioni opponuntur difficultates ex historia in hac sententia vix explicandae: initio sacramentum collatum est impositione manus, et nulla videtur adfuisse unctio, qua conferretur plenitudo Spiritus sancti; postquam accessit unctio, prima ea habebatur ritus accessorius ad ritum conferendi Spiritum sanctum, sicut unctio post baptismum habebatur ritus accessorius ad baptismum. Priorum autem theologorum sententia, apostolos hoc sacramentum administrasse chrismatione, eamque ab initio adfuisse, inde explicari potest, quod putabant se habere testem pro chrismatione ex ipso tempore apostolorum, scl. Dionysium Areopagitam, discipulum s. Pauli, quem putabant auctorem operum, quae sub eius nomine legebantur.

138. Si vero propter testimonia historica conceditur, ab initio sola manus impositione confirmationem collatam esse, dici debet (supponendo institutionem in specie), Christum hanc impositionem manuum cum invocatione Spiritus sancti, eamque solam, immutabiliter instituisse ritum essentialem; consequenter eam solam esse nunc quoque ritum essentialem. Talem sententiam *Benedictus* XIV. in encyclica « Ex quo primum » supra citata (nr. 123) inter eas conumerat, quae libere inter theologos disputantur. Sed in se considerata vix videtur admitti posse. Illa enim impositio manus, quae ab initio aderat cum invocatione Spiritus sancti, et quae secundum hanc sententiam a Christo immutabiliter instituta est ritus sacramentalis, certo nunc non est ritus essentialis, idque in hac sententia conceditur. Tribuere ergo debet ecclesiae potestatem auferendi ritui a Christo immutabiliter instituto efficacem significationem gratiae, quam Christus cum eo coniunxerat, et facere signum efficax gratiae aliam impositionem manus sine invocatione Spiritus sancti, cum tamen illa impositio manus cum invocatione Spiritus sancti, quam Christus instituerat, permaneat, nunc autem sit ritus solum accidentalis. Offendit quoque contra communem sententiam theologorum, quae dicit chrismationem esse materiam huius sacramenti, qui modus loquendi in documentis quoque ecclesiae in usu est. Materia autem sacramenti vocari non solet ritus aliquis mere acciden-

talis. Neque chrismatio materia confirmationis dici potest, si chrismatio concipitur condicio, sine qua ritus sacramentalis effectum suum non consequitur; condicio enim non potest dici materia sacramenti. Sententia autem eo modo concepta, quod unctio sit condicio sine qua non, aliquatenus potest similis videri sententiae, quae de sacramento Eucharistiae dicit, « verba consecratoria apud Graecos effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa, quam epiclesim vocant »; simili enim modo in hac sententia ritus sacramentalis confirmationis effectum suum non sortitur, nisi facta unctione ab ecclesia instituta. Illam autem sententiam de sacramento Eucharistiae *Pius* X. epistula « *Ex quo* », 26. dec. 1910 reprobavit cum « compertum sit, ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidpiam innovandi » (Denz. 2147 a). Ergo statuere in ritu condicionem, a qua effectus ipsius ritus sacramentalis dependet, est aliqua mutatio circa ipsam substantiam sacramenti, quae ecclesiae non competit.

139. Ergo nihil remanere videtur, nisi dicere, Christum hoc sacramentum instituisse « in genere », et ecclesiae reliquisse potestatem ritum sacramentalem ulterius determinandi. Haec sententia correspondet omnibus factis, quin ad explicationes artificiosas, plus vel minus violentas refugiendum sit.

De materia confirmationis

140. Ergo materia huius sacramenti est unctio, quae fieri debet chrismate. Chrisma est unguentum, id quo ungitur, oleum, vel etiam ipsa unctio; modo speciali ita vocatur oleum benedictum. *Innocentius* I. oleum infirmorum dicit oleum chrismatis (Denz. 99). Postea vero invaluit usus vocandi chrisma oleum benedictum cui admixtum est balsamum; et ita nunc semper intelligitur.

141. *Oleum* quod in conficiendo chrismate adhibetur, ex usu ecclesiae *debet esse oleum olivarum*, idque docent omnes theologi (id est ii, qui unctionem ad valorem sacramenti necessariam ha-

bent), licet in assignanda certitudine huius asserti non conveniant. Certum est ecclesiam numquam aliud oleum explicite agnovisse materiam confirmationis certo validam; ex altera tamen parte non videtur adesse documentum, quo explicite declaretur, confirmationem alio oleo adhibito certo esse invalidam. In ecclesia latina hac de re non videtur fuisse aliqua controversia.

142. Cum saeculo 12. ageretur de unione inter Graecos et Armenos, *Nerses* scripto respondit ad interrogationes de fide Armenorum et ecclesiastica disciplina propositas (anno 1165). In hac epistula dicit: « Scriptum insuper erat in epistola, chrisma nostrum esse ex oleo de arbusculo, quod sesamum vocant, non de olivarum arboribus. Hoc reapse; at non alia de causa, nisi quia in Armeniae provincia propter aëris frigus non habentur olivae; ideoque necesse fuit ad Chrismatis materiam oleum illud accipere, quod in ea provincia reperitur. Nec in his spirituale damnum cernitur; nam si ipsi materiae virtus inesset, illa tantum materia esset adhibenda, quae divinum haberet influxum. At si benedictio et precatio sacerdotalis divinam gratiam cum olei materia coniungunt, nihil discriminis interest, sive oleum ex arborum fructu, sive ex arbusculis fuerit. Quemadmodum et vinum cuiuscumque coloris sive nigrum sive rubrum sive album ad sanguinis Christi materiam acceptabile est »[40]. Ex ultimis verbis apparet, Nersetem accidentalem habuisse differentiam, quod ad valorem attinet, inter oleum olivarum et oleum ex aliis plantis haustum, sicuti accidentalis est differentia inter vinum album et rubrum. Anno 1170 de his disputationem habuit Nerses cum *Theoriano*, qui ei ostendit, exemplum de vino non esse aptum; Patres oleum olivae praetulisse aliis oleis; et tandem oleum sine addito significare oleum olivarum. Et Nerses concedit hoc facile corrigi posse (MG 133, 191). In concilio deinde Tarsensi (1177) Graeci quaesiverunt, ut Armeni sanctum oleum ex arboris fructu (i. e. olivis) conficiant. Respondent Armeni: « Ex paupertate quidem huic derogamus traditioni; cum in plaga septentrionali difficillime ea reperiatur materia, quae continet figuram gratiae Spiritus

[40] *Nersetis opera*, vol. 1, Venetiis 1883, pag. 183 s.

sancti. Si tamen deinceps inventu facilis fuerit, haudquaquam traditionem istam fraudabimus » (Mansi 22, 200). Num confirmatio Armenorum propter usum huius alterius olei invalida fuerit, non dicitur. Postea tamen Armeni oleo olivarum usi sunt. Certo nunc omnes, occidentales et orientales, qui unctionem confirmatoriam habent, oleum olivarum adhibent.

143. Alia est quaestio, num ecclesia permittere possit usum alterius olei. Certo hoc non posset, si constaret, Christum ipsum non solum unctionem tamquam ritum huius sacramenti instituisse, sed praeterea, ut haec unctio exclusive oleo olivarum fieri deberet. Hinc ii theologi, qui tenent ne unctionem quidem a Christo esse institutam, ad quaestionem affirmative respondere debent. Qui autem tenent, Christum ipsam unctionem instituisse, et si insuper putant se probare posse, ex voluntate Christi hanc unctionem semper et ubique oleo olivarum fieri debere, negative respondere debent. Quomodo autem hoc probari possit, attentis illis, quae supra de historia ritus huius sacramenti dicta sunt, revera non apparet. Propterea dicendum videtur, non apparere rationem negandi ecclesiae hanc potestatem, idque concedi potest tum ab iis, qui defendunt hoc sacramentum in genere institutum esse, tum ab iis, qui censent illud esse in specie institutum; quia probari non potest Christum ipsum exclusivum usum olei olivarum immutabiliter ad valorem praecepisse. Ex eo autem, quod ecclesia hucusque talem permissionem non dedit, non sequitur, ut eam dare non possit.

144. *Oleo admisceri debet balsamum,* id quod sine dubio saltem est de necessitate praecepti. Quod autem haec admixtio necessaria sit ad valorem sacramenti, a pluribus negabatur. De hac disputatione, de argumentis et responsionibus ex utraque parte, vide WIRCEBURGENSES, *De sacramentis tribus prioribus,* nr. 155-161, qui pro parte negante citant Caietanum, Dom. Soto, Estium, Greg. de Valentia, Tournely, Witasse; pro parte affirmativa s. Thomam, Bonaventuram, Scotum aliosque plurimos. Ipsi vero, expositis rationibus pro et contra, concludunt: « Ex his lector eam seligat, quae sibi magis fundata videtur, opinio » [41].

[41] Ed. Lutetiae Parisiorum, tom. 5, 1853, pag. 249-254.

145. In hanc disputationem iterum magna ex parte influit sententia de institutione huius sacramenti. In sententia, quae dicit, Christum ipsam unctionem immediate et immutabiliter instituisse, balsamum de necessitate sacramenti esse potest solum, si ipse usus balsami a Christo institutus est, proinde sacramentum numquam administratum est sine balsamo; sed si usus balsami postea in ecclesia ortus est, in hac sententia non potest esse de necessitate sacramenti. Si autem supponitur institutio in genere, solum ab ordinatione ecclesiae dependet, num admixtio balsami sit de necessitate sacramenti, id est ad determinandum qualis sit necessitas, in quaestionem non venit, quando usus balsami coeperit.

146. Declarationes auctoritatis ecclesiasticae, quibus haec quaestio decidatur, non habentur. Pro eo quod non sit de necessitate sacramenti, citatur *Innocentius III* (1204): « Praeterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, si quis sine impositione manuum fuit ad ordinem diaconatus assumptus, et si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem non fuit chrismate sed oleo delinitus. Ad quae fraternitati tuae breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum » (ML 215, 484). Textus transit in Decr. Greg. IX lib. 1 tit. 16 de sacramentis non iterandis, cap. 1,[42] ubi, praeter aliqua minoris momenti, legitur subdiaconatus et non diaconatus. Glossa dicit: « Nota quod non dicitur iterari quod prius factum non fuit. Item quae omittuntur in ordinibus conferendis, suppleri debent ». Qui oppositam sententiam tenent, ad haec dicunt: « Sensus est, non esse iterandum solemniter et cum caeremoniis sacramentum, sed esse supplendum caute sive secreto, quod fuerat praetermissum. In confirmatione vero praetermissum fuerat chrisma, quod sine balsamo non est; nec proinde vera fuerat forma (scl. confirmo te chrismate salutis); igitur id totum erat supplendum, sive conferendum denuo »[43].

---

[42] Richter-Friedberg II, 134.
[43] Wirceburgenses nr. 157.

147. Pro sententia, quod sit de necessitate sacramenti, citatur *Decretum pro Armenis*, in quo dicitur « confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto ». Respondetur ex parte opposita inter alia: « nomine balsami etiam alias fragrantes aromatum species intelligi posse, quae bonum exhalantes odorem significare possunt odorem bonae famae ... exprimi vero balsamum, quod hoc prae ceteris bene spirantibus materiis esset in ecclesia occidentali donatum usu ac receptum » [44].

148. Supra (nr. 139) dictum est, Christum hoc sacramentum in genere instituisse; ergo a voluntate ecclesiae pendet, utrum sit admixtio balsami de necessitate praecepti, an de necessitate sacramenti. Documenta, quae permittant decisionem huius quaestionis, non videntur adesse; ergo dicendum est: res non liquet.

149. Licet videatur supponi posse oleum odoratum iam antea adhibitum esse, tamen ante saeculum 6. non habetur certum testimonium de usu balsami. Neque hoc mirum videri debet, cum unguentum, quod in Veteris Testamenti cultu adhibebatur, varias quidem substantias fragrantes continebat, inter quas tamen non inveniebatur balsamum. (cf. Exod. 30, 22 ss.). Certo autem saeculo 6. usus balsami exsistebat, ut patet ex *synodo bracarensi* (572) can. 4: « Placuit ut modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur » [45].

150. Balsamum; quo ecclesia usque ad saeculum 16. utebatur, est succus resinaceus fragrans, qui ex frutice *Commiphora opobalsamum* colligitur. Cum autem in India occidentali invenirentur plantae, quae similes substantias producunt, permissum est a Summis Pontificibus in conficiendo chrismate hoc novum balsamum adhibere, quando balsamum, quod hucusque in usu erat, aut om-

---

[44] Wirceburgenses nr. 161.

[45] Mansi 9, 839. Cf. Greg. Turon., *Liber miraculorum* 1, de gloria martyrum cap. 41. ML 71, 742.

nino non, aut difficile habebatur. De hac re *Benedictus* XIV. in encyclica « Ex quo primum (supra nr. 122 ss.) ita ait: « Et quidem pro iis regionibus, in quibus vera balsami species non reperitur, haud recusarunt Romani Pontifices indulgere, ut ad conficiendum chrisma liceret uti certo quodam fragranti succo seu liquore, qui communiter pro vero balsamo accipitur, ut videre est in constitutione *S. Pii V*, per quam videlicet constitutionem Indiarum episcopis eiusmodi indultum conceditur, et in constitutione *Sixti* V, ubi, exposita veri balsami penuria ... conceditur archiepiscopis et episcopis Lusitaniae, ut in conficiendo sacro chrismate adhibere possint balsamum ex Brasilia aliisque novi orbis Indiarumve regionibus allatum, eaque in re Pontifex suorum praedecessorum *Pii* IV. et *Gregorii* XIII. exempla sequi se profitetur ». Textus autem indulti *Sixti* V. (1590) hic est: « Cum balsamum orientale, quod in valle Hyerico Terrae Sanctae colligitur, et quo Romana ecclesia, caeterarum ecclesiarum mater et magistra, in sancti chrismatis confectione hactenus uti consuevit, hoc tempore, quo eius arbusculae ab immani Turcarum feritate, forsan in Christiani nominis odium et ecclesiastici cultus contemptum, pro maiori parte eradicatae fuerunt, commode haberi minime possit: Nos, licet illud, quod in ecclesia longo iam usu probatum fuit, posthac etiam in eodem chrismate conficiendo retineri cuperemus, eius tamen habendi difficultatem attendentes, et ipsum balsamum in quacumque orbis terrarum parte colligatur, et cuiuscumque qualitatis sit, modo balsami substantiam retineat, aptam eiusdem sacramenti confirmationis materiam esse considerantes; quin imo Christifideles chrismate salutis unctos multiplicem virtutum, quae christianum hominem decent, suavitatem effusuros, quocumque genere balsami aeque significari, et per eius naturae vim, qua quidquid eo circumlitum sit, incorruptum conservatur, sacramenti virtutem fidelium confirmatorum animos a criminum contagione praeservantem, pari ratione in quocumque balsamo demonstrari apud omnes pro comperto esse intelligentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum, quibus hoc negotium mature examinandum commisimus, consilio, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in Portugalliae et

Algarbiorum regnis, aliisque provinciis et locis coronae eorundem regnorum subiectis, nunc et pro tempore exsistentibus, ut in sacro chrismate conficiendo, posthac, ipso orientali Terrae Sanctae balsamo deficiente, alio balsamo, quod in Brasilia et novi orbis caeterisque Indiarum regionibus, ad acquisitionem verae fidei divina bonitate traductis, singulari eiusdem divinae providentiae, nuper inventum colligitur, libere et licite utendi auctoritate apostolica facultatem concedimus et indulgemus. Id autem eo libentius facimus, quod felicis recordationis Pium IV. et Gregorium XIII., Romanos Pontifices, praedecessores nostros ad sanctum chrisma conficiendum eiusdem balsami Brasilii et novi orbis caeterarumque Indiarum regionum usum iisdem fortasse rationibus adductos nonnullis episcopis concessisse comperimus »[46].

151. Secundum Sixtum V. balsamum est *materia* confirmationis. Potest tamen Summus Pontifex permittere, ut loco eius balsami, quod eousque in usu erat, aliud balsamum adhibeatur, licet genere et qualitate sit diversum. Nam quodcumque genus balsami, uti omnibus patet, odorem virtutis et conservationem a corruptione peccati significat. Non debet esse idem balsamum ex eadem planta collectum, neque ex planta simili vel affini. In casu enim agitur de plantis, quae non pertinent ad idem genus ad quod pertinet *Commiphora opobalsamum*, neque ad eandem familiam, neque ad eundem ordinem. Plantae, ex quibus colligitur balsamum indicum, systematice longius distant a *Commiphora opobalsamum*, quam planta, ex qua habetur oleum sesami (*Sesamum orientale*) ab ea, ex qua habetur oleum olivarum (*Olea europaea*). Unde confirmatur, quod nr. 143 dictum est de potestate ecclesiae permittendi usum alterius olei loco olei olivarum, si unctio alio oleo facta naturaliter apta est idem significare quod significat unctio oleo olivarum facta[47].

---

[46] Bullarium Romanum, tom. 9, Augustae Taurinorum 1865, 357 s.

[47] Apud orientales praeter balsamum multae aliae substantiae oleo admiscentur, de quibus vide Goar, *Euchologion, sive Rituale Graecorum*. Lutetiae Parisiorum 1647, 637 ss.

152. Chrisma debet *benedictum esse,* et quidem *ab episcopo.* Haec consecratio fit magna solemnitate; in ecclesia latina singulis annis Feria quinta in coena Domini. De benedictione chrismatis clara et explicita est doctrina et praxis ecclesiae.

Innocentius I. (Denz. 98; supra 21); *Concilium Hispalense,* (supra nr. 29); *Innocentius* IV. (Denz. 450); *Clemens* VI: « De consecratione chrismatis, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari » (Denz. 571). *Decretum pro Armenis* (Denz. 687). *Clemens* VIII (Denz. 1086).

Hippol. Traditio apostolica (supra nr. 18); *Testamentum Domini Nostri Iesu Christi,* (supra nr. 43); *Cyrillus Hierosol.* (supra 47); *Serapion,* (supra 51).

153. Confectio chrismatis est *privilegium episcoporum. Clemens* VI (Denz. 571); *Clemens* VIII (Denz. 1086). *Concilium Toletanum* (400), 20: « Quamvis paene ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi episcopum chrisma conficere et per dioeceses destinare, ita ut de singulis ecclesiis ad episcopum ante diem paschae diaconi destinentur aut subdiaconi, ut confectum chrisma ab episcopo destinatum ad diem Paschae possit occurrere » (Mansi 3, 999). *Conc. Bracarense* (563) cap. 19: « Item placuit, si quis presbyter, post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam, aut altare consecrare, a suo officio deponatur: nam et antiqui hoc canones vetuerunt » (Mansi 9, 779). *Conc. Hispalense* (619) (supra nr. 36). *Conc. Toletanum* (653) cap. 7: « Qua de re nosse nos convenit, quod episcopalis eminentiae culmen non immerito sacris omnibus esse summa percensuit, quae ceteris sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, chrismae benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem, quae tam divinaliter ordinata persistunt, quam excellentissime conferuntur; quia et tanto ab eis singulariter impenduntur, quantum eidem summo culmini peragenda servantur » (Mansi 10, 1217). *Conc. Wormatiense,* (supra nr. 24). Si presbyteris con-

ceditur administratio huius sacramenti, animadvertitur adhibendum esse chrisma ab episcopo consecratum.

154. Disputatur inter theologos, num presbyteris conferri possit facultas consecrandi chrisma. De hac re vide BENEDICTUM XIV. *De synodo dioecesana*, lib. 7 cap. 8, qui hanc quaestionem habet controversiam nondum diremptam. Refertur autem hoc factum esse; ergo fieri potest. IOANNES quidam DIACONUS (saec. 6.), *Epistula ad Senarium virum illustrem*, nr. 7: « Adiungis ut dicam, cur sanctum chrisma solum pontifici liceat consecrare, quod presbytero non videtur esse concessum. Et merito: quia episcopus summi pontificis gradum obtinet, presbyter vero secundi sacerdotii locum retinere cognoscitur. Omnis enim pontifex est sacerdos, non omnis sacerdos pontifex dici potest... Nr. 8: Illud quoque non praetereundum videtur, qui (quia) nec eadem benedictionis verba presbyterii consecratio promeretur, quae pontificalis apex consuevit audire. Nam si nihil speciale reservatum esset episcopo, gradus indifferens esse videbatur: nec opus esset diverso vocabulo, quod eadem benedictio consecraret. Sed hec illud tangat animum, quod sibi aliquando quaedam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat etiam nunc a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit » (ML 59, 403 s.). Apud WADDING, *Annal. Minor.* tom. 11, ad annum 1444, narratur, *Eugenium IV.* Fabiano da Bachia dedisse facultatem tum chrismate consignandi fideles, tum etiam ipsum chrisma conficiendi (vide infra nr. 186)[48].

De forma

155. Verbis thesis (nr. 78) dicitur, confirmationem conferendam esse « per verba in pontificalibus libris in ecclesia probatis prae-

[48] De hac facultae cf. DANNER, *Das dem Franziskanervikarius ... erteilte Privilegium oleum sanctum et chrisma conficiendi et benedicendi.* Theologisch-praktische Quartalschrift 1904, 805-810.

scripta ». Quae formula, desumpta ex Codice iuris canonici, est satis generalis, neque indicat, quid per illa verba enuntiari debeat, neque quid in illis verbis ad valorem requiratur. Si verba praescripta adhibentur, certo confirmatio ex hac parte est valida.

156. Act Apost 8,15 dicitur, Petrus et Ioannes « oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum », et v. 17: « tunc imponebant manus super illos ». Act Apost 19, 6 (Paulus) sermo non est explicite de aliqua oratione.

A primis temporibus cum impositione manus habetur oratio, qua invocatur Spiritus sanctus; talis oratio nunc adhuc invenitur in ritu administrandi confirmationem, simul cum prima manus impositione. Cum haec impositio manus nunc sit ritus accidentalis, idem dicendum est de hac oratione.

Ritus essentialis nunc sola est chrismatio; ergo sola verba, sub quibus illa fit, possunt esse forma huius ritus. Verba sunt in ecclesia latina nunc: « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen ». Haec cum omnibus suis partibus invenitur ex saeculo 12. *Alexander Halensis* eam dicit formam, qua utitur ecclesia Romana; sed in diversis ecclesiis diversas haberi formas verborum. Exempla ponit: Confirmo te signo crucis et chrismate sanctificationis in nomine Patris etc. Vel: Confirmo et consigno te signo crucis et chrismate sanctificationis in nomine Patris etc. (*Summa* p. 4 q. 9 m. 1). Hae autem formae non multum differunt a forma Romana. *S. Bonaventura, s. Thomas* habent formam nunc usitatam. *Decretum pro Armenis* eam simpliciter dicit formam huius sacramenti. Forma graeca est: « Signaculum doni Spiritus sancti », quae in usu est ex saeculo 5. vel fortasse etiam 4. Utraque forma est valida, eaeque nunc adhiberi debent.

157. Quaeritur inter theologos, quid in forma latina ad valorem absolute requiratur, et in hac re sententiae theologorum sunt maxime diversae. Pesch: « Dicunt quidem multi theologi, ut *Suarez* (disp. 33 sect. 5) et *S. Alphonsus* (lib. 6, n. 168), omnia verba esse ita essentialia, ut, si ullum omittatur (exceptis fortasse illis particu-

lis *et* vel *in*), sacramentum fiat invalidum. Alii, ut *Estius*, putant, *signo te signo crucis* et *chrismate salutis* posse omitti; idem putat probabile Trinitatis invocationem non esse de essentia, ut habet multorum recepta sententia. *Amicus* (disp. 13, sect. 3, n. 79) putat sufficere, si hoc unum verbum dicatur: *Confirmo. Richardus*, episcopus armachanus (in quaest. armenor. lib. 9 c. 20) aliique tenent formam comprehendi solis verbis: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (cf. *Migne*, Curs. theol. XXI 890 sqq.) »[49].

158. In solutione huius quaestionis iterum intrat sententia de modo, quo Christus hoc sacramentum instituit. Quaestio, quidnam in forma absolute ad valorem requiratur, in sententia institutionis in specie coincidit cum quaestione, quae verba Christus ipse tamquam ad valorem necessaria instituerit, et ea verba semper debent in usu fuisse. In sententia vero institutionis in genere ea verba ad valorem requiruntur, quae ecclesia ut talia explicite vel implicite, in doctrina vel in praxi agnovit. In hac sententia forma mutabilior est: neque necessarium est semper eadem verba in usu fuisse, neque necessarium est eadem verba ubique adhiberi.

159. Supponendo Christum hoc sacramentum in specie instituisse, optima via inquirendi id, quod est essentiale, ea est, qua procedit *Pesch*, scilicet comparando diversas formulas validas. Id enim, quod Christus instituit in omnibus illis inveniri debet; ergo inquirendum est quid sit illud, in quo diversae formae validae conveniant. Hoc quod est omnibus commune, est illud, quod ad valorem requiritur et sufficit, et est id, quod Christus instituit.

160. Comparando primo formam latinam cum forma graeca apparet 1) in forma graeca deesse invocationem ss. Trinitatis; ergo ea in forma latina non est necessaria; 2) in forma graeca deesse « signo crucis » et « chrismate salutis »; ergo ea in forma latina non sunt necessaria; 3) forma latina est activa, cum forma graeca sit passiva, scl. sine dubio supplendum est « datur » vel « traditur ».

---

[49] *Praelectiones dogmaticae*, 6 nr. 524.

Id, in quo forma latina et graeca conveniunt, est 1) enuntiatur signatio (in forma graeca: signaculum; in latina: consigno); 2) in forma graeca habetur: « doni Spiritus sancti », quod significat uberiorem gratiam Spiritus sancti; in latina forma habetur « confirmo », quod ex adiunctis etiam intelligi possit uberior gratia Spiritus sancti, quia illa confirmatio praecise fit per gratiam Spiritus sancti. Ergo ex hac comparatione concludendum esset: In forma latina ad valorem requiruntur solum illa verba: signo te, confirmo te.

161. Sed diversis temporibus diversae erant formae latinae. MARTÈNE [50] exhibet ritum confirmandi, uti in 23 ritualibus invenitur. Plures formae in chrismatione adhibitae cum forma latina, quae nunc in usu est, conveniunt; attamen non omnes. Prosequitur ergo *Pesch* comparationem inter illas formulas, ut inveniatur, quid sit commune, proinde ad valorem necessarium. Interdum abest « signo te » interdum abest « confirmo te », ergo necessarium est aut « signo te » aut « confirmo te », vel potius, id in quo « signo te » et « confirmo te » conveniunt. Ipse *Pesch* concludit (nr. 527): « Iam si hae omnes formae supponuntur validae, unice essentialia sunt haec verba: Confirmo te, vel aequivalentia, quae uberiorem Spiritus sancti gratiam significant ». Eodem modo concludi posset: Ad valorem requiritur « consigno te », vel aequivalentia, cum una tantum sit forma, quae non habet « consigno », quattuor vero, quae non habent « confirmo ». Institutio ergo in specie esset in eo, quod Christus voluerit, ut talia verba adhiberentur, quae « uberiorem gratiam Spiritus sancti » significant. Iure quaeritur, num omnino possibile fuerit, verba formae magis *in genere* instituere. Et ita revera dicendum est: Christus verba formae in genere instituit, voluit, ut adhiberentur verba, quae significant collationem Spiritus sancti; reliquit autem ecclesiae potestatem determinandi, quae verba in concreto adhiberi deberent, et huic ordinationi ecclesiae unice est standum. Decidere, num quid in verbis ab ecclesia approbatis sit superfluum, vel non necessarium, vel accidentale,

[50] *De antiquis ecclesiae ritibus*, tom. 1, Antverpiae 1763, 92-97.

non est theologorum, sed auctoritatis ecclesiae. Confirmatio conferri debet « per verba in pontificalibus libris in ecclesia probatis praescripta ».

De ministro confirmationis

162. In textibus, qui hucusque allati sunt, multa iam de ministro confirmationis continentur. Hi textus autem hic non iterum proponendi sunt, sed sufficit breviter indicare, cui in illis collatio confirmationis tribuatur; adduntur vero inter uncos numeri, ubi ipsi textus inveniuntur. Ne in interpretatione textuum erretur, prae oculis habenda sunt quae de historia ritus confirmationis exposita sunt. Quando et ubi ritus proprius communicandi Spiritum sanctum est impositio manus, et chrismatio frontis est ritus accessorius, facultas chrismandi frontem non est necessario facultas imponendi manus ad communicandum Spiritum sanctum, sive ad conferendum sacramentum confirmationis.

163. Ex *Act Apost* 8, 1 (7) iure concluditur, Philippum diaconum non habuisse facultatem imponendi manus ad communicandum Spiritum Sanctum. Ex *Act Ap* 9, 17 deduci non potest, non episcopum habere talem facultatem, cum non agatur de sacramento confirmationis; postea enim Paulus baptizatus est. *S. Cyprianus* (13): praepositi ecclesiae. *De rebaptismate,* nr. 4: « Quid tibi, frater videtur? si quis non ab episcopo baptizatus, ita ut si in continenti etiam manus ei imponatur, priusquam tamen accipiat spiritum sanctum fuerit defunctus, utrum censeas salutem percepisse eum necne ... 'Quod hodierna quoque die non potest dubitari esse usitatum et venire solitum, ut plerique post baptisma sine impositione manus episcopi de saeculo exeant, et tamen pro perfectis fidelibus habentur » (CV 3, 3, 73 s.). Clare supponitur, hanc impositionem manus ad communicandum Spiritum Sanctum non esse nisi episcopi.

164. S. Hieronymus, *Dialogus contra Luciferianos,* 9: « Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos,

qui longe a maioribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat... Quod si hoc loco quaeris, quare in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, disce hanc observantiam ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legem necessitatis. Alioqui si ad episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in villulis aut in castellis aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati ante dormiunt, quam ab episcopis inviserentur. Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et episcopi iussione, neque presbyter neque diaconus ius habeant baptizandi. Quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita et dare potest; nisi forte eunuchus a Philippo diacono baptizatus, sine Spiritu sancto fuisse credendus est... » (ML 23, 164 s.). *Epistula* 146: « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » (ML 22, 1192).

165. *S. Augustinus* (16): Praepositi ecclesiae. *S. Hippolytus* (18): baptismus a presbytero, confirmatio ab episcopo. *S. Cornelius* papa (19): episcopus. *S. Silvester* papa (20): confirmatio videtur privilegium episcoporum. *S. Innocentius* I (21): Solis episcopis debetur vel consignare vel Spiritum sanctum tradere; presbyteris non licet; hoc est manifestum; demonstratur consuetudine ecclesiae et Act. 8. *Sacramentarium Gelasianum* (22): episcopus. *Sacramentarium Gregorianum* (23): pontifex.

166. S. Gregorius, *Epist.* lib. 4 epist. 9, *ad Ianuarium episcopum Caralitanum*, sept. 593: « Episcopi baptizatos infantes signare bis in fronte chrismate non praesumant; sed presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte » (ML 77, 677). Mense vero maio 594 eidem scribit epist.

26: « Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos, qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant concedimus » (ML 77, 696).

167. *S. Ambrosius* (32): sacerdos. *Conc. Arausicanum* (33): Sacerdos. *Conc. Illiberitanum* (34): episcopus; ex can. 77 concluditur, diaconum non potuisse « perficere per impositionem manus ». *Conc. Toletanum*: chrismatio per se per episcopum; absente episcopo per presbyterum; praesente episcopo per presbyterum, si episcopus praecipit; non per diaconum. *Capitula S. Martini Bracarensis*, (circa annum 560) 42: « Presbyter, praesente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit praeceptum » (Mansi 3, 856). *Conc. Barcinonense* (anno 599) c. 2: « Statutum est, ut cum chrisma presbyteris dioecesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur » (Mansi 10, 482). *Pacianus* (27): antistes, episcopus, tum baptismus, tum confirmatio. *Conc. Hispalense* (36): presbyteris non licet. *S. Isidorus* (37): potissimum episcopus, provocando ad Innoc. I.

168. *Conc. Parisiense* (829), can. 27: « Episcopos locum apostolorum, chorepiscopos autem exemplum et formam tenere 72 discipulorum, et liber Actuum Apostolorum et canonica auctoritas aperte demonstrant. Cum haec ita se habeant, emersit quidam reprehensibilis et valde iam inolitus usus: eo quod quidam chorepiscopi, ultra modum suum progredientes, et donum sancti Spiritus per impositionem manuum tradant et alia quaeque, quae solis pontificibus debentur, contra fas peragant: praesertim cum nullus ex 72 discipulis, quorum speciem in ecclesia gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse » (Mansi 14, 556). *Conc. Meldense* (anno 845) can. 44: « Ut chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem teneat, et ne sanctum chrisma nec sanctum Paracletum Spiritum, solis episcopis iuxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet » (Mansi 14, 829). *Syn. Wormatiensis* (24): Presbyteris non licet; prohibitum illis est.

169. *Didascalia* (40): episcopus. *Constitutiones Apostolorum* (42): sacerdos, episcopus. *Theodorus Mopsuestenus* (41): Sacerdos. *Ps-Dionysius* (46): Pontifex. Sed idem, *De eccl. hierarchia* 5, 5: « Licet enim a sacerdotibus veneranda quaedam sacramenta conficiantur, numquam tamen sacerdos divinam illam regenerationem sine divinissimo illo unguento consummabit, neque divinae communionis mysteria consecrabit, nisi communionis sacramenta divinissimo altari fuerint imposita, quin ne sacerdos quidem erit, nisi pontificiis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. Quapropter lex divina hierarchicorum ordinum sanctificationem, et unguenti divini consecrationem, sacramque altaris benedictionem perficientibus divinorum pontificum virtutibus singulariter attribuit » (MG 3, 506). *Testamentum D. N. Iesu Christi* (43): episcopus.

170. Ambrosiaster, In Eph 4, 11 s.: « Apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit episcopus » (ML 17, 388). Ps.-Augustinus, *Quaestiones veteris et novi testamenti*, quaest. 101: « Nam in Alexandria et per totam Aegyptum, si desit episcopus, consignat presbyter » (ML 35, 2302). S. Ioannes Chrysostomus, *In epist. primam ad Tim. homil.* 11, 1: « Postquam de episcopis dixit, illorumque formam descripsit ... relicto presbyterorum ordine, ad diaconos transit. Quare? Quia non multum spatii est inter presbyteros et episcopos: nam etiam presbyteri docendi munus acceperunt et ecclesiae praesunt; ac quae ille de episcopis dixit, etiam presbyteris competunt. Sola enim ordinatione superiores sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare » (MG 62, 553). In *liturgiis orientalium* (nr. 54-57) idem qui baptizat, confirmat.

171. *Theologi medii aevi* (nr. 79-87): episcopus, vel solus episcopus; presbyteris non licet, provocando ad Innoc. I. Photius, *Epistolarum* lib. 1 epist. 13 occidentalibus obiicit inter alia: « Sed et chrismate inunctos per sacerdotes, denuo chrismate inungere non dubitabant; cum se episcopos praedicarent, et presbyterorum chrisma inutile quiddam ac frustra factum comminiscerentur ... Non licet, dicebant, sacerdotibus baptizatos oleo sanctificare: hoc enim solis lege concessum episcopis. Verum unde illa lex? Quis

legislator? Ecquis apostolorum: sed an vel Patrum, aut e synodis aliqua? ubi gentium illa, vel quando coacta, quorumve votis sancita et suffragiis? Non licet sacerdoti, baptizatos oleo signare? Certe tum nec baptizare, nec sacrificare, atque de media sui parte, sacerdos non perfectus, in sortem abeat abactus profanam ». (MG 102, 725). *Nicolaus* papa haec pluribus metropolitis communicavit rogavitque, ut de hac quoque quaestione in synodis provincialibus tractaretur. Impellente Hincmaro plura scripta composita sunt, inter quae *Ratramnus*, Contra Graecorum opposita, ubi defendit, confirmationem dandam esse per episcopos, non per sacerdotes (supra nr. **89**).

172. Urbanus II, 14. sept. 1092 concessit Abbati monasterii Sanctissimae Trinitatis Caven., « ut tam tu, quam successores tui per terras tui monasterii habitas et habendas, libere possis ecclesias construere, cum cruce signare, aliaque Pontificalia et spiritualia exercere: sacrorum ordinum collatione, Basilicarum et altarium consecratione, et chrismatis confectione tibi tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate »[51]. Excipitur ergo confectio chrismatis; non excipitur administratio sacramenti confirmationis.

173. Hugo (90): solus episcopus[52]. Petrus Lombardus lib. 4 d. 7 c. 2: « Quod sacramentum ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur peractum, nec ab aliis quam qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter praesumptum fuerit, irritum habetur et vacuum, nec inter ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte ».

174. Rolandus, Sent., de confirmatione: « A quibus tradi debeat? Tantum ab episcopis ... Sed videtur falsum, praesertim cum in

---

51 Bullarium Romanum, tom. II, Augustae Taurinorum 1859, 144. Cf. Analecta Ecclesiastica 6 (1898) 107.

52 De sententiis scholasticorum et canonistarum vide Gillmann, *Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakraments*. Paderborn 1920.

canonibus inveniatur, quod absente episcopo imminente necessitate, et eo praesente et praecipiente, presbyter potest signare infantes. Ad quod dicimus, quod sanctorum Patrum auctoritates quaedam intelliguntur ex tempore, quaedam ex loco, quaedam ex causa, quaedam ex persona, quorum quidem modi, ut dicit Isidorus, quod medullitus non indagantur, in labyrinthum nonnulli intricando impinguntur. Omnes ergo illae auctoritates, quae dicunt sacerdotem confirmationis sacramentum posse praestare, ex tempore sunt intelligendae, videlicet in primitiva ecclesia, quando id facere licebat presbyteris propter episcoporum raritatem, quare hodie locum non habent » (Ed. Gietl 213). *Guilelmus Altissiodorensis* (93): soli episcopi.

175. Innocentius IV, canonista docuit, ex delegatione vel auctoritate papae simplicem sacerdotem posse confirmare; omnes vero doctores concordare, quod ex delegatione episcoporum neque licet neque umquam licuit. Postea, papa, litem inter latinos et graecos de confirmatione sacerdotum ita decidit (epist. « Sub catholicae » 6. martii 1524): « Soli autem episcopi consignent chrismate in fronte baptizatos, quia huius unctio non debet nisi per episcopos exhiberi. Quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur » (Denz. 450).

176. Alexander Halensis, Summa p. 4 qu. 9 m. 5 art. 1 quaerit, quis possit confirmare. Respondet, non quilibet, neque quilibet confirmatus. Simplex sacerdos non potest ex sua potestate. Ad argumentum in contrarium: episcopus hoc potest aut ratione ordinis, et si ita, quilibet sacerdos potest, quia eundem ordinem habet, aut ratione iurisdictionis, quo in casu hoc posset sacerdos, qui habet hanc iurisdictionem, antequam consecratus est episcopus, respondet: episcopi hoc possunt non ratione ordinis, neque ratione iurisdictionis, sed ratione institutionis: ita institutum est, ut episcopus hoc posset. Si autem quaeritur, num simplex sacerdos id posset ex demandatione Domini Papae, diversae sunt sententiae. Aliqui dicunt papam non posse; et illi ad factum Gregorii (supra nr. 166)

respondent: invitus fecit propter scandalum, vel dissimulavit, vel etiam: non dedit potestatem administrandi sacramentum confirmationis, sed aliquod sacramentale. Alii vero dicunt papam hoc posse. Nam potest dare potestatem conferendi omnia sacramenta, quae quis ipse recepit. Hoc autem Alexander non admittit, sed concedit, papam, in quo est plenitudo potestatis, posse committere sacerdoti simplici, ut confirmet, sed ille tunc confirmat non propria auctoritate, sed auctoritate commissa, unde ille potius facit, cuius auctoritate fit. Si autem talis presbyter agit contra huiusmodi mandatum, nihil facit. Simili modo respondet S. Bonaventura, In 4 d. 7 a. 1 q. 3 et dubium I.

177. Albertus Magnus, In 4 d. 7 a. 4: Solus episcopus. Gregorius numquam *permisit*, ut esset confirmatio, quae collata fuit a simplici sacerdote, sed propter scandalum *non correxit* abusum et ignorantiam. Vel dicatur, quod erat benedictio quaedam data confirmandis.

178. S. Thomas, 3 q. 72 art. 11: Quia confirmatio est quodammodo consummatio baptismi, collatio huius sacramenti reservatur episcopis, qui habent summam potestatem in ecclesia. Factum Gregorii explicat ex plenitudine potestatis Summi Pontificis, unde potest ea, quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; ex hac plenitudine potestatis Gregorius concessit, ut simplices sacerdotes confirmarent, quamdiu scandalum tolleretur. Fusius hanc quaestionem tractat In 4 d. 7 q. 3 a. 1 qc. 3.

179. Scotus, In 4 d. 7 q. 1: « Minister est episcopus, vel alius cui committi poterit. Ideo dicitur in generali a ministro idoneo ». De facto Gregorii, reiectis duobus modis dicendi, ponit ipse duos modos probabiles: Unus, quod in primitiva ecclesia non erat differentia inter sacerdotes et episcopos; si ita est, potuit tunc sacerdotibus ex officio competere confirmare. Multiplicatis sacerdotibus haec potestas restricta et solis maioribus sacerdotibus, qui dicti sunt episcopi, reservata est. Hoc supposito Gregorius sacerdotibus non concessit potestatem eis non convenientem, sed revocavit prohi-

bitionem prius factam. Alius modus: Si confirmare ab initio non licuit sacerdoti simplici, potuit Gregorius quemlibet sacerdotem istius regionis facere episcopum quantum ad istum actum solum, et sic quilibet eorum vere confirmavit tamquam episcopus quantum ad istum actum.

180. Franciscus Mayronis, In 4 d. 7: solus episcopus; videtur papae negare potestatem delegandi sacerdotem simplicem. Factum Gregorii modo a Scoto proposito explicari nequit. Episcopi et presbyteri in primitiva ecclesia non erant aequales; neque potuit Gregorius per epistulam sacerdotem facere episcopum, quia sic communicari quidem potest iurisdictio, non autem ordo. Et concludit: « Videtur igitur difficile eum (Gregorium) posse excusari ». Petrus de Aquila, In 4 d. 7 q. 3 art. 1 reicit priorem explicationem Scoti, admittit alteram: fecit eos episcopos quoad hunc actum, et sic manet verum: solus episcopus potest confirmare.

181. Aureolus, In 4 d. 7 q. 2 art. un.: De ordinatione hierarchica ecclesiae et de iure, confirmare pertinet ad solos episcopos; sed papa potest cuilibet sacerdoti committere administrationem confirmationis. Nam plus requiritur ad conferendos ordines quam ad confirmandum; papa autem committit non episcopis, abbatibus, quod possint conferre ordines minores et aliquibus quosdam sacros; ergo videtur pari ratione non episcopis posse committere administrationem confirmationis. Est potestas ordinis (ex. gr. conficere sacramentum corporis Christi), et potestas iurisdictionis (ex. gr. excommunicare); ex his coniunctis oritur potestas mixta (audire confessiones, conferre ordines, confirmare). Quilibet autem sacerdos habet potestatem ordinis; papa confert potestatem iurisdictionis, et sic sacerdos habet eam potestatem mixtam, qua potest confirmare.

182. Durandus, In 4 d. 7 q. 4: Si Christus instituit ministrum confirmationis sacerdotem, ecclesiastica autem ordinatione administratio huius sacramenti solis episcopis reservata est, facile explicatur, sacerdotem mandato papali posse confirmare; nam sic solum

licitum redditur, quod valide iam potuit. Si autem ex institutione Christi solus episcopus est minister huius sacramenti, nullo modo per mandatum papae sacerdos fieri potest minister. In prima suppositione factum Gregorii non parat difficultatem; in altera autem suppositione « nescio cur non possit dici, quod Gregorius, cum fuerit homo et non Deus, potuerit errare ». Ex toto modo, quo Durandus quaestionem tractat, videtur dicendum, valde dubiam ei fuisse possibilitatem delegationis papalis. Hanc autem possibilitatem omnino defendit Petrus de Palude In 4 d. 7 q. 4.

183. Inter *errores Armenorum* (anno 1341) error 64: « Item Catholicon minoris Armeniae dicit, quod sacramentum confirmationis nihil valet, et si valet aliquid, ipse dedit licentiam presbyteris suis, ut idem sacramentum conferant » (Denz. 543). Ad articulum 63: « Item apud Armenos utriusque Armeniae non datur sacramentum confirmationis, quia, ut dicunt, illi qui eis fidem a principio praedicaverunt, tale sacramentum eis non dederunt » respondent Armeni: « Omnes Armeni per totum mundum et in utraque Armenia sacramentum confirmationis dant post baptismum per episcopos et sacerdotes indifferenter ... » (Mansi 25, 1240). Ad articulum 64 respondent: « Falsum est dupliciter. Primo, quia sacramentum confirmationis recipit ecclesia Armenorum, secundum consuetudinem Graecorum, et hoc est valde antiquum, antequam minor Armenia esset Armenorum. Secundum falsum est et crimen dicere de catholicon minoris Armeniae, quod sacramentum confirmationis nihil putat » (Mansi 25, 1241).

184. Clemens VI, epist. « Super quibusdam » 29. sept. 1351, ad Consolatorem, Catholicon Armenorum, 12: « Responsiones dedisti, quae nos inducunt, ut a te sequentia requiramus: Primo de consecratione Chrismatis, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari. Secundo, si credis, quod sacramentum confirmationis per alium quam per episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris,

qui non sunt episcopi, committi. Quarto, si credis, quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt episcopi neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint chrismandi » (Denz. 571-574). His clare continetur, confirmationem a simplici sacerdote, qui non receperit commissionem a Romano Pontifice, esse invalidam; praeterea Summum Pontificem habere potestatem, validam collationem confirmationis concedere simplici presbytero. Ex Brevi *Leonis X* (infra nr. 188) videtur colligi posse hoc tempore Nicolaum IV (1288-1292) et Ioannem XXII (1316-1334) missionariis franciscanis hanc facultatem concessisse.

185. Concilium florentinum, Decretum pro Armenis: « Ordinarius minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre ... Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum » (Denz. 697).

186. Eugenius IV. « Sacrae religionis », 29 ian. 1445 concedit missionariis franciscanis, « in ipsis Scythiae, Moldaviae et septem sedilibus Siculorum partibus » commorantibus facultatem « Eucharistiae, Baptismatis, Chrismatis seu Confirmationis, Extremae Unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta ministrare ... capellas quoque, altara, necnon calices et paramenta Ecclesiastica, oleum sanctum et chrisma conficere et benedicere » [53].

187. Nicolaus V. « Ineffabilis », 10. febr. 1448 iisdem concedit « ubi episcoporum catholicorum copia non extiterit, sacramentum confirmationis conferre, ac nihilominus uti oleo et chrismate antiquis, cum in iisdem partibus novum oleum sine difficultate magna haberi non possit » [54].

---

[53] Wadding, *Annales Minorum* 11, 209; cf. supra nr. 154.
[54] Wadding, *Annales* 11, 285.

188. Leo X, « Alias felicis », 25. aprilis 1521 enumerat facultates missionariis franciscanis concessas a Nicolao IV, Ioanne XXII, Urbano V, Eugenio IV et aliis Romanis Pontificibus, inter quas « in casu necessitatis (Episcopis in Provincia non exsistentibus) confirmationis sacramentum... ministrare... nec non uti oleo sancto et chrismate antiquis usque ad tres annos, cum in iisdem partibus novum oleum et balsamum sine difficultate magna haberi non possit » et has facultates fratribus Ioanni Glapion et Francisco de Angelis, qui missionem in Indiae Occidentalis regionibus suscipere voluerunt, concedit. « Volumus autem quod ea, quae ad episcopalem ordinem ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore praesentium nullus vestrum exercere possit, nisi provinciis, ubi catholicus antistes non fuerit » [55].

189. Hadrianus (postea Hadrianus VI), *Quaestiones in quartum sententiarum*. De confirmatione art. 3, probabilius censet, solum episcopum esse ministrum confirmationis; confirmatio a simplici sacerdote collata, etiam si a papa esset delegatus, esset invalida. Postea vero papa, « Exponi nobis », 10. maii 1522 concedit fratribus missionariis, ut « in partibus, in quibus nondum fuerint episcopatus creati, vel si fuerint, tamen infra duarum dietarum spatium ipsi vel officiales eorum inveniri minime possint... omnimodam auctoritatem nostram in utroque foro habeant tantam... et quod praefata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus episcopales exercendos, qui non requirunt ordinem episcopalem, donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Et quia, ut accepimus, per praefatos praedecessores nostros Romanos Pontifices aliqua indulta concessa fuerunt fratribus exsistentibus, aut ire procurantibus in dictis et ad dictas Indiarum partes, nos omnia illa confirmando, ac, quatenus opus est, de novo concedendo, volumus, ut praefati Praelati fratrum... et quibus ipsi de suis fratribus duxerint concedendum, omnibus praedictis indultis in genere vel in specie hactenus concessis et in posterum concedendis, uti, potiri, et gaudere libere et

---

55 Wadding, *Annales* 16, 116 s.

licite possint et valeant »[56]. Hadrianus concedit ergo solum illos actus episcopales, qui non requirunt ordinem episcopalem; hi actus interim (donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum) videntur exclusi. Ad hos actus autem pertinet collatio sacramenti confirmationis. In illis vero, quae immediatae sequuntur, confirmat et renovat facultates antea concessas, inter quas sine dubio inveniebatur facultas confirmandi. Potesne supponi, eum sic implicite concedere aliquam facultatem, quam explicite excluserat? Si affirmative respondendum est, sequitur, ut Hadrianus papa reliquerit sententiam, quam antea theologus proposuerat; si negative, consequenter ad doctrinam antea ab eo propositam procedit, reliquens hanc quaestionem ordinationi futurae Sedis Apostolicae.

190. *In concilio tridentino* discutiendus propositus erat articulus: « Confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis sacerdotem ». *Theologi* hunc articulum iudicabant falsum, erroneum, damnandum; aliqui: damnatus a concilio florentino; quattuor eum censebant haereticum. Longe maior tamen pars noluit eum damnari simpliciter, sed cum aliqua declaratione, quia in casu necessitatis potestas confirmandi concedi potest simplici sacerdoti; propterea censent articulum reducendum esse ad formam concilii florentini, quod addit « ordinarium » ministrum. Alii tamen voluerunt eum simpliciter damnari, quoniam, cum sacerdos simplex dispensatus confirmat, non sua, sed delegata sibi potestate hoc faciat.

191. Inter *Patres* maior numerus voluit articulum simpliciter damnari; aliqui explicite dixerunt, non placere adnotationem theologorum; unus negavit potestatem delegandi sacerdotem; alter hoc idem satis clare indicavit. Unus explicavit, in casu dispensationis papam sacerdotem facere episcopum quoad hunc actum. Plures vero explicite approbaverunt adnotationem theologorum et voluerunt addi, episcopum esse ministrum ordinarium. Episcopus Mylensis (Gregorius Castagnola O. P.) « dicit, quod sacerdotes, qui sunt Perae

---

[56] WADDING, *Annales* 16, 137.

prope Constantinopolim confirmant pueros, ut ipsi asserunt, ex auctoritate Martini pontificis » (Quis Martinus papa intelligatur et quaenam fuerit haec concessio, interim ignorari videtur). Ab uno ex patribus adhuc notatum est « tollatur quemvis sacerdotem, ne innuatur, quod aliqui sint ministri ».

192. Canon primo propositus erat hac forma: « Si quis dixerit, quemlibet sacerdotem esse ministrum confirmationis: anathema sit ». Patres omnes voluerunt, ut in canone mentio fieret de episcopo ut ministro confirmationis. Duo: dicatur episcopus *proprius* minister; unus: *solus* episcopus; septem: *ordinarius* minister. Forma definitiva est: « Si quis dixerit sanctae confirmationis *ordinarium* ministrum non esse *solum* episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: anathema sit ». Dicendo episcopum esse ministrum *ordinarium*, concilium clare indicat sacerdotem posse esse ministrum extraordinarium; ex discussionibus constat, ob hanc rationem praecise additum esse « ordinarium ». Dicendo *solum* episcopum esse ministrum ordinarium excluditur, non episcopum esse ministrum ordinarium. Non dicitur solum episcopum esse ministrum ordinarium ex institutione Christi, vel iure divino.

193. Sessione 23, de sacramento ordinis, cap. 4 docetur episcopos posse « sacramentum confirmationis conferre... quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent ». Et secundum canonem 7 potestas confirmandi, quam episcopi habent, non iis communis est cum presbyteris. Hierarchia ordinis, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, instituta est « divina ordinatione » (can. 6). Concilium non voluit dicere *instituta a Deo* vel *a Christo*, neque approbata est forma « ex *speciali* ordinatione divina ». Ex responso, quod legati die, qui ipsam sessionem antecessit, « Hispanis » dederunt, apparet, cur concilium noluerit dicere episcopos esse a Christo institutos: « nec enim negant Itali, episcopos esse a Christo institutos, sed aiunt hoc egere declaratione, quod videlicet sunt a Christo *non immediate*, sed *mediante Summo Pontifice*. Item quod sunt a Christo quoad *ordinem*, non quoad *iuris-*

dictionem »[57]. Et sic canon 6 non dicit, episcopum iure divino esse presbytero superiorem, neque quo iure presbyter careat facultate confirmandi. Videtur autem fuisse mens patrum, presbyterum sine speciali facultate confirmantem, invalide agere, cum *nullam* huius functionis potestatem habere dicatur[58],

194. Clemens VIII, 30. augusti 1595: « Presbyteri graeci baptizatos chrismate in fronte non consignent... Episcopi latini infantes seu alios baptizatos a presbyteris graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirment; et tutius videtur, ut ad cautelam et sub conditione id faciant, videlicet: Nisi es confirmatus, ego te non confirmo; sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Praesertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab episcopis graecis fuerint baptizati »[59].

195. Benedictus XIV, « Etsi pastoralis », 26. maii 1742: « Episcopi latini infantes, seu alios in suis dioecesibus baptizatos a presbyteris graecis absolute chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per praedecessores nostros, neque per nos graecis presbyteris in Italia et in insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quinimo usque ab anno 1595 a fel. rec. Clemente VIII praedecessore nostro fuit presbyteris italo-graecis expresse interdictum, ne baptizatos chrismate consignent. Secus sub conditione, et cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab episcopis graecis ordinem baptismi iuxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati »[60].

---

[57] Paleotti, *Acta concilii tridentini*. Conc. Trid. ed. Goerres. III, 1931, 691. Cf. *De sacramento ordinis* nr. 150.

[58] Notandum est, ne fiat confusio, quaestionem hanc in concilio non fuisse de hierarchia *iurisdictionis*, sed de hierarchia *ordinis*, de *superioritate* episcoporum supra presbyteros; et de hac re agit canon 6. Ipsum sacerdotium a Christo esse institutum concilium explicite definivit.

[59] Bullarium Romanum, Augustae Taurinorum 10, 1865, 211.

[60] Opera omnia, tom. 15, Prati 1845, 200 s.

196. Postea, *De synodo dioecesana*, lib. 7 cap. 9 scribit: « Ceterum in aliis locis, in quibus chrismatio data a sacerdotibus graecis, non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum: cuius quidem privilegii praesumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia Romanorum Pontificum, qui praedictum Graecorum morem scientes, non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt; sicut post Goarium et alios, recte ratiocinatur Arcudius De Concord. Eccles. Occident. et Orient. lib. 2 de confirm. cap. 15 pag. 96 ... Sed, quoniam omnis praesumptio cedit veritati, eadem confirmatio est irrita reputanda in locis, in quibus certo novimus talem facultatem graecis, alteriusve orientalis ritus sacerdotibus, esse ab Apostolica Sede expresse ademptam ... Haec non incassum sunt praenotata; ex omnibus quippe simul consideratis optima et secura conflatur regula, ad quam dirigi debeat iudicium episcopi, in cuius synodo accidit disputari de robore confirmationis a simplici sacerdote graeci ritus administratae. Antequam is quidquam definiat, diligenter inquirat oportet, num in tali loco, eiusmodi graecorum mos fuerit unquam ab Apostolica Sede expresse improbatus; an potius ex eiusdem Sedis conniventia et lenitate toleratus. Si primum, confirmationem irritam pronuntiabit, atque a sacerdote graeco inaniter confirmatos, absque scrupolo iterandi sacramentum, iterum sacro chrismate inunget: si alterum, confirmationem ratam habebit. Quod si res dubia sit, nec possit certo diiudicari, num eius regionis sacerdotibus aut expresse, aut saltem tacite data sit ab Apostolica Sede facultas conferendi sacramentum confirmationis, se abstinebit a proferenda sententia eamque exspectabit a Romano Pontifice cui decet adeo grave negotium significari » [61].

197. S. C. S. Officii, 5 iulii 1853: « 1) Se qualcuno degli scismatici ritornasse all'unità della Chiesa, e non avendo con chi potere esercitarsi nel rito greco, abbracciasse il rito latino (s'intende essendo semplice laico e non sacerdote), può il Vescovo di rito latino confermarlo *sub conditione*? 2) Se i figli dei cattolici siano bat-

[61] Opera omnia, 11, 1844, 212.

tezzati dagli scismatici può il Vescovo loro latino riconfermarli *sub conditione*? R. ad 1) et 2). Non expedire quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem; et ad mentem. — La mente è che nei casi particolari s'informi il Vescovo del luogo preciso ove i convertiti furono cresimati. Che se fosse in Bulgaria od in Cipro, in Italia o nell'isole adiacenti, o presso i maroniti libanesi, o in altro luogo ove espressamente sia revocata tal facoltà, debba riconfermarsi *absolute*. Se in Valachia e Moldavia, nell'Asia o in altri luoghi in cui non fu espressamente revocata, *acquiescat*. Che se si dubitasse del luogo, del modo, o di altra ragionevole circostanza, *recurrat in casibus particularibus*, et consulat Benedict. XIV, De Syn. dioec. lib. 7 et seqq. » [62].

198. S. C. S. Officii, 16. martii 1872: « Nella feria quarta 6 corrente è stato preso ad esame il dubbio elevato da Monsig. Patriarca di Gerusalemme intorno al valore delle cresime che dai preti scismatici si conferiscono ai neoconvertiti dallo scisma alla religione cattolica simultaneamente al battesimo che reiteranno sacrilegamente, cioè, se la cresima amministrata nelle condizioni espresse dal prelodato Monsignor Patriarca debba considerarsi valida, oppure se il fanciullo debba o possa almeno essere nuovamente confermato *sub conditione*. Questi Emi Inquisitori Generali dopo matura considerazione hanno giudicato di rispondere: Iuxta exposita non expedire ut confirmati de quibus in casu iterum ab episcopo inungantur, nisi ad Tonsuram et Ordines promovendi sint, vel ipsi vel eorum parentes id petant: quo in casu confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub conditione » [63]. Similiter respondetur die 2. aprilis 1879 et 14 ianuarii 1885 [64].

199. *Primum concilium Smyrnense*, 1869, sect. 2 cap. 2: « Quod vero spectat ad confirmationem acatholicorum ritus orientalis, qui divino lumine illustrati ad catholicae ecclesiae gremium revertuntur standum est decisioni S. C. S. Officii editae sub die 15 ianuarii

---

[62] Collectanea S. Congr. de Prop. Fide, I nr. 1095.
[63] Ibidem 2 nr. 1381.
[64] Ibidem 2 nr. 1515; 1630.

1766, quae est sequentis tenoris »: et citatur decisio, quae est in lingua latina identica cum ea, quae supra relata est, die 5 iulii 1853; unica differentia: « Si vero confirmati fuerint in Valachia, Moldavia et Asia etc et ubicumque haec facultas non fuit expresse revocata, *valide confirmati fuerunt* »; supra dictum erat: *acquiescat* [65].

200. Pius X., Epist. « Ex quo » 26. dec. 1910: « cui haud minus absonum est, validam habendam esse confirmationem a quovis presbytero collatam » (Denz. 2147 a). *Cod. Iur. Can.*, « Can. 782 § 1: Ordinarius confirmationis minister est solus episcopus. § 2: Extraordinarius minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit. § 3: Hac facultate ipso iure gaudent, praeter S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, n. 23, Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum ».

201. Pius XI, 30. aprilis 1929, inter privilegia Ordinariis Americae latinae ad decennium: « Item Ordinarii locorum deputare possunt, ad sacramentum confirmationis administrandum, sacerdotes quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes; numquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum sacramentum administrandum erit; servata nova Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Instructione pro simplici sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum confirmationis administrante » [66].

202. Decreto S C. de disciplina Sacramentorum, 14. sept. 1946, *De Confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti*, pluribus presbyteris « ex generali Apostolicae Sedis indulto, tamquam ministris extraordinariis (can. 782 § 2)

---

[65] Coll. Lac. 6, 569 s.
[66] AAS 21 (1929) 555.

facultas tribuitur conferendi sacramentum Confirmationis » in determinatis in Decreto casibus et conditionibus [67].

203. Ex dictis colligi potest:

1) Solus episcopus est minister confirmationis ordinarius; consecratione episcopali potestatem confirmandi accipit.

2) Simplex sacerdos vi ordinationis sacerdotalis nullam habet potestatem confirmandi; haec autem communicari ei potest vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto. Non sacerdotibus hanc facultatem communicari posse, non iam tenetur.

3) In ecclesia latina nunc solus Summus Pontifex hanc facultatem confert, sibique hoc ius reservat; communicari autem potest ordinariis facultas deputandi simplices sacerdotes ad conferendum sacramentum confirmationis.

4) Simplex sacerdos excedens limites concessionis sibi factae, invalide agit.

5) Facultas confirmandi a saeculo 16. saepius communicatur simplici sacerdoti, et nunc iure communi pluribus sacerdotibus communicata est, idque non solum in casu necessitatis, sed etiam sine omni necessitate et ubi non desunt episcopi (simplices sacerdotes, qui sunt cardinales).

6) Quod ad presbyteros schismaticos attinet: *a*) pro aliquibus regionibus revocata est eis facultas confirmandi; quae revocatio supponere videtur antea facultatem adfuisse; *b*) in regionibus in quibus talis revocatio non habetur, secundum Clementem VIII, Benedictum XIV, habent hanc facultatem: valide confirmant; secundum recentiorem autem praxim S. Officii videtur non certo constare de valore. Nam in casu, quo ex lege ecclesiastica confirmatio exigitur (Tonsura, Ordines), ii qui ab his sacerdotibus confirmati sunt, sub conditione confirmandi sunt; idem si parentes vel ipsi confirmati hoc petunt. Cum autem sub conditione confirmandi sint, supponitur hos sacerdotes posse habere facultatem confirmandi.

---

[67] AAS 38 (1946) 352. Cf. Decretum S. Congr. de Propaganda Fide, 18. dec. 1947. AAS 40 (1948) 41; Decretum S. Congr. pro Ecclesia Orientali 1. maii 1948. AAS 40 (1948) 422 s.

204. Principalia, quae adhuc disputantur, sunt:

1) Estne iure divino an iure ecclesiastico episcopus solus minister ordinarius huius sacramenti; proinde caretne simplex sacerdos omni potestate confirmandi ex iure divino an ecclesiastico? Cum hac quaestione cohaeret altera, quo iure scl. Summus Pontifex habeat potestatem delegandi, et quibus hoc ius competere possit. Si est ex iure ecclesiastico, nulla ulterior est difficultas: totum pendet a lege ecclesiastica, quae ex se non est immutabilis. Si autem est ex iure divino, theologi actum Summi Pontificis concedentis facultatem confirmandi simplici presbytero, explicare solent non ut dispensationem in iure divino, sed ita, quod iure divino statutum sit, solum episcopum esse ministrum ordinarium idque vi consecrationis episcopalis; et eodem iure divino statutum, sacerdotem simplicem esse ministrum extraordinarium, si a competente auctoritate, Summo Pontifice, ad hoc delegatur. Sed ipsa quaestio, num hoc sit iuris divini, an ecclesiastici, pertinet proprie ad tractatum de sacramento ordinis [68].

205. 2) Qua potestate simplex sacerdos confirmat sive: quid ei confertur, cum accipit potestatem confirmandi? Haec quaestio proprie non est de natura actus Summi Pontificis concedentis facultatem; generatim dicitur eum ponere actum iurisdictionis (cf. Bened. XIV, De syn. dioec. lib. 7 c. 8). Sed quaestio est, qua potestate utatur simplex sacerdos in confirmando. Hac in re diversae sunt sententiae, quae suas quaeque habent difficultates; unde nulla est, quae ab omnibus sit recepta.

206. *α*) Confirmat potestate iurisdictionis, non potestate ordinis. Ita occasione casus decisi in S. Congregatione Concilii 11. decembris 1897, in voto dicitur: « Siquidem episcopi confirmationis sacramentum conferunt ex potestate ordinis, alii simplices sacerdotes ex potestate iurisdictionis a Summo Pontifice delegatae »; et provocatur ad « Card. D'Hannibale (III n. 282): Minister ordinarius huius

---

[68] *De Sacramento Ordinis* nr. 141-167. Antonio Mostaza, *El ministro extraordinario de la Confirmacion en Trento*. Rivista española de Teologia 2 (1942) 471-519.

sacramenti est episcopus, et ex delegatione (penes Latinos, solius Romani Pontificis) quivis presbyter. Ille hoc sacramentum confert ex ordinis cum primis episcopalis, hic cum primis ex iurisdictionis potestate; ideoque valide hic (simplex sacerdos), si non excedit fines mandati nec quoad territorium, nec quoad personas, nec quoad modum; ille (episcopus) omnibus et ubique, sed si extra suum territorium, gravi non caret » [69]. In hac sententia verum manet, simplicem sacerdotem vi ordinationis suae nullam habere potestatem confirmandi. Sed, si in actu confirmandi nullo modo ipsa potestas ordinis intrat, difficile intelligitur, cur non nisi sacerdotibus haec potestas communicari possit. Potest tamen dici, statum sacerdotalem esse conditionem necessario requisitam in subiecto, ut haec facultas ei communicari possit. Praeterea in hac sententia non apparet, cur episcopus electus, qui iam iurisdictionem habet, non possit valide confirmare ante consecrationem episcopalem. Non videntur multi esse, qui hodie hanc sententiam defendant.

207. *b*) Suarez: « Recte intelligimus potuisse Christum Dominum instituisse, ut sacerdoti simplici ex vi suae ordinationis non daretur potestas proxime et in actu primo (ut sic dicam) ad conferendum hoc sacramentum sed haec daretur soli episcopo per consecrationem eius, et nihilo minus simul voluisse Christum, ut sacerdos ex vi suae ordinationis esset (ut sic dicam) in potentia remota, ut adiuncta commissione seu delegatione Pontificis posset hoc sacramentum conferre » [70]. « Characterem episcopalem esse sufficiens principium huius sacramenti, et necessarium in ministro ordinario et ex officio, non tamen absolute et simpliciter, quia etiam character sacerdotalis potest sufficere, non tamen per se et veluti vi sua, sed quasi extensus vel applicatus per concessionem Pontificis. Cum enim character non sit potentia physica, sed signaculum quoddam, induens quandam rationem moralis potentiae seu facultatis, facile intelligi potest in aliqua actione posse pendere ex concessione seu facultate morali iuxta Christi institutionem » (pag.

---

[69] Analecta Ecclesiastica 6 (1898) 107.

[70] *De sacramentis*, tom. 1 disp. 36 sect. 2; ed. Moguntiae 1599, 438.

440). Minister sacramenti est ille, qui actionem sacramentalem nomine Christi, tamquam vicarius Christi, ponere potest. Sacerdos ordinatione accipit characterem sacerdotalem, et sic potestatem, dignitatem, ut tamquam Christi vicarius actiones sacramentales exercere possit; sed non omnes actiones sacramentales. Consecratione episcopali character « extenditur », ita ut episcopus etiam actionem confirmandi (et ordinandi) nomine Christi, tamquam vicarius Christi, exercere possit; et cum haec potestas ei consecratione detur, inammissibiliter subiecto inest: ubicumque confirmat, valide confirmat. Sic episcopus confirmat potestate ordinis. Haec « extensio » characteris, vel collatio dignitatis, ut possit nomine Christi actum confirmandi ponere, simplici sacerdoti datur sine consecratione, voluntate Summi Pontificis; consequenter haec facultas solum adest intra limites a Summo Pontifice statutos, et est ammissibilis secundum voluntatem Summi Pontificis. Si sacerdos hos limites excedit, invalide agit. Sic etiam simplex sacerdos confirmat vere potestate ordinis, sed non in quantum ea collata fuit ordinatione sacerdotali, sed quatenus ex voluntate Summi Pontificsi haec potestas ordinis nunc se extendat etiam ad administrandum sacramentum confirmationis. Ita verum manet ex una parte, simplicem sacerdotem vi ordinationis sacerdotalis nullam habere potestatem confirmandi; ex altera parte potestatem confirmandi a Summo Pontifice communicari non posse nisi sacerdoti. Haec est explicatio, quae hac vel simili forma a pluribus theologis proponitur.

208. *c*) Actus confirmandi valide exerceri potest solum erga subditos; debet proinde minister quoad hunc actum superior esse eius quem confirmat. Hanc superioritatem omnes episcopi habent, simplici vero presbytero confertur voluntate Summi Pontificis. Ita presbyter confirmat potestate ordinis, in ordinatione presbyterali accepta [71].

209. *d*) *Dölger* censet, sacerdotem simplicem vi ordinationis habere potestatem confirmandi. Quod autem eius confirmatio inva-

---

[71] Cf. Baisi, *Il ministro straordinario degli ordini sacramentali.* Roma 1935, pag. 128 ss.; 157.

lida sit, explicatur ex eo, quod ecclesia huiusmodi confirmationem invalidam declaravit. Ubi invaliditas ab ecclesia declarata non est (ecclesia Graeca), vel si ea per Summum Pontificem aufertur, simplex quoque sacerdos valide confirmat. Id ergo, quod Summus Pontifex confert simplici sacerdoti, non est aliquid positivi, sed aliquid negativi, scl. aufert impedimentum, quo ablato potestas sacerdotis vi ordinationis sacerdotalis accepta, valide exerceri potest. Contra hanc explicationem fortasse dici posset, non apparere, sacerdotem simplicem nullam habere potestatem confirmandi; sed hoc posset eo sensu adhuc affirmari, quatenus ille, qui hic et nunc actum aliquem valide exercere non potest, recte dicitur non habere potestatem huius actus. Sed modus, quo conferri solet a Summo Pontifice potestas confirmandi, non tam videtur indicare ablationem impedimenti (aliquid negativi), sed potius collationem alicuius potestatis (aliquid positivi) [72].

210. 3) Tertia quaestio, de qua adhuc potest disputari est, unde presbyteri schismatici accipiant facultatem confirmandi. Haec autem quaestio solum urget, si supponitur, aut ex voluntate Christi neminem posse hanc facultatem concedere, nisi dependenter a Summo Pontifice, aut saltem Summum Pontificem sibi reservasse hanc facultatem omnibus temporibus et relate ad omnes presbyteros. His enim suppositis videtur oriri difficultas quoad presbyteros schismaticos, cum ipsi videantur accipere hanc facultatem ab episcopis. Sed attendendum est, praxim confirmandi per presbyteros non incepisse apud Graecos post separationem ab ecclesia catholica, sed exsistebat iam, quando erant adhuc uniti cum Roma. Pontifices autem Romanos plane ignorasse illis temporibus praxim Graecorum in conferendo baptismo et confirmatione, historice absolute impossibile videtur. Si ergo hanc praxim non improbaverunt, dicendi sunt tacite saltem eam approbasse (vide Benedict. XIV supra nr. 196). Et sic illa praxis non esset independens a Summo Pontifice.

---

[72] Cf. similem quaestionem *De Sacramento Ordinis* nr. 143-146.

INDEX

	pag.
S. Scriptura de Spiritu sancto fidelibus conferendo . . .	6
Conspectus historicus de ritu quo baptizatis confertur Spiritus sanctus: in ecclesia latina	9
in ecclesia orientali	25
Thesis: Baptizatis confirmatione confertur Spiritus sanctus ad robur, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen	39
Thesis: Confirmatio est verum novae legis sacramentum . .	42
Thesis: Confirmatio nunc conferri debet unctione chrismatis pollice dextero in fronte facta, imposita manu dextera super caput confirmandi, et per verba in pontificalibus libris ab ecclesia probatis praescripta . .	50
Sententiae theologorum de ritu essentiali sacramenti confirmationis	50
Solutio quaestionis	76
Prima manus impositio non requiritur	78
Sola chrismatio nunc est ritus necessarius	81
Num aliqua manus impositio requiratur	82
Quomodo Christus hoc sacramentum instituerit	85
De materia sacramenti confirmationis	87
De forma	95
De ministro	99

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

H. LENNERZ S. I.

De sacramento ordinis

AD USUM AUDITORUM

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
1947

INDEX

pag.

PRIMA PARS 4

Didache (6); Clemens Romanus (7); Ignatius (8); Polycarpus (9); Pastor Hermae (10); Iustinus (11); Irenaeus (12); Tertullianus (13); Hippolytus (14-17; Canones Hippolyti); Clemens Alexandrinus (18); Origenes (19); Didascalia (20); Cornelius (21); Cyprianus (22-30); De rebaptismate (31); Dionysius Alexandrinus (32); Concil. Eliberitanum (33); Constantinus Magnus (34); conc. Arelatense (35); conc. ancyranum (36); conc. neo-caesareense (37); conc. nicaenum (38); Eusebius Caesareensis (39); conc. antiochenum (40); conc. sardicense (41); conc. laodicense (42); epitaphium Liberii (43); Athanasius (44); Cyrillus Hieros. (45); Epiphanius (46); Basilius (47); Gregorius Nazianzenus (48); Gregorius Nyssenus (49); Chrysostomus (50); Optatus Milevitanus (51); Faustinus et Marcell.; Siricius (52); conc. carthag. III (53); Constitutiones Apostolorum (54-66); Canones Apostolorum (67); Quomodo Christus singulos gradus executus sit (68); conc. toletanum I (69); Ambrosius (70); Ambrosiaster (71); Hieronymus (72-75); Augustinus (76-78); Innocentius I (79); Zosimus (80); Ps-Hieronymus (81); Theodorus Mops. (82); Socrates (83); conc. arausicanum I; conc. chalcedonense (84); Theodoretus (85); Leo I (86); Gelasius (87); Testamentum D. N. Iesu Christi (88); Ps-Dionysius (89); Statuta ecclesiae antiqua (90); Ioannes diaconus (91); conc. 275 episcoporum (92); Gaius (93); Silvester (94); conc. agathense (95); conc. toletanum (96); Iustinianus (97); Pelagius (98); Gregorius Magnus (99); ex praxi ecclesiae Romanae (100); Isidorus (101-111); Ordo Romanus IX (112); Ordo Romanus VIII (113); Sacramentaria (114); Rabanus Maurus (115); Amalarius (116-119); Yvo Carnotensis (120-121); Pontificale Rom. Germanicum (122); Pontificale Romanum saec. 12 (123-127); Pontificale Curiae Rom. s. 13 (128-129); Pontificale Durandi (130-134); Conclusio (135).

SECUNDA PARS 78

De exsistentia et numero ordinum 78

De differentia inter sacerdotes primi et secundi ordinis, (nr. 141-149) eiusque origine (nr. 150-167) 81

THESIS: Exsistit in ecclesia praeter sacerdotium commune christianorum sacerdotium visibile et externum, a Do-

pag.

mino Salvatore nostro institutum, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestas tradita est consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et retinendi (conc. trid. sess. 23 cap. 1) 99

THESIS: Sacerdotium Novae Legis sacramento confertur . 103

THESIS: Ordo diaconatus sacramento confertur 114

THESIS: Subdiaconatus et ordines minores non conferuntur sacramento 117

THESIS: Sola impositio manuum cum invocatione Spiritus sancti est ritus essentialis ordinationis sacramentalis . 130

De effectu sacramenti ordinis 143

De subiecto sacramenti ordinis 143

De ministro sacramenti ordinis 144

DE SACRAMENTO ORDINIS

1. Christus Dominus dilectae sponsae suae, ecclesiae, reliquit visibile sacrificium. « Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, se ipsum ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit » (Conc. trid. sess. 22 cap. 1. Denz. 938). « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit: fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae Litterae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit » (Conc. trid. sess. 23 cap. 1. Denz. 957).

2. In ultima coena verbis « Hoc facite in meam commemorationem » Christus apostolos instituit sacerdotes et ordinavit, ut ipsi et alii sacerdotes corpus et sanguinem suum offerrent (Conc. trid. sess. 22 cap. 1 et can. 2. Denz. 938; 949). Cum autem a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum

retinueritis, retenta sunt, communicavit apostolis et eorum legitimis successoribus potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos (Conc. trid. sess. 14 cap. 1. Denz. 894).

3. In s. Scriptura Novi Testamenti vero apostoli et illi, quibus sacerdotium Novae Legis collatum est, numquam vocantur sacerdotes. Hoc termino designantur sacerdotes veteris legis. Sacerdos, et Summus sacerdos Novae legis est ipse Christus Dominus. Qui nunc vocari solent sacerdotes in s. Scriptura N. T. sunt episcopi et presbyteri. Christiani vero vocantur « sacerdotium sanctum » (1 *Petr* 2, 5. 9), « sacerdotes Deo » (*Apoc* 1, 6). S. Augustinus, *De civitate Dei*, 20, 10: « Erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis: non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie iam vocantur in ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus (1 *Petr.* 2, 9) plebs inquit sancta, regale sacerdotium » (ML 41, 676). Sed etiam post breve tempus nomen sacerdotis episcopis et presbyteris tribuitur; initio quidem maxime episcopi ita designantur (sed non exclusive), et paulatim distinguuntur sacerdotes primi ordinis (episcopi) et sacerdotes secundi ordinis (presbyteri). Hodie in communi loquendi modo quasi synonyma habentur presbyter et sacerdos; episcopi iam non solent vocari simpliciter sacerdotes.

4. Sacerdotium Novae Legis confertur ritu sacramentali. Ad serviendum vero sacerdotio plures sunt ministrorum ordines, de quibus conc. trid. sess. 23 cap. 2: « Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiore cum veneratione exerceri possit, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae Litterae apertam mentionem faciunt, et, quae maxime in illorum ordi-

natione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus » (Denz. 958).

5. De his ordinibus in hoc tractatu agendum est. Sed notandum est, ea solum respici, quae sunt «dogmatica»; excluduntur ergo quaestiones disciplinares et obligationes, quae sunt extra officium ipsius ordinis ut talis (e. gr. obligatio ad horas canonicas, caelibatus).

Cum autem multae quaestiones de ordine adhuc controversae sint, necessarium videbatur, in prima parte solum afferre testimonia, quibus appareat, qui ordines in variis temporibus et locis exstiterint, quaenam fuerint eorum officia, quomodo singuli ordines collati sint. His praemissis, in secunda parte facilius et brevius proponi possunt theses, quibus ostenditur, quid tenendum videatur.

PRIMA PARS

6. Didache (ca. 90), cap. 15: « Eligite (constituite) igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos; vobis enim ministri sunt et ipsi ministerium prophetarum et doctorum. Ne igitur cotemnatis eos; ipsi enim sunt honorati inter vos cum prophetis et doctoribus » (Funk I, 33 s.). Cap. 13, 3 prophetae illius temporis vocantur « sacerdotes » (Funk I, 32).

7. Clemens Romanus (ca. 96), *ep. ad Corinthios* 42, 4: « Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes (apostoli) primitias earum cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est. Sic enim alicubi dicit Scriptura: Constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide (cf. *Is* 60, 17) » (Funk I, 153). 44: « Apostoli quoque nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram. Ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete, nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos iudicamus munere suo non iuste deici. Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt, episcopatu eicimus. Beati presbyteri viam prius emensi, qui fructuosam perfectamque dissolutionem consecuti sunt; non enim verentur, ne quis eos tranferat de loco ipsis constituto. Videmus enim vos nonnullos ho-

neste viventes ab officio, quo inculpate honorati erant, removisse » (Funk I, 155 s.). 40, 5: « Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur » (Funk I, 151). De presbyteris vide adhuc 47, 6; 54, 2; 57, 1 (Funk I, 161; 169; 173).

8. Ignatius († 107). *Ad Magnesios* 2: « Cum itaque dignus sim habitus, ut videam vos per Damasum episcopum vestrum Deo dignum, et per dignos presbyteros Bassum et Apollonium et per conservum meum Zotionem diaconum, quo utinam fruar, quia subditus est episcopo et benignitati Dei et presbytero ut legi Iesu Christi » (Funk I, 233). Secundum 3, 1 Damasus est iuvenili condicione. 6, 1: « ... hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit » (Funk I, 235). Cf. 13, 1. *Ad Trallianos* 2: « Cum enim episcopo subiecti sitis ut Christo Iesu, videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Iesum Christum vivere ... Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis ut apostolis Iesu Christi ... Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed ecclesiae Dei ministri. Oportet igitur ut sibi caveant a criminibus tamquam ab igne. (3) Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. Sine his ecclesia non vocatur » (Funk I, 243 s.). 7, 2: « Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra altare est non est mundus; hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia » (Funk I, 247 s.). *Ad Philadelphenses* 10: « Cum mihi nuntiatum sit ... ecclesiam Antiochenam in Syria pacem obtinuisse, decet vos ut Dei ecclesiam, eligere diaconum, qui obeat ibi legationem Dei, qui cum illis in unum congregatis simul gaudeat et glorificet nomen. Beatus ille

in Iesu Christo, qui dignus habitus fuerit eiusmodi ministerio, et vos quoque glorificabimini. Volentibus autem vobis hoc non est impossibile pro nomine Dei, ut et quaedam proximae ecclesiae miserint episcopos, aliae presbyteros et diaconos » (Funk I, 273). *Ad Smyrnaeos* 8: « Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri, et presbyterio ut apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur vel sub eo cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus, ibi catholica est ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare » (Funk I, 183).

9. Polycarpus († 156), *epist ad Philippenses,* Inscr. « Polycarpus et qui cum eo presbyteri ecclesiae Dei, quae peregrinatur Philippi ». 5: « Similiter diaconi in conspectu iustitiae eius inculpati esse debent, sicut ministri Dei et Christi, non hominum; ne calumniatores sint ... » (Funk I, 301). (3): « Simili modo et iuvenes in omnibus inculpabiles sint ... Quare oportet ab his omnibus abstinere, subici autem presbyteris et diaconis tamquam Deo et Christo; virgines vero oportet in immaculata et casta conscientia degere. (6, 1). Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes, visitantes infirmos ... non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati » (Funk I, 303).

10. Pastor Hermae (ca 150), *Visio* III, 5: « Audi nunc de lapidibus, qui vadunt in aedificationem. Lapides igitur quadrati et albi et congruentes commissuris suis, hi sunt apostoli et episcopi et doctores et diaconi, qui ambulaverunt in sanctitate Dei, et episcopatum gesserunt, et docuerunt et ministraverunt caste et sancte electis Dei, alii dormientes, alii adhuc viventes, et semper inter se consenserunt et inter sese pacem habuerunt et alter alterum audierunt; propterea in aedificatione turris conveniunt commissurae eorum » (Funk I, 441 s.). *Similitudo* IX, 26 sermo est de diaconis,

« qui male ministraverunt et substantiam viduarum et orphanorum diripuerunt, et sibimet ipsis lucrum fecerunt ex ministerio, quod acceperunt ministrare » (Funk I, 621 s.).

11. Iustinus, *Apologia* I (ca 155), 65: « Deinde ei qui fratribus praeest panis affertur et poculum aquae et vini; quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit et eucharistiam pro his ab illo acceptis donis prolixe exsequitur ... Postquam vero is qui praeest preces absolvit et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt » (MG 6, 427). 67: « Ac solis, út dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector (non substantivum, sed participium: qui legit) desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. ... Et eorum in quibus gratiae actae sunt, distributio fit et communicatio uniuscuiusque praesentium, et absentibus per diaconos mittitur » (MG 6, 430).

12. Irenaeus, *epist. ad Victorem Romanum* (ca 190), (Euseb. Hist. eccl. 5, 24, 14 s.) eos qui ante Soterem gubernaverunt Romanam ecclesiam vocat presbyteros (MG 20, 506). *Contra haereses* 3, 3, 1: « et habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos » (MG 7, 848; cf. 849). 4, 26, 2: « Quapropter iis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt » (MG 7, 1053 s.).

13. Tertullianus, *De baptismo* (200-206) 17: « Dandi quidem (scl. baptisma) habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; deinde presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam

laicis ius est. Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. Nisi episcopi iam aut presbyteri aut diaconi, vocantur discentes ... Sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, cum ea maioribus competant, ne sibi adsumant dicatum episcopis officium. Episcopatus aemulatio schismatum mater est» (CV 20, 214 s.). *De praescr. haeret.* (ca 200) 41: «Ipsae mulieres haereticae quam procaces, quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere. Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc saeculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus; nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt» (ML 2, 56. Dicitur hic primus esse textus, in quo de «lectore» sermo sit).

14. Hippolytus, *Traditio apostolica* (218-220): «Episcopus [1] ordinetur electus ab omni populo; quique cum nominatus fuerit et placuerit omnibus, conveniet populum una cum presbyterio et his, qui praesentes fuerint episcopi, die dominica. Consentientibus omnibus imponant super eum manus et presbyterium adstet quiescens. Omnes autem silentium habeant orantes in corde propter descensionem spiritus; ex quibus unus de praesentibus episcopis ab omnibus rogatus imponens manus ei, qui ordinatur episcopus, oret ita dicens: Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in excelsis habitas et humilia respicis, qui cognoscis omnia, antequam nascantur, tu, qui dedisti terminos in ecclesia per verbum gratiae tuae, praedestinans ex principio genus iustorum Abraham, principes et sacerdotes constituens et sanctum tuum sine ministerio non derelinquens, ex initio saeculi tibi bene complacuit in his, quos elegisti, praedicari: nunc effunde eam virtutem, quae a te est, principalis spi-

[1] Textus secundum E. Hauler, *Didascalia apostolorum. Fragmenta Veronensia Latina* ... Lipsiae 1900.

ritus, quem dedisti dilecto filio tuo Iesu Christo quod donavit sanctis apostolis, qui constituerunt ecclesiam per singula loca, sanctificationem tuam, in gloriam et laudem indeficientem nomini tuo. Da, cordis cognitor pater, super hunc servum tuum, quem elegisti ad episcopatum, pascere gregem sanctam tuam et primatum sacerdotii tibi exhibere, sine reprehensione servientem noctu ac die, incessanter repropitiari vultum tuum et offerre dona sanctae ecclesiae tuae, spiritu primatus sacerdotii habere potestatem dimittere peccatum secundum mandatum tuum, dare sortes secundum praeceptum tuum (id est: in clerum recipere), solvere etiam omnem colligationem secundum potestatem, quam dedisti apostolis, placere autem tibi in mansuetudine et mundo corde, offerentem tibi odorem suavitatis per puerum tuum Iesum Christum, per quem tibi gloria et potentia et honor, Patri et Filio cum Spiritu Sancto, et nunc et in saecula saeculorum. Amen » (pag. 103 ss.). Sequitur celebratio missae.

15. « Cum autem presbyter ordinatur, imponat manum super caput eius episcopus contingentibus etiam presbyteris et dicat secundum ea quae praedicta sunt, sicut praediximus super episcopum, orans et dicens: Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, respice super servum tuum istum et impartire spiritum gratiae et consilii, presbyteris ut adiuvet et gubernet plebem tuam in corde mundo sicuti respexisiti super populum electionis tuae et praecepisti Moysi, ut elegeret presbyteros, quos replesti de spiritu tuo, quod (i. e. quem) tu donasti famulo tuo; et nunc Domine praesta indeficienter conservari in nobis spiritum gratiae tuae et dignos effice, ut credentes tibi ministremus in simplicitate cordis laudantes te, per puerum tuum Christum Iesum, per quem tibi gloria et virtus Patri et Filio cum Spiritu sancto, in sancta ecclesia et nunc et in saecula saeculorum. Amen » (pag. 108 s.).

16. « Diaconus vero cum ordinatur, eligatur secundum ea, quae praedicta sunt, similiter imponens manus episcopus solus, sicut et praecepimus. In diacono ordinando solus episcopus imponat manus propterea, quia non in sacerdotio ordinatur, sed in ministerio

episcopi, ut faciat ea, quae ab ipso iubentur; non est enim particeps consilii in clero, sed curas agens et indicans episcopo, quae oportet; non accipiens communem presbyteri spiritum eum, cuius participes presbyteri sunt, sed id quod sub potestate episcopi est creditum. Qua de re episcopus solus diaconum faciat, super presbyterum autem etiam presbyteri superimponant manus propter communem et similem cleri spiritum. Presbyter enim huius solius habet potestatem, ut accipiat; dare autem non habet potestatem. Quapropter clerum non ordinat; super presbyteri vero ordinatione consignat episcopo ordinante. Super diaconum autem ita dicat: Deus qui omnia creasti et verbo perordinasti, Pater Domini nostri Iesu Christi, quem misisti ministrare tuam voluntatem et manifestare nobis tuum desiderium, da spiritum sanctum gratiae et sollicitudinis et industriae in hunc servum tuum, quem elegisti ministrare ecclesiae tuae et offerre » (pag. 109 s.). Hic cessat versio latina; in versione aethiopica sequitur: « quae tibi (Deo) offeruntur per summum sacerdotem ». Et additur, post hoc ministerium bene peractum posse eum recipere sacerdotium.

17. (Sequentia referuntur secundum versionem copticam et arabicam)[2]. Confessori, qui poenas perpessus est, non imponuntur manus; nam confessione sua honorem presbyterii acquisivit; ut autem sit episcopus, imponenda ei est manus. Confessor vero qui in iudicio non est condemnatus, impositione manus presbyter ordinandus est.

Vidua ordinatur sola nominatione; non consignatur, non imponitur manus, quia non offert neque ministerium sacrum exercet.

Lectori, cum ordinatur, episcopus tradat scripturam; non imponat manus.

Virgini non imponitur manus; nam corde solo facta est virgo.

Subdiacono non imponitur manus, sed nominatur, ut ministret diaconis[3].

---

[2] E. Jungklaus, *Die Gemeinde Hippolyts*. TU 46, 2. Leipzig 1928. 129 s.

[3] Si textus est genuinus, ut Jungklaus pag. 65-67 defendit, hic primo occurrit « Subdiaconus ».

Ei qui dicit se accepisse donum sanationum et prophetiae, non imponatur manus, donec facto probavit se esse fide dignum (exorcista).

Notari potest ordo diversus, quo gradus post diaconatum in diversis versionibus occurrunt. In versionibus aethiopica et arabica: confessor, vidua, lector, virgo, subdiaconus, exorcista; in versione coptica: confessor, lector, subdiaconus, vidua, virgo, exorcista. De ostiario et acolytho nihil.

Canones Hippolyti (ca. 500) fere eadem habent. Textus apud H. Achelis, *Die ältesten Quellen des orientalischen Kirchenrechtes.* Erstes Buch. *Die Canones Hippolyti.* T U VI, 4. Leipzig 1891 pag. 39 ss.

18. Clemens Alexandrinus, *Paedagogus* (ca. 200) lib. 3 c. 12, 97: « Plurima autem alia praecepta, quae ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt: haec quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis, alia autem viduis, de quibus fuerit aliud dicendi tempus » (MG 8, 676). *Stromata* (post 202), 6, 13, 107, 2: « Hic quoque in ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriae angelicae et illius oeconomiae ac dispensationis, quam dicunt scripturae exspectare illos, qui insistentes vestigiis apostolorum, vixerunt in perfectione iustitiae convenienter evangelio » (MG 9, 328). *Quis dives salvetur?* 42, 2: « Cum Ioannes post tyranni obitum e Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatus visebat, partim quidem ut episcopos constitueret, partim vero ut integras ecclesias disponeret ac formaret, partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret » (MG 9, 648).

19. Origenes († 254/255). *De oratione* 23: « Sic itaque apostoli, et qui similes apostolis sunt sacerdotes iuxta magnum pontificem, disciplina divini cultus instructi et a Spiritu edocti, sciunt pro quibus peccatis, et quando et quomodo offerre sacrificium oporteat, et pro quibus non oporteat, etiam norunt » (MG 11, 524). 28,4: « Est aliquod debitum viduae, cuius ecclesia curam gerit, item aliud

diaconi, aliud presbyteri; episcopi denique debitum gravissimum est, repetitur a totius ecclesiae salvatore et iudicio vindicatur, ni reddatur » (MG 11, 524).

20. Didascalia (ante 250) II, 26, 3: « Isti (episcopi) enim primi sacerdotes vestri; qui tunc (in V. T.) erant sacerdotes et levitae, modo sunt diaconi, presbyteri, viduae et orphani ... (4) Primus vero sacerdos vobis est levita episcopus ... hic loco Dei regnans sicuti Deus honoretur a vobis. (5) Diaconus autem in typum Christi adstat; ergo diligatur a vobis. (6) Diaconissa vere in typum sancti Spiritus honoretur a vobis. Presbyteri etiam in typum apostolorum spectentur a vobis. Viduae et orphani in typum altaris putentur autem a vobis » (Funk I, 102 ss.). II, 28 nominantur sacerdos (episcopus), presbyterae, diaconi, presbyteri, lector (Funk, I, 108). II, 34, 3: « Episcopus de populo accipiens ibi quoscumque loci dignos esse exsistimaverit, presbyteros constituat et consiliarios sibi et contractatores, diaconos et subdiaconos intra domum ministrare eis » (Funk I, 116). II, 44 de officio diaconi: « Studete igitur, episcopi cum diaconis, rectissime ad Dominum ... Unanimes igitur estote, episcopi et diaconi, et cum diligentia pascite populum unanimiter, qui vos ambo unum corpus esse debetis, pater et filius, quia secundum imaginem Domini estis. Et omnia diaconus ad episcopum referat, sicut Christus ad Patrem; quaecumque autem potest ordinat, cetera vero episcopus iudicet. Attamen diaconus sit episcopi auris et os et cor et anima, quoniam si vos ambo unanimes estis, per concordiam vestram etiam in ecclesia pax est » (Funk I, 138). II, 57: « In medio inter eos (scl. presbyteros), situm sit episcopi solium, et cum eo sedeant presbyteri ... Diaconorum autem unus semper adstet oblationibus eucharistiae, et alter foras stet ad portam spectans introeuntes, et postea, cum vos offeretis, simul ministrent in ecclesia. Et si quis inventus fuerit non suo loco sedens, increpet eum diaconus, qui intus est, faciatque eum surgere ac sedere in loco ipsi convenienti ... Et diaconus provideat ut unusquisque intrantium in suum locum se conferat nec quisquam ex eis in loco non convenienti sedeat. Similiter diaconus provideat, ne quisquam susurret vel dormitet, vel rideat vel nutet » (Funk I, 160 ss.).

III, 13: « Oportet ergo vos, diaconi, visitare omnes qui egent. Et de his qui tribulantur, renuntiate episcopo; et debetis anima eius esse et mens, ad omnia excussiores et obedientes ei » (Funk I, 216).

21. Cornelius papa (251-253), *epist. ad Fabianum* (apud Euseb. Hist. eccl. 6, 43): « Ergo ille evangelii vindex (Novatus) ignorabat unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica. In qua tamen sciebat, quomodo enim illud nescire potuisset, presbyteros quidem sex et quadraginta; septem autem diaconos totidemque subdiaconos; acolythos duos et quadraginta; exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos; viduas denique cum infirmis et egentibus plus quam mille et quingentas. Quibus universis gratia et benignitas Dei alimenta suppeditat ... » (Denz. 45; MG 20, 622).

22. Cyprianus († 258). Praeter episcopum, presbyterum, diaconum, occurrunt lector, exorcista, subdiaconus (hypodiaconus) acolythus. *Epist.* 3, 3: « Meminisse autem diaconi debent, quoniam apostolos, id est episcopos et praepositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in coelos, apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et ecclesiae ministros » (CV 3, 471). *Epist.* 67, 4: « Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente ab omnium oculis eligatur et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur ... Nec hoc in episcoporum tantum et sacerdotum, sed et in diaconorum ordinationibus observasse apostolos animadvertimus de quo et ipso in actis eorum scriptum est (Act 6, 2) ... Quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obrepperet ... (5) Propter quod, diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit. Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de

universae fraternitatis suffragio et de episcoporum qui in praesentia convenerant quique de eo ad vos litteras fecerant iudicio episcopatus ei deferretur et manus ei in locum Basilidis imponeretur » (CV 3, 738 s.).

23. *Epist.* 28: « Et quoniam oportuit me per clericos scribere, scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos vero qui illic sunt, vix ad ministerium cotidianum operis sufficere, necesse fuit novos aliquos constituere qui mitterentur. Fecisse me autem sciatis lectorem Saturum, et hypodiaconum Optatum confessorem, quos iam pridem communi consilio clero proximos feceramus, quando aut Saturo die Paschae semel atque iterum lectionem dedimus, aut modo cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorum audientium constituimus, examinantes an congruerent illis omnia, quae esse deberent in his, qui ad clerum parabantur » (CV 3, 547 s.).

24. *Epistula* 38: « In ordinationibus clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed exspectanda non sunt testimonia humana cum praecedunt divina suffragia », id quod obtinet in Aurelio adulescente, qui probatus est a Deo in confessione. «Merebatur talis clericae ordinationis ulteriores gradus et incrementa maiora, non de annis suis, sed de meritis aestimandus. Sed interim placuit, ut ab officio lectoris incipiat, quia et nihil magis congruit voci, quae Deum gloriosa praedicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare, post verba sublimia, quae Christi martyrium prolocuta sunt, evangelium Christi legere, unde martyres fiunt, ad pulpitum post catastam venire, illic fuisse conspicuum gentilium multitudini, hic a fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis qui praesentes aderant, ordinatum sciatis. Quod vos scio et liben'er amplecti et optare tales in ecclesia nostra quam plurimos ordinari » (CV 3, 579 ss.).

25. *Epist.* 39: « Agnoscenda et amplectenda sunt, fratres dilectissimi, beneficia divina, quibus ecclesiam suam Dominus illustrare temporibus nostris et honestare dignatus est, commeatum dando bonis confessoribus suis et martyribus gloriosis, ut qui sublimiter Christum confessi essent, clerum postmodum Christi ministeriis ecclesiasticis adornarent. Exultate itaque et gaudete nobiscum lectis litteris nostris, quibus ego et collegae mei, qui praesentes aderant, referimus ad vos, Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter et moribus gloriosum, clero nostro non humana suffragatione sed divina dignatione coniunctum. Qui cum consentire dubitaret, ecclesiae ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est ne negaret. Nobis suadentibus, cui plus licuit et coegit, quia nec fas fuerat nec debuerat sine honore ecclesiastico esse, quem sic Dominus honoravit caelestis gloriae dignitate ». (4) « Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio et miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat illustrem, quid aliud quam super pulpitum, id est super tribunal ecclesiae oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus et plebi universae pro honoris sui claritate conspicuus, legat praecepta et evangelium Domini, quae fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in his quotidie quae Dominus locutus est audiatur. Viderit an sit ulterior gradus ad quam profici in ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quam ut dum evangelica lectio de ore eius audiatur, lectoris fidem quisque audierit, imitatur. Iungendus in lectione Aurelio fuerat ... Hos tamen lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat et gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni circumstante conspecti incitamentum gloriae videntibus praebeant. Ceterum presbyterii honorem designasse nos illis iam sciatis, ut et sportulis idem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas aequatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum provectis et corroboratis annis suis, quamvis in nullo minor possit videri aetatis indole, qui consummavit aetatem gloriae dignitate » (CV 3, 583 ss.).

26. *Epist.* 55: «Nam quod Cornelium (episc. Rom.) carissimum nostrum Deo et Christo et ecclesiae eius, item et consacerdotibus cunctis laudabili praedicatione commendat, non iste ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus et in divinis administrationibus Dominum saepe promeritus ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit... Et factus est episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas et laudabiles et testimonio suae praedicationis illustres de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum paene omnium testimonio, de plebis quae tunc adfuit suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret» (CV 3, 629).

27. *Epist.* 5, 2: «Nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores bonos, quos illustravit iam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc est et non glomeratim nec per multitudinem semel simul iunctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso invidia concitetur et introeundi aditus denegetur, et dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo et providete, ut cum temperamento fieri hoc tutius possit, ita ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, quia et mutatio personarum et vicissitudo convenientium minuit invidiam» (CV 3, 478).

28. *Epist.* 15: «Et credideram quidem presbyteros et diaconos, qui illic praesentes sunt, monere vos et instruere planissime circa Evangelii legem, sicut in praeteritis semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et scripturarum praeceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri, ut ea quae a vobis ipsis et circa Deum caute et circa sacerdotem Dei honori-

fice fiunt, a quibusdam presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes, cum vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra et quibusdam lapsis pacem dare postulatis, cum persecutione finita convenire in unum cum clero et recolligi coeperimus, illic contra evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam poenitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam, offerre pro illis eucharistiam (dare) id est sanctum Domini corpus profanare audeant ... » (CV 3, 513).

29. *Epist.* 18: « Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse et iam aestatem coepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt » (CV 3, 523). *De lapsis* 25: Ex iis quae ibi narrantur patet: « sollemnibus expletis diaconus praesentibus calicem offert » (CV 3, 255). *Epist.* 52: Scribit Cornelio se ex eius epistula (epist. 50. CV 3, 613) cognovisse « Nicostratum quoque diaconio sanctae administrationis amisso, ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis et viduarum ac pupillorum depositis denegatis non tam in Africam venire voluisse, quam conscientia rapinarum et criminum nefandorum illinc ab urbe fugisse » (CV 3, 617).

30. *Epist.* 23. Confessores scribunt Cypriano; in fine epistulae; « Praesente de clero et exorcista et lectore Lucianus scripsit » (CV 3, 536). *Epist.* 69, 15: « Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus » (CV 3, 764). Subdiaconi et acolythi saepe quidem

in epistulis, tum Cypriani tum Cornelii nominantur; de eorum officio vero vix aliud indicatur, quam quod per eos epistulae mittuntur.

31. De rebaptismate (ca 256), 10 refertur in casu necessitatis baptismum traditum esse « a minore clero » (CV 3, 382).

32. Dionysius Alexandrinus († ca 264), *epist ad fratres* (apud Euseb. Hist. eccl. 7, 22, 8): « Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus apud nos degentibus e vita migrarunt (servientes aegrotis tempore pestilentiae) tam presbyteri nonnulli, quam diaconi atque etiam laici (ex plebe) qui valde laudantur, quod hoc quoque mortis genus ob pietatem et fidei constantiam martyrio non deterius esse videtur » (MG 20, 690).

33. Concilium Eliberitanum (ca 300). *Can.* 30: « Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint moechati, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum promoveantur: vel si qui sunt in praeteritum ordinati, amoveantur » (Msi 2, 10). *Can.* 32: « Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud episcopum; cogente tamen infirmitate necesse est presbyterum communionem praestare debere, et diaconem, si ei iusserit sacerdos » (Msi 2, 11).

34. Constantinus Magnus († 337), Anulino: « Quocirca eos homines qui intra provinciam tibi creditam in ecclesia catholica, cui Caecilianus praeest, huic sanctissimae religioni ministrant, quos clericos vocare consueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo aut casu sacrilego a cultu summae divinitati debito abstrahantur; sed ut potius absque ulla inquietudine propriae legi deserviant» (MG 20, 894).

35. Concilium Arelatense (314). *Can.* 2: «De his qui in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseve-

rent » (Msi 2, 471). *Can.* 15: « De diaconibus quos cognovimus multis locis offerre placuit minime fieri debere » (Msi 2, 473). *Can.* 18: « De diaconibus urbicis, ut non sibi tantum praesumant, sed honorem presbyteris servent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant » (Msi 2, 473). *Can.* 19: « De episcopis, peregrinis, qui in urbem solent venire, placuit iis locum dare, ut offerant » (Msi 2, 473). *Can.* 20: « De his qui usurpant sibi, quod soli debeant episcopi ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi praesumat nisi assumptis secum aliis septem episcopis. Si tamen non potuerit, infra tres non audeat ordinare » (Msi 2, 473).

36. Concilium Ancyranum (314). *Can.* 13: « Chorepiscopos non licere presbyteros vel diaconos ordinare, sed neque urbis presbyteris, nisi cum litteris ab episcopo permissum fuerit, in aliena parochia » (Msi 2, 518). *Can.* 18: « Si qui constituti episcopi, et ab illa parochia, in quam nominati fuerunt, non suscepti, alias velint parochias invadere, et iis qui constituti sunt, vim afferre et seditiones adversus illos excitare, eos segregari. Sin autem velint in presbyterio residere, in quo prius erant presbyteri, ipsos honore non moveri. Quod si adversus eos qui illic constituti sunt episcopos seditiones excitaverint, honorem quoque presbyterii ab eis auferri, et illos abdicatos effici » (Msi 2, 519).

37. Concilium Neocaesareense (inter 314 et 325). *Can.* 11: « Praesbyter ante triginta annos non ordinetur, etiam si fuerit homo valde dignus, sed reservetur. Dominus enim Iesus Christus in trigesimo anno baptizatus est et coepit docere». *Can.* 13: « Vicani autem presbyteri non possunt in dominio urbis offerre praesente episcopo vel urbis presbyteris; neque panem dare precationis, neque calicem. Sin autem absint, et solus ad precationem vocatus fuerit, dat » (Msi 2, 541). *Can.* 14: « Chorepiscopi autem sunt quidem in figura septuaginta; ut autem comministri, propter studium in pauperes, offerunt honorati » (Msi 2, 541 s.). *Can.* 15: « Diaconi septem esse debent ex canone, etiam si sit magna civitas. Eius autem rei fidem faciet liber actuum » (Msi 2, 544).

38. Conc. Nicaenum (325). *Can.* 2: « Quoniam multa vel necessitate vel urgentibus alioquin hominibus praeter canonem ecclesiasticum facta sunt, ut homines qui ex vita gentili ad fidem nuper accesserunt, et exiguo tempore catechumeni statim ad lavacrum spirituale deducunt, et simul ac baptizati fuerint ad episcopatum vel presbyteratum provehant, recte habere visum est, ut deinceps tale nihil fiat ... » (Msi 2, 667). *Can.* 4 statuitur episcopum ordinari debere ab omnibus episcopis provinciae; si hoc non possibile, saltem a tribus (Msi 2, 670). *Can.* 18: « Pervenit ad sanctam et magnam synodum, quod in quibusdam locis et civitatibus diaconi dant presbyteris eucharistiam, quod nec canon nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent iis qui offerunt dent corpus Christi. Iam vero illud etiam cognitum est quod iam quidam ex diaconis etiam ante episcopum eucharistiam attingunt. Haec ergo omnia auferantur et diaconi intra suas mensuras permaneant, scientes quod sunt quidem episcopi ministri, presbyteris vero minores. Accipiant ergo suo ordine eucharistiam post presbyteros, eis praebente episcopo vel presbytero. Sed nec in medio quidem presbyterorum liceat diaconis sedere. Id fit enim praeter canonem et ordinem. Si quis autem non vult obedire post has constitutiones, a diaconatu desistat» (Msi 2, 675). *Can.* 19: « De paulianistis qui deinde ad ecclesiam catholicam confugerunt, statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore praeterito in clericorum numero erant, siquidem a culpa et reprehensione alieni visi fuerint, rebaptizati ordinentur a catholicae ecclesiae episcopo. Si vero examinatio eos non esse aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem et de diaconissis et omnino de omnibus qui inter clericos annumerantur, eadem forma servabitur. Diaconissarum antem meminimus, quae in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem ut omnino inter laicas ipsae connumerentur » (Msi 2, 675 s.).

39. Eusebius caesareensis († ca 340). *Hist eccl.* 6, 29 de electione Fabiani in Romanum Pontificem (236): « Hunc Fabianum post Anterotis mortem una cum aliis familiaribus suis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem, opitulante Dei gratia,

praeter omnium exspectationem ad pontificatus sortem pervenisse. Nam cum fratres omnes novi episcopi constituendi causa essent congregati, ac plerique iam illustres aliquot et nobiles viros eligendos esse conicerent, de Fabiano quidem, qui tum praesens aderat, nemo ne tantisper quidem cogitabat; columbam tamen repente e sublimi delapsam capiti illius insedisse narrant, quae Spiritus sancti, qui olim sub columbae specie in Servatorem descenderat, imaginem referre videbatur. Quo spectaculo permotus populus a divino Spiritu incitatus, summa alacritate uno consensu simul omnis exclamare coepit dignum esse, statimque comprehensum sacerdotali cathedrae imposuit» (MG 20, 587). 8, 6: «Earum vero rerum, (in persecutione Diocletiani) quae postea factae sunt, spectaculum omnem prorsus dicendi copiam superabat; quippe cum innumerabilis ubique hominum multitudo custodiae manciparetur, et carceres, olim homicidis et sepulcrorum expilatoribus deputati, tum episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus atque exorcistis complerentur, adeo ut iis, qui ob crimina condemnati fuerant, nullus iam locus superesset» (MG 20, 754 s.).

40. Concilium Antiochenum (341). *Can.* 10: «Ii, qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi, etiamsi episcopi ordinationem manuumve impositionem acceperint, visum est sanctae synodo, ut suum modum sciant, et sibi subiectas ecclesias administrent, earumque cura et sollicitudine gerenda contenti sint: constituant autem lectores, hypodiaconos et exorcistas, et eorum promotionem sufficere existiment, nec presbyterum nec diaconum ordinare audeant absque urbis episcopo, cui subiicitur ipse et regio. Si quis autem ea quae definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore quem habet. Fiat autem chorepiscopus ab episcopo civitatis, cui subiicitur» (Msi 2, 1311).

41. Concilium Sardicense (343). *Can.* 6: «... Non licere autem simpliciter episcopum constituere in aliquo pago vel parva urbe, cui vel unus presbyter sufficit: non necesse est enim illic episcopum constitui, ne episcopi nomen et auctoritas vilipendatur. Sed provinciae, ut prius dixi (scl. Hosius), episcopi debent in iis urbibus

episcopos constituere, ubi etiam prius episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua ,quae adeo populosa evadat, ut ipsa episcopatu digna iudicetur, accipiat. An hoc omnibus placet? Responderunt omnes placet » (Msi 3, 10 s.). *Can.* 10 (lat. 13): « Osius episcopus dixit: Hoc quoque necessarium exsistimo, ut cum omni cura et diligentia examinetur, ut si quis ex foro sive dives sive scholasticus episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris et diaconi et presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus exsistimatus fuerit, ad episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscuiusque ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod et fides et morum probitas et constantia et moderatio possit cognosci: et ipse divino sacerdotio dignus exsistimatus, maximum honorem assequatur. Neque enim convenit, neque scientia et bona conversatio hoc recipit, ut temere et leviter ad id accedatur, ut episcopus vel presbyter vel diaconus prompte ac facile constituatur » (Msi 3, 14).

42. Conc. Laodicense (inter 343 et 381). *Can.* 3: « Non oportere eos qui sunt recens illuminati in ordinem sacerdotalem promoveri» (Msi 2, 564). *Can.* 11: « Non oportere eas quae dicuntur presbyterae et praesidentes in ecclesiis constitui » (Msi 2, 565). *Can.* 13: « Turbis non esse permittendum, eorum qui sunt in sacerdotio constituendi, electionem facere » (Msi 2, 565). *Can.* 15: « Non oportere praeter canonis cantores, qui suggestum ascendunt, et ex membrana legunt, aliquos alios canere in ecclesia » (Msi 2, 568). *Can.* 20: «Quod non oportet diaconum ante presbyterum sedere, sed sedere cum iussu presbyteri. Similiter autem etiam habere honorem diaconis a ministris (subdiaconis) et omnibus clericis oportet » (Msi 2, 568). *Can.* 21: « Quod non oportet ministros locum habere in diaconis (in diaconio) et sacra vasa tangere » (Msi 2, 568). *Can.* 23: «Quod non oportet ministrum ferre orarium neque foras relinquere ». *Can.* 23: « Quod non oportet lectores vel cantores ferre orarium et sic legere vel canere ». *Can.* 24: « Quod non oportet sacratos a presbyteris usque ad diaconos, et deinceps quemlibet ecclesiastici ordinis usque ad ministros vel lectores vel cantores

vel exercitatorum ordinis (ascetae) in cauponam ingredi ». Dionysius Exiguus vertit: «Quod non oportet sacro ministerio deditos, a presbyteris usque ad diaconos, et reliquum ecclesiasticum ordinem, id est usque ad subdiaconos. lectores, cantores, exorcistas et ostiarios et ex numero continentium et monachorum, ingredi tabernas » (Msi 2, 579). *Can.* 26: « Quod eos adiurare non oportet, qui ab episcopis promoti non sunt, neque in ecclesiis neque in aedibus » (Msi 2, 568). *Can.* 43: « Quod non oportet ministros vel brevi tempore fores relinquere » (Msi 2, 571). *Can.* 57: « Quod non oportet in vicis et pagis episcopos constitui, sed periodeutas hoc est circum cursatores (Dion. Exig.: visitatores): eos autem qui prius constituti fuerunt, nihil agere sine mente episcopi, qui est in civitate. Similiter autem et presbyteros nihil agere sine mente episcopi » (Msi 2, 573). *Can.* 58: «Quod non oportet in domibus fieri oblationes ab episcopis vel presbyteris » (Msi 2, 573).

43. Epitaphium, quod Liberii Romani († 366) esse putatur:

« Parvulus utque loqui coepisti dulcia verba
mox scripturarum lector pius indole factus,
ut tua lingua magis legem quam verba sonaret;
dilecta a Domino tua dicta infantia simplex,
nullis arte dolis sceda fucata malignis
officio tali iusto puroque legendi.
Atque item simplex adolescens mente fuisti,
maturusque animo ferventi aetate modestus,
remotus prudens, mitis, gravis, integer, aequus:
haec tibi lectori innocuo fuit aurea vita.
Diaconus hinc factus iuvenis meritoque fideli
qui sic sincere, caste, integreque, pudice,
servieris sine fraude Deo (qui) pectore puro
atque annis aliquot fueris levita severus.
Ac tali iusta conversatione beata
dignus qui merito inlibatus iure perennis
huic tantae sedi Christi splendore serenae
electus fidei plenus summusque sacerdos,

qui nivea mente immaculatus papa sederes,
qui bene apostolicam doctrinam sancte doceres
innocuam plebem caelesti lege magister».

Liber Pontif. ed. Duchesne 1, 209.

44. Athanasius († 373). *Hist. Arianorum* 41, 4 diaconum Hilarium vocat levitam; ibid. nr. 60 sermo est de Eutychio subdiacono (MG 25, 766).

45. Cyrillus Hierosolymitanus († 386)[4]. *Cat. myst.* 5, 2, 1: «Vidistis igitur diaconum sacerdoti et presbyteris altare Dei circumstantibus aquam abluendis manibus porrigere» (MG 33, 1110). 20, 1 sermo est de «psallente» (MG 33, 1111).

46. Epiphanius, *Adversus haereses panarium* (374-377). *Haer.* 75, 4: «Totum illud stoliditatis esse plenissimum, prudentibus hoc est manifestum, dicere episcopum et presbyterum aequales esse. Et quomodo hoc fieri poterit? Ille enim ordo ad gignendos patres pertinet, patres enim gignit ecclesiae; hic vero, cum patres non possit gignere, filios ecclesiae regenerationis lavacro gignet, non tamen patres aut magistros. Et quomodo fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? Aut quomodo ille episcopo dici potest aequalis?» (MG 42, 508; R 1108). *Haer.* 79, 3: «Quamquam diaconissarum in ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam eiusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit, sive ut inspiciat, si quid passa sit aut molestiae pertulerit, sive ut cum nudandum est mulieris corpus interveniat, ne virorum qui sacris operantur aspectui sit exposita, sed a sola diaconissa videatur» (MG 42, 744; R 1112).

---

[4] De autore istarum catechesium vide W. J. Swaans M. O. *A propos des «Catéchèses mystagogiques» attribuées à S. Cyrille de Jérusalem.* Le Muséon 55 (1942) 1-43.

47. Basilius, *epist.* 188, 1 (374): « Qui autem ab ecclesia se separaverant, non habebant amplius in se gratiam Spiritus sancti; defecerat enim communicatio, interrupta continuatione. Qui enim primi recesserant ordinationem a patribus habebant et per manuum eorum impositionem habebant donum spirituale; qui autem resecti, laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi habebant potestatem, ut qui non possent amplius Spiritus sancti gratiam aliis praebere, a quo ipsi exciderant » (MG 32, 667 s. R. 919).

48. Gregorius Nazianzenus, *Oratio* 18. 33 (374). Cum episcopi convenire non possent de novo episcopo Caesareensi constituendo, «tandem plebs tota uno consensu primarii ordinis virum unum, vita quidem et moribus eximium, divino tamen baptismo nondum consignatum, invitum et repugnantem corripientes, simulque militaribus copiis, quae tum in urbe erant, opem afferentibus, in sacrario collocarunt, et episcopis obtulerunt, ab iisque petere instituerunt, ut eum initiarent et antistitem proclamarent, vim interim suasioni admiscentes: non id quidem admodum modeste atque composite, admodum tamen pie atque ardenter. Neque hic dicendum, quisnam eo vel clarior vel pietate praestantior extiterit. Quid enim fit, et quo seditio progressa est? Coacti illi eum purificaverunt, antistitem renuntiaverunt, in throno collocarunt, manu tamen potius, quam voluntate animique affectu, velut postea declaratum est » (MG 35, 1027).

49. Gregorius Nyssenus, *Oratio in diem luminum* (383): « Panis item panis est initio communis; sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur. Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum latentium praesul, eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam at-

tinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam ferens » (MG 46, 582 s. R 1062).

50. Ioannes Chrysostomus, *De beato Philogonio* (hom. 6, 2): « Porro quod elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est, quippe quem ex medio abreptum foro ad thronum hunc evexerit: adeo castam et insignem prius egit vitam, cum uxorem haberet et filiam et in foro versaretur: adeo solem ipsum splendore vicit, ut protinus hoc magistratu dignus videretur, et a iudiciorum tribunali ad sacrum tribunal evectus est » (MG 48, 751). *In epistolam ad Philippenses homiliae* (393/397). *Hom.* 1 nr. 1: « Coepiscopis et diaconis. Quid hoc? An unius civitatis multi erant episcopi? Nequaquam, sed presbyteros isto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque ipse etiam episcopus vocabatur diaconus. Idcirco ad Timotheum scribens inquit: Ministerium tuum imple, cum tamen ille episcopus esset, quod constat ex verbis illis ad eundem scriptis: Manus cito nemini imposueris, et rursus: Quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii; presbyteri vero episcopum non ordinassent » (MG 62, 183). *In epist. 1 ad Tim., hom.* 11 (in cap. 3, 8): « Postquam de episcopis dixit, illorumque formam descripsit, indicavitque quid habere, a quibus abstinere debeant, relicto presbyterorum ordine, ad diaconos transiit. Quare? Quia non multum spatii est inter presbyteros et episcopos: nam etiam presbyteri docendi munus acceperunt et Ecclesiae praesunt; ac quae ille de episcopis dixit, etiam presbyteris competunt. Sola namque ordinatione superiores sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare » (MG 62, 553). *Hom.* 13: « Cum impositione manuum presbyterii. Non de presbyteris hic loquitur, sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant » (MG 62, 565). *In actus apostolorum homiliae* (400/401). *Hom.* 14, 3: « Vide quam non superflue scriptor loquatur; non enim dicit quomodo, sed simpliciter quod ordinati sunt per orationem; hoc enim est ordinatio: manus viri superponitur, totum vero Deus operatur, eiusque manus est, quae tangit caput ordinandi, si quemadmodum oportet, ordinetur » (MG 60, 116).

Apud Photium, Bibliotheca, Codex 277: Exerpta ex homilia 1

Ioannis Chrysostomi de Spiritu Sancto, legitur: « Ideo in lege gratiae, qui pontifices maximi sunt, Evangelium in capite recipiunt, ut electus intelligat, quod veram Evangelii tiaram accipiat, et tametsi aliorum caput constituatur, legibus tamen iisdem subiciatur, et aliis imperanti lex imperet » (MG 104, 275). Palladius, *Dialogus de vita et conversatione beati Ioannis Chrysostomi*, cap. 16: Episcopi ordinandi capiti evangelium imponitur (MG 43, 53).

51. Optatus Milevitanus, *Contra Parmenianum Donatistam* (ca. 380), lib. 1 cap. 13: « Quid commemorem laicos, qui tunc (in persecutione) in ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi illius temporis, ut damno aeternae vitae istius incertae lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinae legis impie tradiderunt » (CV 26, 15). Lib. 2 cap. 14: « Certa membra sua habet ecclesia episcopos, presbyteros, diaconos, ministros et turbam fidelium » (CV 26, 48 s.). Lib. 2 cap. 24: « Extendistis enim manum et super omne caput mortifera velamina praetendistis, ut, cum sint, sicut supra dixi, quattuor genera capitum in ecclesia: episcoporum, presbyterorum, diaconorum et fidelium, nec uni parcere voluistis, evertistis animas hominum ... » (CV 26, 61).

52. Faustini et Marcellini ... *adversus Damasum libellus* (383/384). Praef. 4: « Sed clerus contra fas, quod minime decebat, Felicem archidiaconum ordinatum in locum Liberii episcopum susceperunt. Quod factum universo populo displicuit, et se ab eius processione suspendit » (ML 13, 81).

Siricius papa, *epist. 1 ad Himerium Tarracon.* (385), cap. 9 et 10: « Quicumque itaque se ecclesiae vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari. Qui accessu adolescentiae usque ad tricesimum aetatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum et ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit uxore contentus, acolythus et subdiaconus esse debebit; postea ad diaconi gradum, si se ipse primitus continentia praeeunte dignum probavit, accedat. Ubi si ultra

quinque annos laudabiliter ministraverit, congrue presbyterium consequatur. Exinde post decennium, episcopalem cathedram potcrit adipisci, si tamen per haec temporea integritas vitae ac fidei eius fuerit approbata. Qui vero iam aetate grandaevus melioris propositi conversione provocatus ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit nisi eo, quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere et hanc virginem accepisse, constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconum, si per haec tempora dignus iudicatus fuerit, provehatur. Exinde iam accessu temporum presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis edecumarit electio (edecumare = e decem unum praecellentem censere) non immerito sortietur » (ML 13, 1142 s.).

53. Concilium Carthaginense III (397): *Can.* 3: « Item placuit, ut ordinandis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur ne se aliquid contra statuta concilii fecisse poeniteant ». *Can.* 4: « Item placuit ut ante viginti quinque annos aetatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, et ut lectores populum non salutent ». *Can.* 7 et 8 statuitur causam episcopi accusati ad primates referendam, causam presbyteri a sex episcopis, causam diaconi a tribus episcopis discutiendam; « reliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat ». *Can.* 19: « Placuit ut lectores, quum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri » (Msi 3, 883). *Can.* 21: « Ut clericum alienum, nisi concedente eius episcopo, nemo audeat retinere vel promovere in ecclesia sibi credita; clericorum autem nomen etiam lectores et psalmistae et ostiarii retinent » (Msi 3, 884). *Can.* 36: « Ut presbyter non consulto episcopo virgines non consecret; chrisma vero numquam conficiat » (Msi 3, 885). Cf. can. 39 qui agit de numero episcoporum in ordinatione episcoporum.

54. Constitutiones Apostolorum (ex fine saec. 4). II, 26, 3: « Hi (episcopi) namque vestri pontifices sunt; sicut locum sacerdotum nunc apud vos tenent presbyteri, ac levitarum diaconi, et lectores et cantores et ostiarii, diaconissae et viduae et virgines et orphani: his vero omnibus superior exsistit pontifex » (Funk I, 103 s.). II, 57, 5: « Medius autem lector in alto quodam loco stans legat libros Mosis et Iesu filii Nave, libros Iudicum... alius psallat Davidis hymnos ... deinde legantur acta nostra (apostolorum) et epistulae Pauli adiutoris nostri ... et deinde diaconus aut presbyter legat Evangelia ... » (Funk I, 161). III, 10, 1 s. « Sed nec laicis permittimus quamlibet sacerdotalem functionem usurpare, ut sacrificium, vel baptisma, vel impositionem manus, vel benedictionem tum parvam tum magnam. Nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo (Hebr. 5, 4). Nam per impositionem manuum episcopi datur haec dignitas » (Funk I, 201). III, 11: « Sed neque reliquos clericos baptismum conferre volumus, veluti lectores, aut psaltes, aut ianitores, aut ministros, nisi solos episcopos et presbyteros, ministrantibus diaconis. Qui autem id praesumpserint Coritarum poenas ferent. Non etiam potestatem damus presbyteris, ordinandi diaconos vel diaconissas, vel lectores, vel ministros vel cantores, vel ianitores, sed episcopis solis. Hic enim est ecclesiasticus ordo et concentus » (Funk I, 201). III, 16: « Elige (episcope) diaconissam fidelem et sanctam, ad mulierum ministeria. Fit enim nonnumquam, ut in quibusdam domibus virum diaconum ad mulieres non possis mittere propter infideles; destinabis igitur mulierem diaconissam ob improborum cogitationes. Diaconissa siquidem femina ad multos usus indigemus: ac in primis quidem cum baptizantur mulieres, diaconus tantum earum frontem unget oleo sancto, et postea diaconissa eas illinet; non enim oportet ut feminae aspiciantur a viris » (Funk I, 210). III, 19 Qualis esse debeat diaconus: fere idem quod Didascalia III, 13 (supra nr. 20). III, 20: « Episcopum vero praecipimus ordinari a tribus episcopis; aut ut minimum a duobus; non licere autem vobis ab uno constitui. Nam duorum aut trium testimonium firmius est et indubium. Item iubemus, ut presbyter et diaconus ab uno episcopo ordinetur et reliqui clerici; utque nec presbyter

nec diaconus clericos ex laicis ordinent; sed solummodo presbyter doceat, offerat, baptizet, benedicat populo; diaconus vero ministret episcopo ac presbyteris, hoc est ministerium seu diaconatum exerceat; sed non peragat caetera » (Funk I, 217).

55. VIII, 4, 2: « Primus igitur ego Petrus aio, ordinandum esse episcopum, ut in superioribus omnes pariter constituimus, inculpatum in omnibus, a cuncto populo electum ... 6: Silentioque facto unus ex primis episcopis una cum duobus aliis prope altare stans, reliquis episcopis atque presbyteris tacite orantibus atque diaconis divina evangelia super caput eius, qui ordinatur, aperta tenentibus, dicat ad Deum (VIII, 5, 1 ss.): Qui es, dominator Domine, Deus omnipotens ... ipse nunc quoque intercessu Christi tui per nos infunde virtutem principalis tui spiritus, qui ministrat dilecto puero tuo Iesu Christo, quem voluntate tua donavit sanctis apostolis ad te aeternum Deum pertinentibus. Da in nomine tuo, Deus cognitor cordis, huic servo tuo, quem elegisti in episcopatum, pascere sanctum tuum gregem, et pontificem tuum agere, inculpate ministrantem nocte ac die, et placando faciem tuam congregare numerum eorum, qui salvi fiunt, ac offerre tibi dona sanctae tuae ecclesiae. Da illi, Domine omnipotens, per Christum tuum participationem sancti spiritus, ut habeat potestatem remittendi peccata secundum mandatum tuum, dandi cleros iuxta praeceptum tuum et solvendi omne vinculum secundum potestatem, quam tribuisti apostolis, utque tibi placeat in mansuetudine et mundo corde, constanter, inculpate ac irreprehensibiliter offerendo tibi purum et incruentum sacrificium, quod per Christum constituisti, mysterium novi testamenti, in odorem suavitatis, per sanctum filium tuum Iesum Christum, Deum ac Salvatorem nostrum ... » (Funk I, 473 ss.). P. Battifol, *La liturgie du sacre des évêques dans son évolution historique*. Revue d'Histoire Eccl. 23 (1927) 733-763 notat hoc esse primum testimonium impositionis libri Evangeliorum, quam, erronee ut videtur, putat esse loco impositionis manuum.

56. VIII, 10 oratur pro episcopis, presbyteris, pro universo diaconio ac ministerio, pro lectoribus, cantoribus, virginibus, vi-

duis, et pupillis etc. (Funk I, 489 s.). VIII, 11: « Postea diaconus dicat: Attendamus. Et salutet episcopus ecclesiam ac dicat: Pax Dei cum omnibus vobis. Et populus respondeat: Et cum spiritu tuo. Diaconus vero dicat omnibus: Salutate vos invicem in osculo sancto; et clerici osculentur episcopum, laici viri laicos, feminae feminas. Pueri autem stent ad suggestum ac diaconus alius ipsis praesit, ne inordinate se gerant; et alii diaconi deambulent inspiciantque viros ac mulieres, ne strepitus aliquis oriatur et ne quis nutum faciat vel susurret vel dormitet. Diaconi vero stent ad ianuas virorum et subdiaconi ad ianuas mulierum, ut nemo egrediatur neve aperiatur ianua tempore oblationis, licet adveniat quispiam fidelis. Unus autem subdiaconus det sacerdotibus aquam ad lavandum manus, quae res signum est puritatis animarum Deo consecratarum » (Funk I, 495). VIII, 12: « Quibus peractis diaconi dona ad altare admoveant episcopo, ac presbyteri a dextris illius et a sinistris stent, ut discipuli magistro assistentes; duo autem diaconi ex utraque parte altaris teneant flabellum ... et sensim abigant parva animalia volitantia, ne in calices incidant » (Funk I, 497). VIII, 12 oratio: « Adhuc offerimus tibi pro omnibus sanctis, qui a saeculo placuerunt tibi, patriarchis, prophetis, iustis, apostolis, martyribus, confessoribus, episcopis presbyteris, diaconis, subdiaconis, lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, laicis et omnibus quorum nosti nomina » (Funk I, 513). VIII, 13: « Post hoc sumat et communicet episcopus, deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores et ascetae, et in feminis diaconissae, virgines et viduae; postea pueri, tuncque omnis populus ordine cum pudore et reverentia absque strepitu. Et episcopus quidem tribuat oblatam dicens: Corpus Domini; et qui recipit respondeat: Amen. Diaconus vero teneat calicem et tradendo dicat: Sanguis Christi, calix vitae, et qui bibit respondeat: Amen. Psalmus autem tricesimus tertius dicatur, dum reliqui omnes communicant. Cum universi et universae communicaverint, accipientes diaconi quae supersunt, inferant in pastophoria » (Funk I, 517 s.).

57. VIII, 16: « Porro de ordinatione presbyterorum ego dilectus a Domino, constituo vobis episcopis. Cum presbyterum or-

dinas, episcope, manum super caput eius ipse impone, astante tibi presbyterio necnon diaconis, et orans dic: Domine omnipotens ... auge eam (Ecclesiam tuam) ac multiplica eos qui in ea praesunt, virtutemque da, ut verbo ac opere ad aedificationem populi tui laborent. Ipse quoque nunc respice super hunc famulum tuum, qui suffragio ac iudicio totius cleri in presbyterium cooptatus est; et imple illum spiritu gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum tuum in corde mundo, quemadmodum respexisti in populum electum tuum, et sicut Moysi praecepisti eligere seniores quos implevisti spiritu. Et nunc Domine praesta servans in nobis spiritum gratiae tuae non deficientem: ut repletus operationibus vim sanandi habentibus ac sermone ad docendum apto erudiat cum mansuetudine populum tuum ac serviat tibi sincere mente pura et anima volente, atque sacra quae pro populo celebrantur inculpate perficiat, per Christum ... » (Funk I, 523).

58. VIII, 17: « De ordinatione vero diaconorum ego Philippus constituo. Diaconum efficies episcope imponens ei manum astante tibi cuncto presbyterio cum diaconis, et orans dices: Deus omnipotens ... et ostende faciem tuam super servum tuum hunc electum tibi diaconatus ministerium et imple eum spiritu et virtute, sicut implevisti Stephanum martyrem ac passionum Christi tui imitatorem, et concede ei, ut ministerium sibi traditum probe, constanter, innocue, ac inculpabiliter administret atque maiore gradu dignus habeatur mediatore Unigenito Filio tuo cum quo ... » (Funk, I, 523 s.).

59. VIII, 19: « De diaconissa vero Bartholomaeus constituo: Episcope impones ei manus, astante presbyterio una cum diaconis ac diaconissis et dices: Deus aeterne ... ipse nunc quoque respice in famulam tuam hanc, electam ad ministerium, et da ei Spiritum sanctum et munda eam ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut opus sibi commissum perficiat condigne in gloriam tuam et laudem Christi tui, cum quo tibi gloria ... (Funk, I, 525).

60. VIII, 21: « De subdiaconis autem ego Thomas vobis episcopis constituo. Quando subdiaconum ordinas, episcope, impones super eum manus et dices: Domine Deus, conditor caeli et terrae, omniumque quae in eis continentur, qui in tabernaculo testimonii aedituos designasti, custodes sanctorum vasorum tuorum: ipse nunc etiam aspice super hunc famulum tuum, qui subdiaconus creatus est, et da illi Spiritum sanctum, ut vasa ministerio tuo dicata attrectet pro dignitate, semperque voluntatem tuam faciat per Christum tuum ... (Funk I, 525 s.).

61. VIII, 22: « De lectoribus vero ego Matthaeus qui et Levi, olim publicanus, constituo. Lectorem crea imponens ei manum et Deum orans dicito: Deus aeterne ... ipse et nunc respice super famulum tuum cui committitur, ut sanctas tuas Scripturas legat populo tuo, et da ei Spiritum sanctum, Spiritum propheticum, qui Esdram famulum tuum instruxisti ad legendas populo tuo leges tuas, nunc quoque a nobis rogatus instrue famulum tuum et da ei ut opus traditum perficiendo sine reprehensione dignus maiore gradu declaretur, per Christum ... (Funk I, 527).

62. VIII, 23: « Ego vero Iacobus Alphaei constituo de confessoribus. Confessor non fit ordinatione; res enim est voluntatis ac tolerantiae: magno autem honore dignus est, ut qui coram gentibus et regibus confessus sit nomen Dei et Christi eius. Quod si opus eo fuerit, in episcopum aut presbyterum aut diaconum ordinatur » (Funk I, 527).

63. VIII, 24: « Non ordinatur virgo; nam praeceptum Domini non habemus; voluntatis enim est haec certaminis gloria; non ad criminandum matrimonium, sed ad vacandum pietati » (Funk I, 529). VIII, 25: « Vidua non ordinatur; sed si multo ante amisit virum ... cooptetur in gradum vidualem ... » (Funk I, 529).

64. VIII, 26: « Exorcista non ordinatur. Haec enim certaminis laus pendet a libera et bona voluntate et a gratia Dei per Christum, adventu Spiritus sancti. Qui enim accepit charisma sana-

tionum per revelationem a Deo declaratur cunctisque manifesta est gratia quae est in ipso. Si autem opus eo fuerit, in episcopum vel presbyterum vel diaconum ordinatur ». (FUNK, I, 529).

65. VIII, 27: « Et ego Simon Chananaeus constituo a quot ordinari episcopus debeat. Episcopus a tribus vel duobus episcopis ... ordinetur. Si quis autem ordinatus fuerit ab uno episcopo, deponatur et ipse et is qui ordinavit eum. Quodsi necessitas incidens coegerit ab uno ordinari, eo quod propter persecutionem aut aliam similem causam plures interesse non possint, afferat auctoritatem mandati plurium episcoporum » (FUNK I, 529).

66. VIII, 28: « Episcopus benedicit, non benedicitur; manus imponit, ordinat offert; benedictionem ab episcopis accipit, a presbyteris vero nequaquam; episcopus deponit omnem clericum dignum, qui deponatur, excepto episcopo; hoc enim solus non potest. Presbyter benedicit non benedicitur; benedictionem recipit ab episcopo et compresbytero eamque pariter compresbytero dat; manus imponit non ordinat; non deponit, excommunicat autem inferiores si eam poenam mereantur. Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit vero ab episcopo et presbytero; non baptizat, non offert; ipse vero cum episcopus aut presbyter obtulit, dat populo, non tamquam sacerdos sed tamquam ministrans sacerdotibus. Nulli autem ex reliquis clericis licet opus diaconi facere. Diaconissa non benedicit, sed nec peragit quidquam eorum, quae presbyteri aut diaconi faciunt, tantummodo ianuas custodit, et presbyteris, quando baptizantur mulieres, ministrat propter decorem. Diaconus excommunicat subdiaconum, lectorem, cantorem, diaconissam, si absente presbytero res id postulet. Subdiacono autem non licet excommunicare, neque lectori neque cantori neque diaconissae, non clericum, non laicum; ministri enim sunt diaconorum » (FUNK I, 531).

67. CANONES APOSTOLORUM (ca 400). Can. 1: « Episcopus ab episcopis ordinetur duobus aut tribus, presbyter ab uno episcopo ac diaconus et reliqui clerici » (FUNK I, 692). Can. 69 nominantur

episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector, cantor (Funk I, 585). Can. 80: « Qui ex gentibus accessit et baptizatus fuit aut ex prava conversatione, eum non aequum est confestim ad episcopatum promovere; iniquum enim est eum, qui nondum specimen exhibuerit, aliorum esse doctorem, nisi forte divina gratia hoc fiat » (Funk, I, 589).

68. Eodem fere tempore orta est expositio, qua explicatur, quomodo Christus ipse singulos gradus executus sit [5]. « Dixit alius senex: Propter te, inquit, homo Salvator natus est. Propter hoc venit Filius Dei, ut tu salvareris. Factus est homo, manens Deus; factus est puer. Factus est lector. Accipiens namquam librum, legit in synagoga dicens. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. Factus est subdiaconus. Faciens namque de fune flagellum, omnes eiecit de templo, oves et boves et ce'era. Factus est diaconus. Praecinxit se linteo, lavit pedes discipulorum suorum, praecipiens eis fratrum pedes lavare. Factus est presbyter et resedit in medio magistrorum populum docens. Factus est episcopus et accipiens panem benedixit ac fregit dedi'que suis discipulis et cetera ».

69. Concilium Toletanum I (400). *Can.* 1: « Placuit ut diacones si vel integri vel casti sint et continentis vitae, etiam si uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen, ut si qui etiam ante interdictum quod per Lusitanos episcopos constitutum est, incontinen'er cum uxoribus suis vixerint, presbyterii honore non cumulentur; si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios

---

[5] A. Wilmart, O. S. B. *Les ordres du Christ.* Revue des sciences relig'euses 3 (1923) 305-327. Textus 325 326; cf. ML 73, 1015 s. Textus grae us ex fine saeculi 4, vel initio saeculi 5; versio latina Romae facta medio saeculo 6. Similia in Laterculo Imperatorum Romanorum Malaliano ad annum 573 (scriptum post 740): « Nam hostiarius fuit, quando ostium archae aperuit et iterum clausit. Fossarius fuit, quando Lazarum de monumento quarto iam foetidum evocavit. Lector fuit, quando librum Esaiae prophetae in medio synagogae in aures plevi aperuit, legit et cum replicuisset, ministro tradidit. Subdiaconus fuit, quando aqua in pelve misit et humiliter sua sponte pedes discipulorum lavit. Diaconus

susceperit, de presbyterio ad episcopatum non admittatur ». *Can.* 2: « Item placuit, ut de poenitente non admittatur ad clerum, nisi tantum, (si) necessitas aut usus exegerit, inter ostiarios deputetur vel inter lectores, ita ut evangelium et apostolum non legat: si qui autem ante ordinati sunt diacones, inter subdiaconos habeantur, ita ut manus non imponant aut sacra non contingant ... ». *Can.* 3: « Item constituit sancta synodus, ut lector fidelis, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur aut forte subdiaconus ». *Can.* 4: « Subdiaconus autem, defuncta uxore, si aliam duxerit, et ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, et habeatur inter ostiarios vel inter lectores, ita ut evangelium aut apostolum non legat ... » *Can.* 20: « Quamvis paene ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit, ex hac die nullum alium nisi episcopum chrisma conficere et per dioecesim destinare, ita ut de singulis ecclesiis ad episcopum ante diem paschae diaconi destinentur aut subdiaconi, ut confectum chrisma ab episcopo destinatum ad diem paschae possit occurrere. Episcopo sane certum est omni tempore licere chrisma conficere, sine conscientia autem episcopi nihil penitus faciendum; statutum vero est, diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo; praesente vero, si ab ipso fuerit praeceptum. Huiusmodi constitutionem meminerit semper archidiaconus vel praesentibus vel absentibus episcopis suggerendam, ut eam episcopi custodiant et presbyteri non relinquant » (Msi 3, 998 ss.).

70. Ambrosius[6], *De officiis* (ca 391) I, 215: « Alius distinguendae lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis

---

fuit, quando calicem benedixit et apostolis suis ad bibendum porrexit. Presbyter fuit, quando panem benedixit et eis similiter tradidit. Episcopus fuit, quando in templo populos, sicut potestatem habens, eos regnum Dei docebat. Et haec quidem sanctus Ephrem commemorat similiter ». Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. 13 (Berolini 1898) 433. Tempore scholasticorum plura huiusmodi inveniuntur.

[6] F. Homes Duddon, *The life and times of St. Ambrose*. Oxford 1935, I, 129-132: The Orders of Ministers in the Time of Ambrose.

qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior (= diaconus; cf. infra I, 255) habetur» (ML 16, 87). I, 246 diaconus dicitur «actuum operumque nostrorum testis, minister altaris» (ML 16, 96). I, 249: «Non mediocre officium levitarum, de quibus dicit Dominus: Ecce eligo levitas ... Cognovimus quia non inter caeteros levitae computantur, sed omnibus praeferuntur qui eliguntur ex omnibus et sanctificantur». 250: «Tu ergo electus es ex omni numero filiorum Israel, inter sacros fructus qui quasi primogenitus aestimatus, praepositus tabernaculo, ut praetendas in castris sanctitatis et fidei, ad quae si alienigena accesserit, morte morietur, positus ut operias arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur a levitis; ne videant qui videre non debent, et sumant qui servare non possunt» (ML 16, 99). 255: «Et ideo eligitur levita, qui sacrarium custodiat ...» (ML 16, 101). Cf. I, 204 de Laurentio diacono, cuius erat distribuere sanguinem Domini (ML 16, 84 s.). *De excessu fratris sui Satyri* 1, 61: «Unde non immerito quantus fuerit, hodie quoque per vocem lectoris parvuli, Spiritus sanctus expressit: Innocens manibus ...» (ML 16, 1303). *Expositio evangelii sec. Lucam* (385/389) 4, 45 (in Luc 4, 18): «Atque ille (Christus) ita ad omnia se curvavit obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium» (ML 15, 1625 s.). *Epist.* 4, 6 monet Felicem, quem episcopum ordinaverat: «Ordinatio non reprehendetur, quam accepisti per impositionem manuum mearum et benedictionem in nomine Domini Iesu» (ML 16, 890 s.). *De Cain et Abel* (post 375) lib. 2 nr. 15: «Accedit eo, quod duo quaedam in Deo principalia sunt genera virtutum, unum quo remittit, aliud quo vindicat. Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius levites interpres et quidem executor est; remittuntur etiam per officium sacerdotis sacrumque ministerium» (ML 14, 348). Ergo apud Ambrosium explicite nominantur: lector, psalmista, exorcista, diaconus (levita), presbyter, episcopus. Nihil dicitur de subdiacono et acolytho. Neque nominatur ostiarius; eum autem fuisse in ecclesia Mediolanensi constare videtur ex Augustino, Confess. 6, 2 (ML 32, 719).

71. Ambrosiaster, *Liber quaestionum* cap. 97: « Nam nemo ignorat, episcopos salvatorem ecclesiis instituisse; ipse enim, priusquam in caelos ascederet, imponens manum apostolis, ordinavit eos episcopos » (ML 35, 2296). Circa annum 380 Romae apparet tendentia coaequandi diaconos presbyteris [7]. Contra hanc iactantiam levitarum Romanorum Ambrosiaster dirigit cap. 101, ubi dicit: « Maior enim ordo intra se et apud se habet minorem; presbyter enim et diaconi agit officium et exorcistae et lectoris. Presbyterum autem intelligi episcopum probat Paulus apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit presbyterum, instruit qualem debeat creare episcopum (1 Tim. 3, 1-7). Quid est enim episcopus, nisi primus presbyter, hoc est summus sacerdos? Denique non aliter quam compresbyteros hic vocat et consacerdotes suos. Numquid et ministros condiaconos suos dicit episcopus? Non utique, quia multo inferiores sunt. Et turpe est iudicem dicere primicerium (primiscrinium). Nam in Alexandria et per totam Aegyptum si desit episcopus, consignat presbyter » (ML 35, 2502). Similiter in *In 1 Tim.* c. 3 (ML 17, 470).

72. Hieronymus, *Epist.* 14, 8 (375/379): « Sed de hoc gradu (scl. monachi) pulsus, provocabis ad clericos. An de his aliquid audeam dicere, qui certe in suis urbibus commorantur. Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, quia apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus. Qui claves regni coelorum habentes, quodammodo ante diem iudicii iudicant; qui sponsam Domini sobria castitate conservant. Sed alia ut ante perstrinxi, Monachorum est causa, alia clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de altari vivunt, mihi quasi infructuosae arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in evangelio anum videam, duo quae sola sibi supererant aera mittentem in gazophylacium, laudaverit Dominus (Luc 21, 24). Mihi ante presbyterum sedere non licet, illi si peccavero licet tradere

---

[7] F. Prat, *Les prétentions des diacres Romains au quatrième siècle.* Rech. de science rel. 3 (1912) 463-475.

me Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit (1 Cor 5, 5) ... Quod si te quoque ad eundem ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, sed timeo de lapsu. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Scimus ista; sed iunge quod sequitur: Oportet autem huiusmodi ... » (ML 22, 352). *Epist.* 41, 3: « Apud nos apostolorum locum episcopi tenent » (ML 22, 476). *Epist.* 52, 5 loquens de clero nominantur lector, acolythus, psaltes (ML 22, 532). *Epist.* 52, 7: « Pessimae consuetudinis est in quibusdam ecclesiis, tacere presbyteros et praesentibus episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire ... Gaudeat episcopus iudicio suo, cum tales Christi elegerit sacerdotes » (ML 22, 534). *Epist.* 69, 3 « ... quamquam apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerint » (ML 22, 656).

73. *Epistula* 146, 1: « Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est episcopis, ante ferret[8]. Nam cum apostolus perspicue doceat eosdem esse presbyteros quos episcopos, quid patitur mensarum et viduarum minister (diaconus), ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? » Ostendit deinde ex epistulis s. Pauli, Petri, Ioannis eosdem esse episcopos et presbyteros et prosequitur: « Quod autem postea unus electus est, qui ceteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligunt de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? ». (2) « Sed dices, quomodo Romae ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiae vindicas? Omne quod rarum est, plus appetitur.

---

[8] Videtur eadem respicere, de quibus supra ad Ambrosiastrum dictum est.

Pulegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. Caeterum etiam in ecclesia Romae presbyteri sedent, et stant diaconi; licet paulatim increbrescentibus vitiis inter presbyteros absente episcopo sedere diaconum viderim (al. audierim), et in domesticis conviviis benedictiones presbyteris dare. Discant, qui hoc faciunt, non se recte facere et audiant apostolum: Non est dignum ut relinquentes verbum Dei ministremus mensis (Act. 6, 2). Sciant quare diaconi constituti sint. Legant Acta apostolorum, recordentur conditionis suae. Presbyter et episcopus, aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen. Unde et ad Titum (Tit 1) et ad Timoteum (1 Tim 3, 1 ss.) de ordinatione episcopi et diaconi dicitur: de presbyteris omnino reticetur; quia in episcopo et presbyteri continentur. Qui provehitur, de minori ad maius provehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, ut presbyter minor diacono comprobetur, in quem crescit ex parvo; aut si ex diacono ordinatur presbyter, noverit se lucris minorem, sacerdotio esse maiorem. Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron et filii eius atque levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in ecclesia » (ML 22, 1192 ss.)

74. *Dial. adv. Luciferianos* (ca 382) 21: « Hilarius cum diaconus de ecclesia recesserit ... neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens ... Et cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum clericum diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quae non habet sacerdotes » (ML 23, 175).

75. *Commentarius in epist. ad Titum* (386/387) 1, 5: « Idem ergo est presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae (1 Cor 1, 12), communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret et schismatum semina tol-

lerentur. Putet aliquis non scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud aetatis, aliud esse nomen officii; relegat apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus et Timotheus servi Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis gratia vobis et pax et reliqua (Phil. 1, 1 s.). Philippi una est urbs Macedoniae, et certe in una civitate plures ut nuncupantur episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus. Adhuc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Miletum, miserit Ephesum et vocavit presbyteros ecclesiae eiusdem quibus postea inter cetera sit locutus: Attendite vobis et omni gregi, in quo vos sanctus Spiritus posuit episcopos pascere ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum (Act 20, 28). Et hic diligentius observate, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem episcopos dixerit » (ML 26, 562 s.).

76. S. Augustinus. Apud s. Augustinum[9] recensentur acolythus, lector, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus. *Epistula* 82, 33 scribit Hieronymo: « Quamquam enim secundum honorum vocabula, quae iam Ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio maior sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est » (ML 33, 290). *De haeresibus*, 53, de Aerio ait: « Dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni » (ML 42, 40). Ab episcopis, presbyteris, diaconis, distinguuntur reliqui « inferioris ordinis » clerici (*Epist.* 43, 7. ML 33, 163). In Sermone 356, in quo de vita clericorum suorum agit, loquitur solum de subdiaconis, diaconis, presbyteris (ML 39, 1574 ss.). De muneribus acolythi, subdiaconi, diaconi vix quidquam dicitur. Lector legit vel cantat textum s. Scripturae, de quo deinde ipse s. Augustinus

---

[9] Dam. Zähringer, *Das kirchliche Priestertum nach dem hl. Augustinus*. Forschungen zur christlichen Literatur-und Dogmengeschichte, 17. Paderborn 1931.

sermonem habet. « Psalmum nobis brevem paraveramus, quem mandaveramus cantari a Lectore; sed ad horam, quantum videtur, perturbatus, alterum pro altero legit. Maluimus nos in errore Lectoris sequi voluntatem Dei, quam nostram in nostro proposito » (*Enarr. in Ps.* 138, 1. ML 37, 1784). Sed munere lectoris fungebatur etiam diaconus, immo interdum ipse s. Augustinus (*Sermo* 356. ML 39, 1574). In eodem sermone nr. 4 dicit: « Diaconus Faustinus, sicut pene omnes nostis, hic de militia saeculi ad monasterium conversus est: hic baptizatus, inde diaconus ordinatus » (ML 39, 1576), unde fortasse concludi potest, eum sine aliis ordinibus statim diaconum esse ordinatum. Certum hoc videtur de ordinatione infelici, qua lector Antonius statim episcopus ordinatus est, qua de re refert *epistula* 209 Romano Pontifici Coelestino. Nam presbyter, ad quem ordinandum episcopum Augustinus invitaverat Primatum Numidiae, ordinationi restitit. Ne primas senex sine effectu propter quem venerat, ad propria remeare deberet, Augustinus obtulit « non petentibus quemdam adulescentem Antonium, qui mecum tunc erat; in monasterio quidem a nobis a parvula aetate nutritum, sed praeter lectionis officium nullis clericatus gradibus et laboribus notum », qui deinde episcopus est ordinatus (ML 33, 953 s.).

77. Ordinationem comparat cum baptismo. *Contra epistulam Parmeniani* 2, 28: « Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursum ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra; quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in sacramentis, quae ubicumque sunt, ipsa sunt » (ML 43, 70).

78. De ritu ordinationis pauca habet. In tractatu *in evang. Ioannis* 109, 5 ea, quae Act. Apost. 6 narrantur (impositio manuum), dicit ordinationem (ML 35, 1919). De impositione manuum in or-

dinatione Maximiani loquitur *Contra Cresconium* 3, 25; 60 (ML 43, 508; 528). Praeterea habebatur invocatio nominis Dei: « Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati » (*Sermo ad Caesareensis ecclesiae plebem*, 2; ML 43, 691).

79. Innocentius I. *Epist.* 2 (404) cap. 1: « Primum ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare; integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur; nec unus episcopus ordinare praesumat; ne furtivum beneficium praestitum videatur. Hoc enim et in synodo Nicaena constitutum est atque definitum » (ML 20, 471 s.). *Epist.* 25, 3 (416): « De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent » (ML 20, 554). *Epist.* 37: « Laici vero, qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut clericis iuncti sint, aut monasteriis, ex quo baptizati sunt haeserint, et si non concubam, non pellicem noverint, si in omnibus bonis operibus vigilaverint, non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem assumi. Ita sane, ut in eos tempora a maioribus constituta serventur. Nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat: quia in minoribus officiis si diu perdurent et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec praeripiant quod vita probata meretur accipere » (ML 20, 604 s.). *Syn. Romana* (402) can. 12: « De ordinationibus maxime observandum est: ut semper clerici fiant episcopi. Sic enim scriptum est: Et hi primo probentur, et sic ministrent (1 Tim. 3, 10). Qui non probatur tempore praecedenti in minori officio ministrasse, quomodo praeponitur clero? Non est auditum necdum tironem militum imperium suscepisse. Is ergo debet fieri, quem aetas, tempus, meritum, commendat et vita. Aut quare apostolus neophytum prohibet, et cito manus alicui imponi non permittit? » (Msi 3, 1138).

80. Zosimus, *Epist.* 9, 5 (418): « Haec autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum aetatis annum continuata observatione perduret. Si maior iam et grandaevus accesserit, ita tamen, ut post baptismum statim, si divinae militiae desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur; exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, haerere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriae fidei documentis presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco si eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit. Hac tamen regula servata, ut neque digamus neque poenitens ad hos gradus possit admitti. Sane ut etiam defensores ecclesiae, qui ex laicis fiunt, supra dicta observantia teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus » (ML 20, 672 s.).

81. Ps-Hieronymus, *De septem ordinibus ecclesiae* (ca 417) [10]. Hi septem ordines sunt fossor, ostiarius, lector, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus; non habet acolythum et exorcistam. De diaconis dicit: « Et sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro est sacramenti dispensatio. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter praesumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a diacono: ut praecedente ministerio sanctitatis humiliatus paulisper post consecrationem dum ministro reverentiam exhibet, quantam ministerio Dei debeat recognoscat » (ML 30, 153). « Sextus seniorum ordo est qui sacerdotibus datur, qui presbyteri dicuntur, qui praesunt ecclesiae Dei et Christi sacramenta conficiunt. Hi autem in benedictione cum episcopis consortes ministeriorum sunt. Nulla in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter eos et episcopos credenda distantia est:

[10] Morin, *Le destinataire de l'apocryphe Hiéronymien De septem ordinibus ecclesiae.* Revue d'hist. Eccl. 34 (1938) 229-244, qui quaerit originem in Gallia meridionali initio saeculi 5.

et Eucharistiam iam pridem per presbyterum benedictam, si usus exegerit, episcopi accipere debent, ac se Christo ac plenitudini eius communicare cognoscere... Et quia scriptum est: Presbyteri duplici honore honorentur maxime qui laborant in verbo Domini (1 Tim 5, 17): praedicare eos decet, utile est benedicere, congruum confirmare, convenit reddere communionem, necesse est visitare infirmos, orare pro infirmis atque omnia Dei sacramenta complere. praesertim cum in Oriente eam consuetudinem et in Illyrico et in Italia atque in Africa omnibus in locis, temporibus apostolorum fuisse manifestum est. Ac sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio et virginum consecratio reservata est... Presbyteri ergo, si necesse est, possunt Chrisma conficere, quia in corpore eius (scl. Christi) chrisma est. Siquidem haec regula etiam nunc servatur a plurimis atque in ecclesiis multis sic ista faciunt: tamen meae hoc scito esse sententiae, nulli episcopo super hoc iniuriam esse faciendam nec legem a me opponendam esse ei, qui lex est presbyteri» (ML 30, 155 s.). Ab initio ipsi presbyteri episcopi vocati sunt.

82. Theodorus Mopsuestenus († 428), *In epist. 1 ad Tim.* cap. 3, 13: «Hic adiiciam: tibi ne mirum videatur, si nec subdiaconos nec lectores memoravit. Hi enim in ecclesiastica liturgia potius extra gradus sunt, ad usus posterius inventi, qui propter fidelium multitudinem iam aliis subeundi fuerant. Unde neque ante altare ordinationem (manus impositionem) recipiunt, cum nec ipsi mysterio inserviunt. At alii lectionem perficiunt, alii vero intus praeparant, quae ad diaconorum ministerium necessaria, et insuper ecclesiastica lumina curant» (MG 66, 942). Cap. 4, 14: «Aut apostolorum collegium intendit, qui manus imponenti sane consentiebant et aderant, et presbyterium illud vocat honorifice. Nunc etiam mos est in episcoporum consecratione huiusce generis manuum impositiones non ab uno, sed a pluribus in Ecclesia perfici» (MG 66, 942 s.).

83. Socrates, *Hist. eccl.* (ca 440) I, 11, 4: «Visum erat episcopis (scl. Nicaeae) novam legem in ecclesiam inducere, ut qui-

cumque in sacrum ordinem allecti essent, id est episcopi, presbyteri et diaconi, ab uxorum, quas cum laici essent matrimonii iure sibi sociaverunt, concubitu abstinerent ». Contradixit Paphnutius episcopus, asserendo sufficere iuxta antiquam traditionem, eos qui iam sunt in clero non amplius uxores ducere, id quod a synodo acceptum est (MG 67, 102 s.). De historicitate huius narrationis controvertitur. Postea (circa 450) idem refert Sozomenus, Hist. eccles. 1, 23, addendo subdiaconum.

84. Concilium Arausicanum I (441). *Can.* 26: « Diaconae omnimodis non ordinandae: si quae iam sunt, benedictioni quae populo impenditur, capita submittant » [11] (Msi 6, 440).

Concilium Chalcedonense (451). *Can.* 14: « Quoniam in nonnullis provinciis concessum est lectoribus et cantoribus uxores ducere, decrevit sancta synodus nulli eorum licere diversae a recta opinionis ducere ... » (Msi 7, 363). *Can.* 15: « Diaconissam non esse mulierem ordinandam ante annum quadragesimum, et eam cum accurata examinatione. Si autem postquam ordinatione suscepta ministerio aliquo tempore permanserit, seipsam matrimonio tradiderit, Dei gratiae iniuriam faciens, ea uno cum illo, qui ei coniunctus est, anathematizetur » (7, 363).

85. Theodoretus († 458). *In Phil.* 1, 1: « Episcopis (Paulus) coniunxit diaconos, nulla presbyterorum facta mentione, praesertim cum fieri non posset, ut multi episcopi essent unius civitatis pastores, ut liquido pateat presbyteros eos fuisse, quos nominavit episcopos. Beatum porro Epaphroditum in epistula ipsa eorum appellavit apostolum: Vestrum enim inquit apostolum et necessitati meae adiutorem (Phil 2, 25). Aperte ergo docuit episcopale munus ipsi fuisse creditum, cum appellationem haberet apostoli » (MG 82, 560). *In 1 Tim* 3, 1: « Eosdem olim vocabant presbyteros et episcopos; eos autem qui nunc vocantur episcopi apostolos nominabant. Procedente autem tempore apostolatus nomen reliquerunt iis, qui vere erant apostoli, episcopatus autem appellationem imposuerunt

[11] Vide notam Sirmondi Msi 6, 447 s.

iis, qui olim appellabantur apostoli. Ita Philippensium apostolus erat Epaphroditus: Vestrum enim inquit apostolum et adiutorem necessitatis meae (Phil. 2, 25). Ita Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus apostoli; ita ab Hierosolymis iis, qui erant Antiochiae, scripserunt apostoli et presbyteri » (MG 82, 804).

86. Leo Magnus, *Epist.* 12, 2 (446): « Manus cito nemini imposueris neque communices peccatis alienis (1 Tim 5, 22). Quid est cito manus imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiae, ante experientiam disciplinae, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi et talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari? » (ML 54, 647). *Epist.* 12, 5: « Caeteros vero, quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium episcopale delecti sunt, neque ex hoc quod uxores habent, possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus, non praeiudicantes apostolicae sedis statutis, nec beatorum patrum regulas resolventes, quibus salubriter constitutum est, ne primum, aut secundum, aut tertium in ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis suffultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat » (ML 54, 652). Cap. 6: Agnoscit ordinationem Maximi, qui ex laico, licet reprehensibiliter, episcopus ordinatus erat (col. 653). *Epist.* 14, 6 (ad Anastasium episcopum thessalonicensem, cui delegatae erant vices Romani Pontificis; vide cap. 1 huius epistulae, col. 668): « Metropolitano vero defuncto, cum in locum eius alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiae, vel ex diaconis optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cum quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint » (ML 54, 672). *Sermo* 59, 7: « Nunc enim et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum; quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum » (ML 54, 341).

87. Gelasius, *Epist.* 9 (494): « Si quis etiam de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, imprimis eius vita praeteritis acta temporibus inquiratur ... si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis ostiarii possit implere ministerium; ut si hic omnibus quae sunt praedicta fulcitur, continuo lector, vel notarius aut certe defensor effectus, post tres menses exsistat acolythus, maxime si huic aetas iam suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat; ac si modestae conversationis honestaeque voluntatis exsistit, nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter: cui tamen, quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur praestitisse devotio. Cap. 3: Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto sollicitius in singulis quae superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinari personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis ... Cap. 6: Nec minus etiam presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus; nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem; non praesente quolibet antistite, nisi forte iubeatur, vel orationis, vel actionis sacrae supplendae sibi praesumant esse licentiam; neque sub eius aspectu nisi iubeantur aut sedere praesumant aut veneranda (al. venerabilia) tractare mysteria. Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo pontifice subdiaconum aut acolythum ius habere faciendi; nec prorsus addubitent, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exsequendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privari ». Cap. 7: « Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum (Nic. XVIII) quippiam tentare permittimus; nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quae primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortasse officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod et laicis christianis facere plerumque conceditur. Cap. 8: Non in presbyterio residere, cum divina celebrantur, vel ecclesiasticus habetur (al. celebratur) quicumque tractatus. Sacri corporis praeroga-

tionem, sub conspectu pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus ius non habent exercendi. Cum enim decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa, quae pro alicuius utilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credamus » (ML 59, 51). Cap. 26: « Nihilominus impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminae sacris altaribus ministrasse ferantur (al. firmentur); et cuncta, quae non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum cui non competit, exhibere » (ML 59, 55).

88. *Testamentum Domini nostri Iesu Christi* (ca 475; ed. Rahmani, Moguntiae 1899). Lib. 1 cap. 20: Episcopus eligendus ab universo populo; primo omnes episcopi ei manus imponant cum oratione; deinde unus a reliquis designatus imponit manum dicens invocationem (cap. 21), qua invocatur super eum gratia Spiritus sancti. Cap. 30: « Ordinatio presbyteri fiat hoc modo: universus coetus sacerdotalis adducant eum et episcopus manum imponat super caput ipsius, contingentibus et tenentibus eundem presbyteris ». Episcopus dicit orationem manus impositionis super presbyterum (pag. 69). Cap. 38 de ordinatione diaconi: « Episcopus solus ei manum imponit; non enim ad sacerdotium ordinatur sed ad ministerium famulatus episcopi et ecclesiae ». Et episcopus super eum dicat orationem impositionis manus super diaconum (pag. 91 s.). Cap. 39: Confessori qui in vinculis, in carcere, in tormentis fuerit propter nomen Dei, neque ad diaconatum neque ad presbyteratum manus imponitur. Habet enim honorem cleri, cum per confessionem a manu Dei protectus fuerit. Si in episcopum autem ordinatur, dignus est quoque impositione manus. Confessor autem qui non fuit vocatus in iudicium neque vinculis afflictus, sed tantum confessus est fidem « manus impositione dignus fiat: suscipit enim cleri orationem » (pag. 93). Vidua ordinatur sola oratione episcopi (cap. 41; pag. 99). Cap. 34: « In ecclesia noti sint duodecim presbyteri, septem diaconi, quattuor hypodiaconi (secundum Rahmani legendum lectores) et tres viduae habentes praecedentiam sessionis » (pag. 83). In « proclamationibus diaconi » (cap. 35 pag. 84) oratur pro episcopis, presbyteris, diaconis, presbyteris (feminis), hypodiaco-

nis, lectoribus et diaconissis; deinde pro fidelibus saecularibus. Hypodiaconus ordinatur sola oratione episcopi (cap. 44; pag. 105). Lectori in constitutione traditur liber, manus non imponitur (cap. 45). Cap. 46: « Virgo, mas vel femina, minime ab homine constituitur neque ordinatur, sed ipse sese propria voluntate secernit nomen virginis assumens. Neque ipsi manus imponitur in virginitatem, quippe propriae voluntatis est hic status » (pag. 107). Cap. 47: « Si quis in populo apparet habens charisma sanationis, vel scientiae vel linguarum, ne super ipsum imponatur manus, cum ipsum opus iam sit manifestum » (pag. 109). Editor Rahmani notat: aetas episcopi non determinatur (pag. 156); nullum vestigium imponendi codicem evangelii super caput consecrandi (pag. 158); non prima, sed secunda impositio manus episcopi est consecratoria (pag. 157). Diaconissae quidem nominantur; nihil autem de earum constitutione vel ordinatione; unde concludendum, eam non fuisse constitutam per specialem ritum (pag. 165). Num presbyterae, quae bis commemorantur, speciale munus habuerint, decidi non potest (pag. 166). Lector saepius, sed non semper, ante hypodiaconum nominatur; lectoris officium indicatur, non autem officium hypodiaconi (pag. 168).

89. Ps-Dionysius Areopagita (ca 500). *De ecclesiastica hierarchia* c. 5 nr. 3: « Communia quidem sunt et pontificibus et sacerdotibus et ministris cum consecrantur, accessus ad divinum altare, genuum flexio, pontificiae manus impositio, crucis impressio, praedicatio, perficiens salutatio; praecipua vero et episcopis propria est scripturarum supra caput impositio, quod inferiores ordines non habent; sacerdotibus autem utriusque pedis inclinatio, quo caret consecratio ministrorum; ministri enim, ut dictum est, alterum tantum genu flectunt » (MG 3, 510; cf. 514; 515).

90. Statuta ecclesiae antiqua[12]. « (Recapitulatio ordinationis officialium Ecclesiae). 90 (2). Episcopus cum ordinatur, duo

---

[12] Ex fine saeculi 5 vel initio saeculi 6, originis non Romanae, sed ut communiter nunc tenetur, orta in Gallia meridionali. Recenter de

episcopi exponant et teneant evangeliorum codicem super caput eius; et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

91 (3). Presbyter cum ordinatur, episcopo benedicente et manus super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manus episcopi super caput illius teneant.

92 (4). Diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manus suas super caput eius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

93 (5). Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et vacuum calicem. De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, manile, et manutergium.

94 (6). Acolythus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat: ab archidiacono accipiat cereoforaleum cum cereis, ut sciat se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipandum; accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistia sanguinis Christi.

95 (7). Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe, et commenda et habeto potestatem imponendi manum super energumenos, sive baptizandos (super energumenum sive baptizatum sive catechumenum).

96 (8). Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam atque ingenium. Post haec (ex)spectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus est dicens ad eum: Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, fideliter et utiliter si impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei ministraverunt.

97 (9). Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono ins-

---

iis scripserunt Botte, *Le rituel d'ordination des Statuta Ecclesiae Antiqua.* Rech. de Théol. anc. et médiévale 11 (1939) 223 241. G. Caviglioli, *Arles o Valenza? Glossa alla storia dei Concili.* La Scuola cattolica 70 (1942) 450-460.

tructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradet ei episcopus claves ecclesiae de altario dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quae istis clavibus recluduntur.

98 (10). Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; et quod credis, operibus comprobes.

99 (11). Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem sui episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniae aptis.

100 (12). Viduae vel sanctimoniales quae ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructae sint ad officium, ut possint aperto et sano sermone docere imperitas et rusticanas mulieres tempore quo baptizandae sunt, qualiter baptizatori ad interrogata respondeant, et qualiter accepto baptismo vivant.

101 (13). De sponso et sponsa.

102 (14). Viduae, quae stipendio ecclesiae sustentantur, ita assiduae in Dei opere esse debent, ut et meritis et orationibus suis ecclesiam adiuvent » (ML 56, 887 ss.; Denz. 150 ss.).

91. Ioannes diaconus, *epist. ad Senarium* (circa 500): « Ac proinde adiungis ut dicam, cur sanctum chrisma soli pontifici liceat consecrare, quod presbytero non videtur esse concessum. Et merito: quia episcopus summi pontificis gradum obtinet, presbyter vero secundi sacerdotii locum retinere cognoscitur. Omnis enim pontifex est sacerdos, non omnis sacerdos pontifex dici potest. Nam in Veteri Testamento, ut alia taceam etiam indumentorum habitu differebant ... Adiicitur etiam, quod in sancta sanctorum semel in anno solus pontifex habebat accessum. Unde iam in novo populo episcopus ordinandi presbyteros meruit potestatem. Recte igitur benedictionis et unctionis quodammodo potestas apostolica huic traditioni servatur, quam constat ecclesiasticorum ordinum tenere principium. Illud quoque non praetereundum videtur, qui (quia) nec eadem benedictionis verba presbyterii consecratio promeretur, quae pontificalis apex consuevit audire. Nam si nihil speciale re-

servatum esset episcopo, gradus indifferens esse videbatur: nec opus esset diverso vocabulo, quod eadem benedictio consecraret. Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quaedam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat etiam nunc a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit» (ML 59, 403 s.). «Acolythi autem exorcistis hoc ordine differunt, quod exorcistis portandi sacramenta, eaque sacerdotibus ministrandi, negata potestas est; tantumque manus impositioni vacent, propter quod exorcistae dicuntur; vel cetera, quae intra acolythorum ordinem esse probantur, explere festinent, Acolythi vero sacramentorum portanda vasa suscipiunt, et ministrandi sacerdotibus ordinem gerunt. Ideoque exorcista fieri potest acolythus; iste vero ad exorcistarum officium nulla penitus promotione descendit; qui si optime suum officium ministraverint, ad subdiaconatus gradum poterunt pervenire: cuius hic apud nos ordo est, ut accepto sacratissimo calice, in quo consuevit pontifex dominici sanguinis immolare mysterium, subdiaconus iam dicatur. Qui si rursus nullo fuscatus vitio inculpabilis perseverat, ad diaconii vel presbyterii sacratissimas dignitates poterit pervenire» (ML 59, 404 s.).

92. Concilium *275* episcoporum (apocr.; circa 500): «Si quis ad clericatum promereri (promoveri) desiderat, hoc iustum est, ut sit ostiarius annum unum, lector annos 20, exorcista annos 10, acolythus annos 5, subdiaconus annos 5, diaconus annos 5 et si (sic) ad honorem presbyterii accedat; et faciens in eo ordine annos 6, si fuerit omnium votiva gratia, non praemio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens (praeripiens) gradum, si ab omni ecclesia eligatur, consecrandus episcopus, nullo de membris ecclesiae intercidente (intercedente) et omni ecclesia conveniente. Et dixerunt episcopi: Placet» (ML 8, 826).

93. Gaius papa (apocr.; circa 530). «Hic (Gaius) constituit, ut ordines in ecclesia sic ascenderentur: si quis episcopus esse me-

reretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, sequens, subdiaconus, diaconus, presbyter et exinde episcopus ordinaretur » (Liber Pontificalis, ed. Duchesne I 73; cf. 161).

94. Silvester papa (apocr.; circa 530): « Hic (Silvester) constituit, ut si quis desideraret in ecclesia militare aut proficere, ut esset lector annos 30, exorcista dies 30, acolythus annos 5, subdiaconus annos 5, custos martyrum annos 5, diaconus annos 7, presbyter annos 3, probatus ex omni parte et etiam foris qui sunt testimonium habere bonum et sic ad ordinem episcopatus ascendere ... » (Lib. Pont. I, 77; cf. 171).

95. Concilium Agathense (506). *Can.* 16: « Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quam viginti quinque annis annorum penitus non committat ... ». *Can.* 17: « Presbyterum vero vel episcopum ante triginta annos, id est antequam ad viri perfecti aetatem veniat, nullus metropolitanorum ordinare praesumat, ne per aetatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur» (Msi 8, 327).

96. Concilium Toletanum (527; 531?). *Can.* 1: « De his quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio mancipaverit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiae sub episcopali praesentia a praeposito sibi debeant erudiri. At ubi ovtavum et decimum aetatis suae compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuit, et professionem castimoniae suae absque coniugali necessitate se spoponderint servaturos, hi tamquam appetitores arctissimae vitae lenissimo Domini iugo subdantur: ac primum subdiaconatus ministerium habitu probationis suae vicesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac inoffense vicesimum et quintum annum aetatis suae peregerint, ad diaconatus officium, si scienter implere posse ab episcopo comprobantur, promoveri debent. Cavendum tamen est his, ne quando suae sponsionis immemores aut ad terrenas nup-

tias aut furtivos concubitus ultra recurrant. Qui quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei damnentur et ab ecclesia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit concessam ab Apostolis sententiam auferre non possumus, ita ut cum perfectae aetatis in coniugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus aspirent» (Msi 8, 784).

97. Iustinianus I. Codex Iustinianus, 1, 3, 20. Imp. Theodosius et Valentinianus (434): «Si quis presbyter, aut diaconus aut diaconissa, seu subdiaconus vel cuiuslibet alterius loci clericus, aut monachus, aut mulier, quae solitariae vitae dedita est, nullo condito testamento decesserit...» (Kirch, Enchiridion fontium hist. Eccl. ant. nr. 1025). Leges Novellae. Iustiniani Nov. 4, ad Epiphanium Patr. Constantinop. (535): 1 § 1: «Quapropter sancimus, ut in sanctissima magna ecclesia non plures quam 60 presbyteri sint, 100 vero diaconi masculi, 40 feminae; 90 subdiaconi, 110 lectores, 25 cantores, ita ut universus numerus religiosissimorum clericorum maioris ecclesiae in 425 personis et 100 insuper ut vocantur ostiariis consistat» (Kirch, 1030).

Iustiniani Nov. 123 (546), de creatione episcoporum: debet saltem esse 35 annorum. 1 § 2: «Illis autem, qui decreta faciunt, facultatem concedimus, si quempiam laicorum, praeter curialem et officialem, praedicta electione dignum putaverint, ut eum cum aliis duobus clericis aut monachis eligant, ita tamen ut laicus, qui hoc modo ad episcopatum electus est, non statim episcopus creetur, sed prius in clericis non minus tribus mensibus numeretur atque ita sacros canones et sacrum ecclesiae ministerium edoctus, episcopus creetur; qui enim alios docere debet, ab aliis post creationem doceri non debet» (Kirch, 1034).

98. Pelagius papa (555-561): «Item adiecit Pelagius papa et dixit: Peto enim ut petitionem meam confirmetis, ut si quis ille est, qui promovendus est in sancta ecclesia, ab hostiario usque ad gradus episcopatus, ut neque per aurum neque per aliquas promissiones proficiat: vos omnes scitis, quia simoniacum est. Sed

si quis ille doctus in opere Dei, bonam vitam habens, non per dationem, sed iubemus eum per bonam conversationem usque ad primum gradum venire » (Lib. Pont. I, 303).

99. Gregorius Magnus († 604). In eius registris commemorantur[13] subdiaconus, acolythus, lector; desunt exorcista et ostiarius. Lectorum functio propria evanescit et transit ad subdiaconos et diaconos. Lectores magna ex parte sunt pueri ministerio Ecclesiae destinati. Quamvis statuta erat regula ascendendi ad sacros ordines (lector, acolythus, subdiaconus), haec tamen non semper servabatur. Absolute necessarius videtur tempore Gregorii simplex clericatus. Vituperat quidem Gregorius usum vel abusum laicos eligendi episcopos eisque ante ordinationem episcopalem solum conferre tonsuram. Ipse tamen in casu laici Opportuni decidit: si habet testimonia bona « tonsurandus est, ut vel monachus vel a vobis subdiaconus fiat, et post aliquantum temporis, si Deo tum placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri » (epist. 12, 4; « Monachus » non erat ordo clericalis). Ergo in casu aut: clericus - subdiaconus - episcopus; aut: clericus - monachus - episcopus. (Ipse Gregorius erat: monachus, diaconus, Summus pontifex). Sequente tamen tempore subdiaconatus magis magisque necessarius apparet, ut quis ad sacros ordines promoveatur.

Epist. lib. 11 ep. 64, Interr. 8: « Si longuinquitas itineris magna interiacet, ut episcopi non facile valeant convenire, an debeat sine aliorum episcoporum praesentia episcopus ordinari? Resp. Et quidem in Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes » (ML 77, 1191).

Decreta sancti Gregorii Papae: «Qua in re praesenti decreto constituo, ut in hac sede sacri altaris ministri (diaconi) cantare non debent, solumque evangelicae lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi » (ML 77, 1335).

---

[13] B. Fischer, *Der niedere Klerus bei Gregor dem Grossen.* Zeitschrift für kath. Theologie 62 (1938) 37-75.

100. *De praxi ecclesiae Romanae,* quinam ordines ante diaconatum, presbyteratum, episcopatum recipiendi sint, quaedam cognosci possunt ex iis, quae Liber Pontificalis de Summis Pontificibus refert [14]. Summi Pontifices a Sergio I (687-701) usque ad Stephanum V (885-891) ante elevationem ad Sedem apostolicam erant aut diaconi, aut presbyteri; nullus erat diaconus et presbyter. Ordinati ergo sunt episcopi tum diaconi tum presbyteri. Ab Hadriano I (772-795) usque ad Stephanum V. omnes erant subdiaconi. Quoad ordines infra subdiaconatum: de Stephano II (752-757) dicitur « singillatim per ecclesiasticos ordines promoventes », et de Valentino (827) « per ecclesiasticos gradus »; isti ergo videntur recepisse omnes ordines usque ad diaconatum (non erant presbyteri). Sergius II dicitur fuisse acolythus. Apud reliquos de his ordinibus nihil dicitur. Unde Lungkofler (pag. 17) concludit, prudenti sensu practico Romae eo tempore ordines, qui nullum iam habebant realem valorem, dimissos esse; sequentibus vero temporibus, (sub influxu, qui e regionibus septemtrionalibus venit) paulatim ortam esse praxim, quae nostris temporibus adhuc viget (pag. 19).

101. Isidorus Hispalensis († 636) *Etymologiarum* lib. 7 cap. 12: « Generaliter autem clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt, quorum gradus et nomina haec sunt: Ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter et episcopus » (ML 82, 290).

102. *De ecclesiasticis officiis,* lib. 2 cap. 1: « Itaque omnes, qui in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt, generaliter clerici nominantur » (ML 83, 777).

Cap. 5 de sacerdotio, nr. 9: « Quod vero per manus impositionem a praecessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordinentur, antiqua institutio est» (iam in Vetere Testamento, Dominus apud Luc 24 ante ascensionem, Act 13. ML 83, 782). Nr. 10: « Quod autem a trigesimo anno sacerdos efficitur, ab aetate scilicet Christi sump-

---

[14] J. M. Lungkofler, *Die Vorstufen zu den höheren Weihen nach dem Liber Pontificalis.* Zeitschrift für kath. Theologie 66 (1942) 1-19.

tum est, ex qua idem Christus orsus est praedicare» (783). Nr. 11: «Porro quod episcopus non ab uno, sed a cunctis comprovincialibus episcopis ordinatur, id propter haereses institutum agnoscitur, ne aliquid contra fidem ecclesiae unius tyrranica auctoritas moliretur. Ideoque ab omnibus convenientibus instituitur, aut non minus quam a tribus praesentibus, caeteris tamen consentientibus testimonio litterarum» (783). Nr. 12: «Huic autem, dum consecratur, datur baculus, ut eius indicio subditam plebem vel regat vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur et annulus propter signum pontificalis honoris vel signaculum secretorum ...» (783 s.).

103. Cap. 6 de chorepiscopis: «Chorepiscopi, id est, vicarii episcoporum, iuxta quod canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum septuaginta virorum, tamquam consacerdotes propter sollicitudinem pauperum. Hi in villis et vicis constituti gubernant sibi commissas ecclesias, habentes licentiam constituere lectores, subdiaconos, exorcistas, acolythos; presbyteros autem aut diaconos ordinare non audeant, praeter conscientiam episcopi, in cuius regione praeesse noscuntur; hi autem a solo episcopo civitatis cui adiacent, ordinantur» (ML 83, 786 s.).

104. Cap. 7 de presbyteris: «Presbyterorum ordo exordium sumpsit (ut dictum est), a filiis Aaron. Qui enim sacerdotes vocabantur in Veteri Testamento, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri, et qui nuncupabantur principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur ... His enim, sicut episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Praesunt enim ecclesiae Christi, et in confectione divini corporis et sanguinis consortes cum episcopis sunt, similiter et in doctrina populorum et in officio praedicandi. Ac sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio et consecratio servata est, ne a multis ecclesiae disciplina vendicata concordiam solveret, scandala generaret. Nam Paulus apostolus eosdem presbyteros, ut vere sacerdotes, sub nomine episcoporum ita asseverat, loquens ad Titum: Huius rei inquit, gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per ci-

vitates presbyteros ... Unde et ad Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi scribens (1 Tim 3), de presbyteris omnino tacuit, quia eos in episcoporum nomine comprehendit. Secundus enim primo coniunctus gradus est ...» (787 s.).

105. Cap. 8. De diaconis: « Exhinc (Act 6) iam decreverunt apostoli vel successores apostolorum, per omnes Ecclesias septem diaconos, qui sublimiori gradu caeteris proximi circa aram Christi, quasi columnae altaris assisterent, et non sine aliquo septenarii numeri mysterio. Hi sunt enim, quos in Apocalypsi legimus septem angeli tubis canentes. Hi sunt septem candelabra aurea. Hi voces tonitruorum. Ipsi enim clara voce in modum praeconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendis genibus, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendis, ipsi etiam, ut aures habeamus ad Dominum, acclamant, ipsi quoque evangelizant, sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est; illi orare, huic psallere mandatur; ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter praesumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a diacono ... » (789).

106. Cap. 10 De subdiaconis: « Subdiaconi, qui apud Graecos hypodiaconi vocantur, in Esdra (1 Esdr 8, 20) inveniuntur appellanturque ibi Nathinaei ... Isti oblationes in templo Domini suscipiunt a populis, isti obediunt officiis levitarum, isti quoque vasa corporis et sanguinis Christi diaconibus ad altaria Domini offerunt. De quibus quidem placuit Patribus ut, quia sacra mysteria contrectant, casti et continentes ab uxoribus sint ... Illi igitur, cum ordinantur, sicut sacerdotes et levitae, manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantum et calicem de manu episcopi, et ab archidiacono scyphum aquae cum aquaemanili et manutergium accipiunt » (790 s.).

107. Cap. 11 De lectoribus. « Lectorum ordo formam et initium a prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum Dei

praedicant, quibus dicitur: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (Is 58). Isti quippe, dum ordinantur, primum de eorum conversatione episcopus verbum facit ad populum. Deinde coram plebe tradit eis codicem apicum divinorum ad Dei verbum annuntiandum. Qui autem ad huiusmodi provehitur gradum, iste erit doctrina et libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, ita ut in distinctionibus sententiarum intelligat, ubi finiatur iunctura, ubi adhuc pendet oratio, ubi sententia extrema claudatur » (791).

108. Cap. 12 De psalmistis: « Ex hoc veteri more (scl. in V. T.) ecclesia sumpsit exemplum nutriendi psalmistas, quorum cantibus ad effectum Dei mentes audientium excitentur ... Solent autem ad hoc officium etiam absque scientia episcopi, sola iussione presbyteri, eligi quique, quos in cantandi arte probabiles esse constiterit » (792).

109. Cap. 13 De exorcistis. Comparat exorcistas cum actoribus templi (1 Esdr 2), qui reficere debebant, quae in aedificio templi vexata erant. « Ergo actores templi exorcistae sunt in populo Dei; quomodo enim actor prudens et bonus scit quis sit domini sui census, et omnis substantiae modus, et redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia, sic et exorcista redigit in suam diligentiam totius regni Domini secreta, ut memoriae mandet de Scripturarum sacramentis, unde exercent donum, quod illi est a Spiritu sancto concessum; secundum apostoli praeconium. Exorcistas enim memorat apostolus, cum dicit: Numquid omnes habent donationes sanationum? (1 Cor 12, 30). Hi enim, cum ordinantur, sicut ait canon, accipiunt de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos » (793).

110. Cap. 14 De acolythis. « Acolythi Graece, Latine ceroferarii dicuntur, a deportandis cereis, quando legendum est evangelium, aut sacrificium offerendum ... » (793).

111. Cap. 15 De ostiariis. « Ostiarii sunt qui in V. T. ianitores templi vocabantur... Hi denique inter sanctum et iniquum discernentes, eos tantum in ecclesia qui sunt fideles recipiunt. Intrare enim templum, nisi per hos non possumus; habent enim potestatem tam bonos recipiendi, quam reiciendi indignos » (794). De ordinatione acolythorum et ostiariorum nihil dicit.

112. Qualis Romae fuerit ritus conferendi ordines, apparet ex Ordine Romano VIII et IX (saec. 8/9; « Pontificale » in ecclesia Romana ante saeculum 10 non habetur) [15].

Ordo Romanus IX de ritu inferiorum ordinum nihil dicit. De diacono et presbytero: Finita litania « Surgentes autem ab oratione, pontifex stat in sede sua, singillatim imponens manus capitibus eorum et benedicit eos. Accedens autem archidiaconus tollit orarios de confessione (scl. sancti Petri), qui de hesterna die repositi sunt ibi, imponit super eos, et pontifex induit eos planetis, et stant induti ... et complentur Benedictiones eorum qui presbyteri ordinantur » (ML 78, 1005). De episcopis: « ... et canunt litaniam. Et tunc accedit (ordinandus) propius ad altare subniso capite. Pontifex vero ponet manus super caput eius et dicit unam orationem in modum collectae, alteram eo modulamine quo solet contestata (praefatio) cantari, et sedet pontifex in sella sua. Ipse vero osculatur pedem eius, et suscipitur ad pacem, et sic consummatur consecratio illius» (ML 78, 1006).

113. Ordo Romanus VIII de ordinatione acolythi: « Dum venerit episcopus aut ipse domnus apostolicus ad communicandum, faciunt eum (ordinandum) venire ad se, et porrigit in ulnas eius sacculum (in quo ante communionem deponebantur oblata, quae a diacono super patenam, quam tenebat subdiaconus, frangebantur; cf. Ord. Rom. I, II, III) super planetam; et prosternit se in terram

---

[15] « Le Pontifical, ou Livre des cérémonies normalement réservées à l'évèque, ne fut connu à Rome qu'au X siècle, après l'abandon de l'ancien rit indigène. Il venait d'outre-monts ». Ita M. Andrieu, *Le Pontifical Romain au Moyen-Age.* Tom. I: *Le Pontifical Romain du XII siècle.* Studi e Testi 86. Città del Vaticano 1938 pag. 3.

cum ipso sacculo, et dat ei orationem sic: Intercedente beata et gloriosa semperque virgine Maria, et beato apostolo Petro, salvet et custodiat et protegat te Dominus. Amen » (ML 78, 1000 s.).

Subdiaconus; « Porriget ei archidiaconus vel episcopus calicem sanctam in ulnas foras planeta; et se in terram prosternet, et dat ei orationem ut supra diximus » (ML 78, 1001).

Diaconus: « expleta litania surget a terra et statim dat ei orationem consecrationis » (ML 78, 1001).

Presbyter: « Si vero voluerit eum consecrare ibi ipsum presbyterum tenens eum archidiaconus ... et ducit ad episcopum. Et tunc aliam illi dans orationem, consecrat eum presbyterum » (ML 78, 1001).

Episcopus: Inter plures interrogationes, quae ordinando proponuntur, et haec invenitur: « Quo honore fungeris? Respondet diaconi aut presbyteri, vel quod est » (ML 78, 1002), unde apparet non solos presbyteros ordinatos esse episcopos. De ipso ritu: « Completa litania surgunt et tunc benedicent eum » (ML 78, 1004).

114. Orationes dicendae inveniuntur in « Sacramentariis ». Sacramentarium Gelasianum et Gregorianum in forma sua primitiva Romana (postea plura addita vel inserta sunt) nihil habent de ordinibus inferioribus. Pro ordinatione episcopi, presbyteri, diaconi Gelasianum praebet trinas orationes, quae hodie adhuc in usu sunt. Cum illae in Pontificali Romano inveniantur, hic solum exhibentur initia et indicantur mutationes maioris momenti.

Pro diacono; « Oremus dilectissimi »; nunc: « Oremus, fratres charissimi » sed plura huic orationi nunc addita sunt. « Exaudi Domine preces nostras »; nunc *post* ordinationem: « Exaudi Domine ». « Consecratio. Adesto quaesumus omnipotens Deus »; hodie « praefatio », quae nunc in duas partes divisa est, et post primam partem inseritur impositio manus cum verbis « Accipe Spiritum sanctum ».

Pro presbytero: « Oremus, dilectissimi »; hodie: « Oremus fratres charissimi ». « Exaudi nos quaesumus »; hodie: « Exaudi nos quaesumus ». « Consecratio: Domine sancte Pater omnipotens »; hodie « praefatio ».

Pro episcopo: « Adesto supplicationibus nostris »; hodie Collecta quae cum collecta diei coniungitur. « Propitiare Domine »; hodie post impositionem manuum. « Consecratio: Deus honorum »; hodie « praefatio », quae nunc in duas partes divisa est et post primam partem insertum Veni Creator, unctio capitis cum propria formula.

Pro ritu ergo colligi posse videtur: Usque ad saeculum 9 vel 10 in Ecclesia Romana pro ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi ritus est impositio manuum.

115. Rabanus Maurus († 815), *De clericorum institutione*, lib. 1 cap. 4 enumerat octo gradus ecclesiasticos: « Ostiarius, psalmista sive lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter atque episcopus » (ML 107, 299). Apostolis decedentibus successerunt episcopi. « Quod vero per manus impositionem a praedecessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordinantur, antiqua est institutio ... Impletor legis et prophetarum Dominus noster Iesus Christus, per manus impositionem apostolis suis benedixit, sicut in evangelio Lucae scriptum est: Et produxit illos foras in Bethaniam, et elevavit manus suas et benedixit eis. Factumque est cum benedixit illis, discessit ab eis, et ipsi reversi sunt in Ierusalem cum gaudio magno (Luc 24, 51 s.). Et in Actibus apostolorum ex praecepto Spiritus sancti Paulo et Barnabae ab apostolis manus imposita est in episcopatum, et sic missi sunt ad evangelizandum (Act 13, 3). Porro quod episcopus non ab uno, sed a cunctis provincialibus episcopis ordinatur, id propter haereses agnoscitur institutum, ne aliquid contra fidem ecclesiae, unius tyrannica auctoritas moliretur. Ideoque ab omnibus convenientibus instituitur, ut non minus a tribus praesentibus, caeteris tamen consentientibus testimonio litterarum. Huic autem dum consecratur datur baculus, ut eius indicio subditam plebem vel regat vel corrigat vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur et annulus propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum » (300). Cap. 6: De presbyteris. « Apud veteres idem et episcopi et presbyteri fuerunt. Quia illud nomen dignitatis est, hoc aetatis ... Ideo autem presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut episcopi, id est, in confectione divini

corporis et sanguinis, et in baptismate, et in officio praedicandi. Sed licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quod nec chrismate frontem signant, nec paracletum spiritum dant, quod solis episcopis deberi lectio Actuum apostolorum demonstrat; nec ordinare clericos in sacris ordinibus possunt, quod episcopis propter unitatem et concordiam reservatur » (302). Cap. 8: de diaconis. « In novo autem testamento apostoli septem diaconos propter sacramentum eiusdem numeri ordinaverunt ad ministerium sacrum et officium altaris, qui leguntur etiam et praedicasse et baptizasse non paucos ... Ipsi quoque evangelizant. Sine his sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter praesumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a diacono. Levitae offerunt oblationes in altaria ... » (303). Cap. 7: De subdiaconis. « Hi ergo cum ordinantur non suscipiunt manus impositionem sicut sacerdos et Levitae, sed patenam tantum et calicem de manu episcopi, et archidiaconi scyphum aquae cum aqua, mantile et manutergium » (304). In sequentibus capitibus agit de acolythis, exorcistis, lectoribus, ostiariis.

116. Amalarius († ca 850), *De ecclesiasticis officiis*, lib. 2 cap. 6: De ordinibus sacris, quos nostri episcopi consueto more frequentant. « Primo notandum est, eos ordines qui potissimum necessarii sunt in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse, et eorum mores depinxisse, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet sine sacerdote et diacono. Ut sine retractatione sacerdos vigilet circa hostias, necessarius est diaconus ad ministrandum ea, quae necessaria sunt sacerdoti: caeteri ordines his adiecti sunt. Crescente ecclesia, crevit officium ecclesiasticum: ut multitudini ecclesiae subveniri posset adiiciuntur inferiores in adiutorio praepositorum. Unde Ambrosius in tractatu epistulae ad Timotheum: illud vero dictis nostris adici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque subdiaconorum neque lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur: illis etenim gradibus functionum, qui in ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt

adiecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitavit. Unde nec ordinationem ante altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur, sed alii quidem eorum, lectionum officium implent, alii vero intra diaconium illa praeparant, quae ad diaconi pertinent ministeria, nec non sollicitudinem implent luminariorum. Nam mysterii ministerium presbyteri soli implent et diaconi: alii quidem eorum sacerdotale opus implentes, alii vero sacris ministrantes (vide Theod. Mops. supra nr. 82). Iuxta verba Ambrosii intelligimus subiectos ordines diacono et presbytero non debere ordinationem accipere circa altaria; nec quando episcopus prosternitur ante altare, debere secum prosternere alios, nisi eos, qui provehendi sunt ad sacerdotale ministerium vel ad diaconatus officium ... » (ML 105, 1082 s.). Deinde agit de ostiariis, lectoribus, exorcistis, acolythis. Apud subdiaconos notat: « Miror, qua de re sumptus usus in ecclesia nostra, ut subdiaconus frequentissime legat lectionem ad missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo » (1086). Subdiaconus debet ministrare diacono. « Nam primaevo tempore diaconus non legebat evangelium, quod nondum erat scriptum. Sed postquam statutum est a patribus nostris, ut diaconus legeret evangelium, statuerunt, ut et subdiaconus legeret epistolam sive lectionem » (ibid.).

117. Cap. 12 de diaconis. Postquam citavit verba Act. Apost. (6, 6) « Hos statuerunt ante conspectum apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus » pergit: « Et libellus quidam apud nos de sacris ordinibus nescio cuius auctoris, qui dicit, solum episcopum debere manus imponere super diaconum, quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Numquid scriptor libelli doctior atque sanctior apostolis? qui posuerunt plures manus super diaconos quando consecrabantur, et propterea solus episcopus ponat manum super diaconum, ac si solus posset precari virtutem gratiarum, quam plures apostoli precabantur? ... Optimum est bonos duces sequi, qui certaverunt usque ad plenam victoriam » (1087). Postea: « Additur unum ministerium diaconi, id est, ut legat evan-

gelium quod in primo tempore non legebatur, quando Stephanus fuit factus diaconus. Ut opinor, nondum erant evangelia scripta » (1088).

118. Cap. 13 de presbyteris. « Presbyteri deputantur in loco filiorum Aaron. Scriptum est in libro Numerorum. Haec nomina filiorum Aaron sacerdotum, qui uncti sunt, quorum repleta est consecratione manus, ut sacerdotio fungerentur. Hunc morem tenent episcopi nostri, manus presbyterorum ungunt de oleo. Manifestum est, cur hoc faciant, ut mundae sint ad offerendam hostiam Deo, et largae ad cetera officia pietatis. Utrumque designatur per oleum et gratia curationis, et charitas dilectionis» (1088 s.). « Ipsi enim quando consecrantur, manus impositionem accipiunt » (1089). Deinde ostendit ex Hieronymo et Ambrosio initio eosdem vocatos esse presbyteros et episcopos. « Et exponit (scl. Hieronymus), cuius constitutione episcopus sit constitutus, tractatu super Titum dicens: Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiae consuetudine ei qui sibi praepositus fuerit esse subiectos: ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in commune debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus praeesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. De iisdem septuaginta mentio facta est in consecratione presbyteri, dicendo, ut cum pontifices summos regendis populis praefecisset, ad eorum societatis et operis adiumentum sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres: sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentem, Moysis spiritum propagasti, et reliqua » (1091).

119. Cap. 14 de pontifice. « Pontificem Aaron praefigurat in sua unctione, de quo scriptum est in Levitico: Sanctificavit oleum Moyses, quod fundens super caput Aaron, unxit eum et consecravit » (1091). « Additur etiam ad consecrationem eius infusio olei super caput » (1092). « Vicarius Christi pontifex efficitur: ideo in capite ungitur. Caput nostrum Christus. Caput nostrum unctum est oleo invisibili: episcopus, quia vicarius Christi est, in capite ungitur: ab illo enim significatur se accipere hanc unctionis gratiam,

qui caput est totius corporis » (1092). « Dicit libellus, secundum cuius ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo episcopi teneant Evangelium super caput eius, quod neque vetus auctoritas intimat, neque apostolica traditio, neque canonica auctoritas. Potest tamen evangelii positio super caput monere tenentes, ut quo Dominus idem evangelium firmet in corde eius, deprecentur, aut ut moneant eum qui consecratur, recordari se amplius esse sub iugo evangelii, quam foret » (1092 s.). (Contra hunc usum etiam Ps.-Alcuin, De divinis officiis cap. 37. ML 101, 1237).

120. Yvo Carnotensis († 1116). *Sermone* 2, explicat officium et ritum singulorum ordinum et ostendit, qua occasione Dominus ipse eos exercuerit. De diacono: « Hic ordo in Novo Testamento ab apostolis initium sumpsit, quando sicut legitur in Actibus apostolorum, septem viros boni testimonii plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt, et oratione praemissa, manus eis imposuerunt. Exinde apostoli et eorum successores decreverunt, ut in omni matrice (matre) ecclesia septem diaconos circa aram Christi sublimiori gradu tamquam columnae altaris assisterent » (ML 162, 516 s.). Ante ordinationem examinari debent, si digni sunt (517). Ritus ordinationis: « Hi cum ordinantur, solus episcopus eis manus imponit, quia ad ministerium, non ad sacerdotium applicantur. Ponitur eis orarium ab episcopo super sinistrum humerum, ut per hoc agnoscant se accepisse iugum Domini, quo omnia quae ad sinistram, id est praesentem vitam pertinent, et premant, et iugo Domini subiciant. Accipiunt et textum evangeliorum de manu episcopi, per quod intelligant se debere esse praecones evangelii » (518).

121. De presby'ero: « Presbyterorum ordo a filiis Aaron sumpsit exordium, qui cum episcopis in pluribus commune habent officium: et qui nunc presbyteri vocantur, tunc sacerdotes vocabantur, et qui nunc sunt pontifices, tunc dicebantur sacerdo'um principes. Distat autem hoc tantum inter pontifices et huius temporis sacerdotes, quia scilicet solis pontificibus addita est clericorum

ordinatio, basilicarum dedicatio, chrismatis consecratio, et manus impositio, et communis super populum benedictio: cum in aliis sacramentis, catechizandi, missam celebrandi, in ecclesia verbum faciendi ad populum, communis utriusque sit dispensatio. Sed summis sacerdotibus ea quae praetaxavimus, idcirco reservata sunt, ne eadem potestatis auctoritas, ab omnibus vindicata, insolentes redderet et soluto obedientiae vinculo, scandalum generaret » (518). Ritus ordinationis: « Hi cum ordinantur, episcopo eos benedicente, et manum super capita eorum tenente, omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manum episcopi super capita eorum levant, et Spiritum sanctum super eos qui ordinantur, invocant: hi post invocationem sancti Spiritus, stolam super utrumque humerum accipiunt, quae in modum sustentaculorum dextrum latus munit et sinistrum; ut per hoc intelligant se per arma iustitiae a dextris et a sinistris esse munitos, ut eos nec adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino et patenam cum hostia de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem accipiant placabiles hostias Deo offerendi » (519). *Serm.* 3: « Unguntur praeterea manus presbyteris et episcopis, ut cognoscant se in virtute sancti Spiritus hoc sacramento gratiam consecrandi accipere, et opera misericordiae erga omnes pro viribus exercere debere. Episcopo vero spcialiter caput ungitur, ut intelligat se esse illius vicarium, de quo dicitur in psalmo: Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis (Ps 44, 8). Accipiunt hac unctione claves regni coelorum ut quaecumque ligaverint super terram, sint ligata et in coelis, et quaecumque solverint super terram, sint soluta et in coelo (Matth. 18, 18) et quorum peccata detinuerint, sint detenta, et quorum peccata dimiserint sint dimissa (Io 20, 23) » (526).

122. In fine saeculi 8. Hadrianus I papa Carolo Magno, qui ritum in suo regno vigentem adaequare voluit ritui Romano, sacramentarium Gregorianum transmisit. Non autem purum Gregorianum ibi transiit in usum, sed statim ei coniuncta sunt plura ex usibus iam exsistentibus. Haec primo ab Alcuino († 804) addita sunt

distincta in appendice; postea vero in textum ipsius sacramentarii Gregoriani inserta sunt [16].

Incommodum vero erat, ritus et functiones ex una parte et orationes dicendas ex altera parte in distinctis libris contineri. Propterea coeptum est, a saeculo 9 in eodem libro colligere ritus et orationes. Quae in his libris inveniuntur, partim ex sacramentariis et ordinibus Romanis, partim ex ritibus in his regionibus iam exsistentibus desumpta erant. Andrieu apte hos libros vocat « *Pontificale Romano-Germanicum saeculi 10* ». Ostendit hoc Pontificale praxim, quae eo tempore in his regionibus vigebat. Hoc autem non significat omnes ritus non Romanos in ipsis his regionibus primo ortos esse; plures sunt antiquae traditionis gallicanae. Inquisitio de prima origine singulorum rituum non Romanorum adhuc desideratur. Pontificale Romano-Germanicum saeculi 10., speciatim illa forma, quae brevi post 950 Moguntiae orta est, brevi tempore maximam diffusionem invenit, etiam in Italia et in ipsa Roma. « La cité apostolique avait, depuis la fin du IX siècle, laissé dépérir la vie liturgique dans ses basiliques et ses monastères. Tout était à recréer. Lorsque le Pontifical d'empire fut révélé aux clercs romains soucieux de restauration religieuse, ils adoptèrent d'emblée, sans se douter peut-être qu'ils brisaient à jamais avec la tradition de leur propre Église » [17]. Primo retinebatur Pontificale Romano-Germanicum in sua forma primitiva; paulatim vero, a medio saeculo 11., plura addita sunt, et saeculo 12. omnino reformatum est.

123. Ita ortum est « *Pontificale Romanum saeculi XII* », quod recenter edidit M. Andrieu (vide notam 15 ad nr. 112), typis distinguens ea, quae cum « Pontificali Romano-germanico saeculi X »

---

[16] Fortasse superfluum non est notare, ea quae ad ordinationes spectant, parvam solum partem esse eorum, quae in Ordinibus et Sacramentariis continentur.

[17] M. Andrieu, *Le Pont. Rom.* I, 5. Pro hac historia cf. etiam M. Andrieu, *Les ordres mineurs dans l'ancien rit Romain*, Revue des sciences religieuses 5 (1925) 232-274. Th. Klauser, *Die liturgischen Austauschbeziehungen zwischen der römischen und der fränkisch-deutschen Kirche vom achten bis zum elften Jahrhundert.* Historisches Jahrbuch 53 (1933)

conveniunt, ab iis quae Romae saeculo 12. addita sunt. Nulla differentia notabilis in ordinationibus ostiarii, lectoris, exorcistae, acolythi [18], subdiaconi, nisi quod in fine ordinationis subdiaconi additur: « Hac oratione finita tradat ei episcopus manile et tunicam, si para'am habuerit, dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen ».

124. In sequentibus exhibetur breviter ritus ordinationis diaconi, presbyteri, episcopi, uti in hoc Pontificali Romano invenitur. Ea notantur, quae saeculo 12. Romae addita sunt iis, quae in Pontificali Romano-Germanico iam habebantur. Quae autem in Pontificali Romano-Germanico et consequenter in Pontificali Romano conveniunt cum iis, quae in antiquis Sacramentariis et Ordinibus Romanis inveniuntur, statim apparet, si prae oculis habentur ea, quae supra exposita sunt.

125. In ordinatione diaconi habetur impositio manus episcopi; deinde « Commune votum »; « Oremus dilectissimi », « Adesto quaesumus omnipotens Deus ». Post hanc praefationem: traditio stolae, traditio libri evangeliorum sub verbis: « Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Amen». Sequitur oratio: « Exaudi, Domine ». Haec omnia ut in Pontificali Romano-Germanico. Additur deinde traditio dalmaticae.

168-189. De conditionibus Ecclesiae Romanae in fine saec. 9. et saeculo 10., quibus explicatur receptio Pontificalis Romani-Germanici vide M. Andrieu, *Les Ordines Romani du Haut Moyen Age.* I, Louvain 1931, 511 ss. Idem pag. 548 dicit: « Le pontifical romano-germanique marque la fin des fluctuations et des luttes d'influences; les usages qu'il enregistre ne varieront guère dans l'avenir. Le cérémoniel, dont s'enveloppe depuis des siècles la liturgie catholique-romaine, possède déjà, dans le livre rhénan, tous ses traits essentiels ».

[18] Ita mutatus est antiquus ritus Romanus ordinandi acolythum, et simul apparet eius officium mutatum (vide supra nr. 91; 113). Abhinc etiam in ecclesia Romana acolythus est imprimis ceroferarius.

126. Ordinatio presbyteri: Impositio manus episcopi et presbyterorum. Deinde « Oremus dilectissimi », « Exaudi nos quaesumus », praefatio: « Honorum datur ». Qua finita « reflectat orarium super humerum dextrum, dicens ad eum: Accipe iugum Domini. Iugum enim eius suave est et onus eius leve. Hic vestiat eum casula dicens: Stola innocentiae induat te Dominus ». Deinde « Deus sanctificationum omnium auctor ». « Expleta autem oratione, accipiens oleum faciat crucem super manus ambas, dicens: Consecrare et sanctificare digneris Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quaecumque consecraverint consecrentur, et quaecumque benedixerint benedicantur in nomine Domini nostri Iesu Christi. Hoc facto accipiens patenam cum oblatis et calicem cum vino det ei dicens: Accipite potestatem offerre sacrificium Deo missamque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini ». Haec omnia ut in Pontificali Romano-germanico. Deinde additur traditio annuli, si presbyter est cardinalis. Sequitur benedictio, uti in Pontificali Romano-germanico et nunc quoque in Pontificali ante Postcommunionem.

127. Ordinatio episcopi. Ante ordinationem plura addita sunt, ex antiquis Ordinibus Romanis; ubi notandum est Responsum ad interrogationem: Quo honore fungeris? esse solum: Presbyteratus. Examinatio ut in Pontificali Romano-germanico, post quam pauca adduntur, quae autem ad ritum ordinationis non spectant. Finitis litaniis: « Ut autem surrexerint, duo episcopi ponunt et tenent evangeliorum codicem super cervicem eius et inter scapulas clausum et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui assunt, manibus suis caput eius tangant, et dicit ordinator: Propitiare Domine ... »; et sequitur praefatio. Post verba: « caelestis unguenti rore sanctifica »: « Hic mittit chrisma in caput eius in modum crucis: Ungatur et consecretur caput tuum caelesti benedictione in ordine pontificali. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Resp. Amen. Pax tibi. Resp. Et cum spiritu tuo ». Sequitur altera pars praefationis; qua finita omnes respondent: Amen. « Completa benedictione confirmat (manum et) pollicem (consecrat) cum

chrismate dicens: Deus et pater Domini nostri Iesu Christi »[19] uti nunc in Pontificali. Deinde datur baculus, annulus, cum respectiva formula. Haec omnia uti in Pontificali Romano-germanico. Post haec additur: « Tunc ei det apostolicus librum evangeliorum ita dicendo: Accipe evangelium et vade praedica populo tibi commisso. Potens est enim Deus augere tibi gratiam. Qui vivit. Amen ». Quae sequuntur, non iam ad ipsum ritum spectant[20].

128. Saeculo 13. in curia Romana in usu erat Pontificale, cuius prior forma secundum Andrieu orta est initio saeculi 13, et forma longior orta secunda parte eiusdem saeculi. Hoc Pontificale manebat in usu curiae Romanae saeculo 14[21]. In ordinatione diaconi nulla invenitur differentia notabilis a Pontificali Romano saeculi 12. In ordinatione presbyteri longior forma post impositionem manuum

---

[19] Verba « manuum et », « consecrat » addita sunt.

[20] Romae saeculo 9 ignotam fuisse unctionem manuum in ordinatione prebyteri apparet ex epistula Nicolai I ad Rodulphum archiepiscopum Bituricensem (864): « Praeterea sciscitaris, utrum solis prebyteris, an et diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquori perungi. Quod in sancta hac Romana, cui Deo auctore servimus, ecclesia neutris agitur. Sed et quia sit a novae legis ministris actum, nusquam nisi nos fallat oblivio, legimus. Ergo ad beati Innocentii papae canonica decreta sanctitatem tuam transmittimus: et quae tibi in consecrationibus et ordinationibus observanda, principia paginae ad Decentium Eugubinum episcopum missae affatim edocebunt » (Msi 15, 882). Unctio manuum in ordinatione presbyteri Romae primo apparet initio saeculi 10, in aliqua « réédition gallicanisée de l'ordre VIII » (Andrieu, Revue d'Hist. Eccl. 26, 1930, 252). Et in ordinatione episcopi ibidem dicitur: « Qua (oratione scl. Deus bonorum omnium) expleta (domnus apostolicus) consecrat ei manus, si nondum habuit consecratas, ordine quo supra (scl. in ordinatione presbyteri) praefiximus ». Post receptionem vero Pontificalis Romani-Germanici Romae habetur specialis unctio manuum in ordinatione episcopi. De vicissitudinibus ritus unctionis in ordinatione vide G. Ellard, S. I. *Ordination Anointings in the Western Church before* 1000 *A. D.* Cambridge, Massachusets 1933 (cf. Andrieu, Revue des sciences religieuses 14, 1934, 625-627).

[21] M. Andrieu, *Le Pont. Rom.* tom II: *Le Pontifical de la Curie Romaine au XIII siècle.* Studi e Testi 87. Città del Vaticano 1940.

addit: « Et ille (scl. episcopus) dat sine mitra orationem super eum, tenens manus elevatas sicut quando dicuntur orationes in missa, et omnes alii sacerdotes similiter » (pag. 344 s.), et deinde sequuntur « Praefatio: Oremus dilectissimi », « Oratio: Exaudi nos quaesumus », « Praefatio: honorum dator ». Ergo episcopus, quando dixit istas orationes, non extendit manus super ordinandum (ne inter primam quidem orationem), sicut hodie fit, quem ritum aliqui habent pro continuata quadam manuum impositione. Quoad verba vero « et omnes alii sacerdotes similiter » una exsistit lectio varians, quae habet: « Quando episcopus incipit orationem ad benedicendum sacerdotem, presbyteri, qui primo tangebant caput, debent elevare manus suas ita quod non tangant caput ordinandi, sed teneant eas suspensas super caput eius » (pag. 345, 18); notandum autem, hoc dici de presbyteris, non de episcopo ordinante. In uno manuscripto corrector in margine ritum ita describit: « Postea (id est post verba « Commune votum ... Praestante Domino ») episcopus imponat manum super singulos dicens secreto: Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata, remissa sunt, et quorum retinueris retenta sunt. Quo singulis facto, teneat episcopus manus super eos et dicat in generali et non secreto: Accipite Spiritum sanctum ... retenta sunt. Tunc omnes presbyteri astantes imponant manum super illos et dicat (scl. episcopus) sine mitra » (pag. 342, 39). Codex in quo haec inveniuntur, scriptus est saeculo 14, ad usum ipsius curiae (pag. 147).

129. Praeterea in hoc Pontificali ante unctionem manuum presbyteri inseritur hymnus « Veni Creator Spiritus » (pag. 346). In ordinatione episcopi vero hic hymnus nondum insertus est; sed in uno codice manu saeculi 15 notatur: « Antequam ungatur, dicatur hymnus Veni creator spiritus, Vers. Emitte spiritum tuum et creabuntur, Resp. Et renovabis faciem terrae. Oremus. Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo, quem in tuo nomine consecraturi sumus in eodem spiritu recta sapere et de eius semper participatione gaudere. Per. » (pag. 360).

130. Inter annos 1293 et 1295 *Guilelmus Durandus*, episcopus Mimatensis Pontificale composuit[22], proxime pro usu diocesis suae; tale illud voluit esse, quod communi usui servire possit (pag. 16 s.); et revera multa eius exemplaria scripta sunt. « En Avignon, dicit M. Andrieu, il fait bientôt une redoutable concurrence au Pontifical venu de Rome avec la Curie » (pag. 17). Magis magisque Pontificale Curiae ex Pontificali Durandi hausit et transumpsit; cum autem ex mandato Innocentii VIII Pontificale Romanum typis imprimendum erat, editio haec facta est secundum Pontificale Durandi, quod eo tempore iam apud plures episcopos in usu erat. Haec editio est ex anno 1485. Clemens VIII, anno 1596 usum huius Pontificalis exclusivum praescripsit, et usum aliorum Pontificalium abolevit. *Pontificale Durandi factum erat Pontificale Romanum.*

131. In Pontificali Durandi ad ea, quae iam in Pontificali Romano saec. XII et in Pontificali Curiae Romanae saec. 13 habebantur, plura accedunt in ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi; sequentia notanda videntur.

132. In ordinatione diaconi: Oratio pro ordinando: « Exaudi quaesumus Domine » (pag. 358); « Admonitio. Provehendi dilectissimi filii » (pag. 359). Post verba: « Hic solus episcopus manus imponit super caput » additur: « cuiuslibet et nullus alius, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens. Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius » (pag. 361). In fine additur oratio: « Domine sancte, spei, fidei, gratiae » (pag. 363), quae omnia nunc quoque in Pontificali Romano inveniuntur.

133. In ordinatione presbyteri: « Admonitio. Consecrandi fratres mei, in presbyteratus officium ... Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. Resp. Amen. Post haec ordinator, nulla oratione nulloque cantu praemissis, imponit utramque manum super caput cu-

---

[22] M. Andrieu, *Le Pont. Rom.* tom. III: *Le Pontifical de Guillaume Durand.* Studi e Testi 88. Città del Vaticano 1940.

iuslibet ordinandi, singulis successive coram se genua flectentibus, idemque faciunt post eum tres aut plures sacerdotes ibi praesentes, cappis seu pluvialibus vel etiam planetis albis induti. Quo facto tam episcopus quam presbyteri tenent manus dextras super illos suspensas et episcopus dicit super eos hanc orationem » (scl. « Oremus dilectissimi »; pag. 366 s.). Secreta pro ordinatis: « Tuis quaesumus »; ante Agnus Dei solemnis benedictio; Responsorium: « Iam non dicam vos servos » (pag. 371). « Et dum cantatur responsorium, ipsi ante altare coram episcopo stantes profitentur fidem quam praedicaturi sunt, dicentes: Credo in unum Deum et cet. Quo dicto, episcopus imponit successive ambas manus super capita singulorum parum inclinata, dicens cuilibet: Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis et quorum retinueris retenta erunt ». Episcopus explicat casulam, ordinati promittunt obedientiam. « Instructio. Quia res quam tractaturi estis ». Postcommunio: « Quos tuis Domine » (pag. 372 s.). « Quo facto (id est post « Ite missa est ») vertit se ad ordinatos cum mitra et baculo et hortatur eos communiter ad bene vivendum, quodque diligenter considerent qualem ordinem susceperunt et quod orent pro eo et aliis quos voluerit, iniungens eis missas et alia quae viderit expedire, quod illi devote suscipiant et spondeant se facturos » (pag. 373). Sequitur benedictio, quae nunc habetur statim post instructionem « Quia res quam tractaturi estis ». Ritus in tradendo calice cum patena sic describitur: « Quo facto, tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia, et ipsi illa accipiunt inter indices et medios digitos utriusque manus, primo videlicet pedem calicis et post oram patenae » (pag. 370), cuius ritus exsecutio sine dubio facilior est, quam ligatis manibus cuppam calicis et patenam simul tangere.

134. In ordinatione episcopi plura addita vel mutata inveniuntur: Ipse consecrator ponit librum evangeliorum super caput ordinandi, et duo episcopi sustinent illum. « Tunc ordinator imponit utramque manum super caput illius dicens: Accipe Spiritum sanctum. Idemque faciunt et dicunt omnes episcopi, tam tenentes librum quam alii successive » (pag. 382). Praefatio dicitur « iunc-

tis manibus ante pectus» (nunc «extensis manibus ante pectus»). Post verba praefationis: «... unguenti rore sanctifica» sequitur: «Hic incipiat consecrator flexis genibus sequentiam «Veni sancte spiritus» (aliqui textus: hymnum Veni Creator Spiritus; pag. 383). Sequitur unctio capitis ita ut consecrator ungat et alii episcopi simul verba «Ungatur ...» dicant. Post alteram partem praefationis additur Antiphona «Unguentum in capite». Cum ea cantatur unguntur manus sub verbis: «Deus et pater»; verba «ungantur ...» nondum habentur (pag. 384). Additur benedictio baculi. Postquam communicaverunt: benedictio Mitrae eiusque impositio, ante Communionem et Postcommunionem (pag. 389). Post «Ite missa est» benedictio chirothecarum et earum impositio per episcopum vel per acolythos; deinde «Te Deum» (pag. 390 s.); antiphona «Firmetur», oratio «Deus omnium»; consecratus solemniter benedicit clerum et populum; et tandem promissio facta a consecrato, quae in multis similis est «Iuramento» quod nunc in initio, ante «Examen», habetur (pag. 391 s.). Ex quibus patet, in Pontificali Romano multa in ordinatione episcopi ex Pontificali Durandi desumpta esse.

135. Pro conclusione, haec fere colligi posse videntur, quae in ordinatione diaconi, presbyteri, episcopi in Ecclesia Romana maioris momenti sunt:

1) Ab initio invenitur in ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi impositio manus.

2) In pontificali Romano saeculi XII:

a) ex pontificali Romano-germanico saeculi X: In ordinatione diaconi: traditio libri evangeliorum sub verbis: «Accipe potestatem». In ordinatione presbyteri: unctio manuum; traditio patenae cum oblatis et calicis cum vino sub verbis: «Accipe potestatem». In ordinatione episcopi: Impositio libri evangeliorum super caput ordinandi; unctio capitis sub verbis: «Ungatur et consecretur»; unctio manuum cum oratione: «Deus et pater».

b) In hoc Pontificali Romae addita est in ordinatione episcopi: Traditio libri evangeliorum cum verbis: «Accipe evangelium».

3) In Pontificali Curiae Romanae saec. 13: In ordinatione presbyteri ante unctionem manuum hymnus « Veni Creator »; (in uno textu saec. 14, initio impositio manuum cum verbis: « Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata »).

4) In pontificali Durandi: in ordinatione presbyteri: in fine impositio manuum sub verbis: « Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata ». In ordinatione episcopi: In impositione manuum verba: « Accipe Spiritum sanctum »; ante unctionem capitis: « Veni sancte Spiritus » (vel « Veni Creator Spiritus »).

SECUNDA PARS

De exsistentia et numero ordinum

136. Ex textibus allatis constat, semper in ecclesia fuisse eos, qui habebant potestatem consecrandi et offerendi, remittendi peccata, administrandi sacramenta, id est « sacerdotes », et eos qui sacerdotibus ministrabant, diaconos; ad haec officia assumebantur speciali ritu. Apud Romanos status sive conditio hominum in civitate vocabatur ordo (ordo senatorius, equestris, plebeius). Idem terminus in ecclesia latina adhibebatur pro iis, qui statum vel specialem conditionem in ecclesia occupabant: ordo episcopatus, presbyteratus etc. Actus vero, vel ritus, quo quis in talem ordinem assumitur, vel quo talis ordo confertur, vocatur ordinatio.

137. Ab initio inveniuntur, sicut in *s. Scriptura*, nomina episcopi, presbyteri, diaconi. Postea, saeculo tertio, ad diversa ministeria plures destinabantur, qui ex officio illa ministeria praestare debebant. Ita officium lectoris primo invenitur apud *Tertullianum* (13). *Hippolytus* (14-17) describit praeter ordinationem episcopi, presbyteri et diaconi, ordinationem lectoris et subdiaconi, qui hoc loco primo nominatur; et cognoscit exorcistam. In *Didascalia* (20) enumerantur: episcopus, presbyter, diaconus, lector, subdiaconus. *Cornelius* papa (21): episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius. Iidem, excepto ostiario, inveniuntur apud *Cyprianum* (22). *Eusebius Caesareensis* (39): episcopus, presbyter, diaconus, lector, exorcista (conf. conc. Laodic. 42). Secundum *conc. Carthag. III* (53) pertinent ad Clerum etiam lectores, psalmistae et ostiarii. In *Constit. Apostol.* inveniuntur (54): episcopi, presbyteri, diaconi, lectores, cantores, ostiarii; praeterea subdiaconi (56), confessores (62), exorcistae (64). *Canones apos-*

tolorum (67): episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector, cantor. *Ordines, quos Christus exercuit* (68), nominantur: lector, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus. *Ambrosius* cognoscit (70) lectorem, psalmistam, exorcistam, diaconum, presbyterum, episcopum; non loquitur de subdiacono, acolytho, ostiario. *Ps.-Hieronymus* (81): fossor, ostiarius, lector, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus. *Testamentum D. N. Iesu Christi* (88): episcopus, presbyter, diaconus, presbytera, hypodiaconus, lector, diaconissa. *Statuta Ecclesiae Antiqua* (90): Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, psalmista. *Iustinianus* (97) praeter episcopum: presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores, ostiarii. *Gregorius Magnus* praeter episcopum, presbyterum, diaconum commemorat subdiaconum, acolythum, lectorem (non exorcistam, neque ostiarium). *Isidorus Hispalensis* (101): ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter, epicopus. Eosdem habet *Rabanus Maurus* (115; solum dicit: psalmista sive lector) et *Amalarius* (116), qui omittit psalmistam.

138. In Pontificali Rom.-Germ. saec. 10, et in Pont. Rom. saec. 12 praeter episcopatum, presbyteratum, diaconatum habentur subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus. Scholastici enumerant 7, 8 vel 9 ordines, prout episcopatum ut distinctum ordinem conumerant, vel eum omittunt, et prout psalmistam addunt vel omittunt. Septenarius numerus referebatur non raro ad septem dona Spiritus sancti, sicut nonarius ad novem choros angelorum. Theologi, qui Petrum Lombardum sequuntur enumerant septem, plures canonistae novem (GILLMANN, *Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakraments*. Paderborn 1920 pag. 9, 40, 80, 83, 85, 94).

Apud orientales plerumque 6 vel 5 ordines enumerantur: episc., presb., diac., subdiaconatus, lectoratus cum cantoratu (IUGIE. *Theologia dogmatica christianorum ab ecclesia catholica dissidentium*. Tom III, Parisiis 1930, 401; tom. V, 1935, 325; 740).

139. *Concilium tridentinum* sess. 23 cap. 2 (Denz 958) docet, cum sacerdotium sit divina res, consentaneum fuisse, ut plures et

diversi essent ministrorum ordines, qui ex officio sacerdotio inservirent; et sic praeter sacerdotes et diaconos, de quibus s. Litterae apertam mentionem faciunt, ab initio ecclesiae in usu fuisse « sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria », et enumerat ordines a subdiaconatu usque ad ostiariatum, uti habebantur et adhuc habentur in Pontificali Romano. Canone 2 anathemate damnat eum, qui dicit, praeter sacerdotium in ecclesia catholica non esse alios ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur (Denz. 962; similiter cap. 2).

140. Eo tempore practice exercitium ordinum infra presbyteratum non iam erat in usu; revera vix aliud erant, quam ingressus ad altiores gradus (cf. sess. 23 de Reformatione cap. 11). Voluit autem concilium functiones ordinum infra sacerdotium iterum in usum revocare, et propterea decrevit can. 17 de Reformatione: « Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tamquam otiosae traducantur, illius prisci moris restituendi desiderio flagrans, sancta synodus decernit, ut in posterum huiscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos praelatos ecclesiarum in Domino hortatur, et illis praecipit, ut, quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae dioecesis, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queant, huiusmodi functiones curent restituendas, et ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricae ecclesiae, si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent; quibus, si negligentes fuerint, Ordinarii iudicio aut ex parte mulctari, aut in totum privari possint. Quodsi ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent » (Conc. trid. 9, 627 s.). Mansit autem hoc decretum littera mortua, uti pra-

xis hodierna adhuc ostendit. Id quod clarissime apparet in ordine exorcistae, qui per legislationem ecclesiae ab exercitio sui ordinis excludi videtur. Nam Cod. iur. can. praescribit can. 1151 § 1: « Nemo, potestate exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legitime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit ». § 2: « Haec licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito ... ». Ordines intra presbyteratum in ecclesia latina hodie de facto sunt gressus vel transitus ad sacerdotium.

De differentia inter sacerdotes primi et secundi ordinis, eiusque origine.

141. Concilium tridentinum sess. 23 cap. 1-3 loquitur de « sacerdotio », non explicite distinguens inter episcopos et presbyteros, vel inter sacerdotes primi et secundi ordinis. Cap. vero 4 declarat « praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos (sicut idem Apostolus ait) a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent » (Denz. 960); et in canone 7: « Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem ... A. S. » (Denz. 967). Ergo constat, in hierarchia ordinis exsistere illam differentiam inter episcopos et presbyteros. Licet non explicite dicatur, in quo superioritas episcopi supra presbyterum ratione ordinis consistat, sufficienter tamen videtur indicatum esse, eam in eo vel consistere vel saltem cum eo cohaerere, quod episcopus confirmare, ordinare et alia peragere potest, quae potestas eis non est communis cum presbyteris (can. 7), qui harum functionum potestatem nullam habent (cap. 4).

Hanc autem potestatem habent omnes episcopi, non solum residentiales; unde haec potestas non videtur explicanda esse ex ea iurisdictione, quam episcopus ut residentialis habet, sed ex ipsa ordinatione episcopali, ita ut haec potestas ordinatione episcopali conferatur, ordinatione vero presbyterali non conferatur. Simplex presbyter proinde, exercens tales functiones, non solum illicite, sed invalide ageret.

142. Ex altera tamen parte constat, presbytero concedi posse, ut tales functiones valide et licite peragat. Hinc Decretum pro Armenis episcopum dicit ministrum ordinarium confirmationis (Denz 697), et similiter ministrum ordinarium sacramenti Ordinis (Denz 701). Concilium tridentinum episcopum dicit ministrum ordinarium sanctae confirmationis (Denz 873), non hoc dicit de sacramento ordinis. Cod. iur. can. can. 782: « Ordinarius confirmationis minister est solus episcopus. Extraordinarius minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit ». Can. 951: « Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi ». Ergo iure vel apostolico indulto simplici presbytero potestas, quam in ordinatione non accepit, concedi potest. Ergo ordinatione presbyterali non quidem confertur potestas confirmandi vel ordinandi, sed id confertur, quod requiritur, ut iure communi, vel indulto apostolico accedente, illas functiones iam valide exercere possit. Vel: vi solius ordinationis presbyteralis non potest nomine Christi, tamquam vicarius Christi actionem sacramentalem confirmandi vel ordinandi ponere; sed potest hoc, sine nova ordinatione, vel iure communi vel apostolico indulto. Potestas autem, quae sine dubio ad confirmandum et ordinandum requiritur, est potestas ordinis.

143. Presbyterum ratione ordinationis suae nullam habere potestatem confirmandi et ordinandi vario modo per se intelligi potest. Si supponitur, ordinatione presbyterali absolute nihil conferri in ordine ad confirmandum et ordinandum, ita ut iure vel indulto

apostolico simpliciter et primo haec potestas conferatur (etiamsi haec potestas solis presbyteris communicari possit), sine dubio simplex presbyter nullam habet potestatem confirmandi vel ordinandi; solum dici potest, ex ordinatione presbyterali adesse subiectum, cui haec potestas communicari possit. Haec videtur fere fuisse sententia illorum theologorum, qui dixerunt Summum Pontificem in tali casu presbyterum facere episcopum quoad hunc actum (Cf. De Sacramento confirmationis 115, 116). Obstat tamen magna difficultas, quod scl. in hac suppositione admittendum esset, novam potestatem ordinis sola voluntate Summi Pontificis sine ordinatione conferri posse.

144. Alius modus rem concipiendi (cf. De confirmatione 202): Ordinatione presbytero confertur potestas exercendi actiones sacramentales nomine Christi; haec autem potestas vi solius ordinationis non extenditur ad actiones sacramentales confirmationis et ordinis; sed voluntate Summi Pontificis haec potestas extendi potest etiam ad illas actiones, ita ut eas nomine Christi exercere possit. Confirmat vel ordinat talis presbyter potestate ordinis, sed non in quantum haec simpliciter collata fuit in ordinatione presbyterali, sed quatenus potestas ordinis, quam ordinatione acceperat, voluntate Summi Pontificis iam ad illa quoque sacramenta extenditur. Secundum hanc sententiam ordinatione presbytero non datur potestas proxima et in actu primo ad illas actiones sacramentales, sed per ordinationem presbyteralem est in potentia remota, ita ut accedente voluntate Summi Pontificis illas functiones valide exercere possit. In hac quoque sententia verum manet, presbyterum sola ordinatione nullam habere potestatem illarum functionum.

145. Alii (cf. Baisi, *Il ministro straordinario degli ordini sacramentali*. Roma 1935; pag. 128 ss.; 157) dicunt ad confirmandum et ordinandum requiri aliquam iurisdictionem, non quod illi actus sint proprie iudiciales, sicut absolutio sacramentalis, sed quod valide exerceri possunt solum erga subditos. Requiritur ergo, ut minister quoad actum confirmandi vel ordinandi sit superior eius,

quem confirmat vel ordinat; haec superioritas omni episcopo confertur ordinatione episcopali, simplici presbytero voluntate Pontificis. Si ita est, concedendum videtur, presbyterum in tali casu confirmare vel ordinare potestate ordinis, quam in ordinatione sua accepit. Etiam sic manet verum, presbyterum ex sola ordinatione nullam habere potestatem confirmandi vel ordinandi.

146. Tandem dici potest: ordinatione presbyterali confertur quidem potestas confirmandi et ordinandi; sed validus usus huius potestatis auctoritate et potestate aliqua superiore impeditur (cf. De confirmatione 203). Etiam sic videtur adhuc dici posse, presbyterum nullam habere potestatem confirmandi et ordinandi, quatenus ille, qui actum aliquem valide exercere non potest, recte dici potest non habere potestatem huius actus.

Hi videntur modi possibiles explicandi, quomodo ex una parte vi ordinationis suae presbyter nullam habeat potestatem confirmandi et ordinandi, ex altera vero parte ea communicari possit, sine ordinatione, sola voluntate Summi Pontificis. Et alii adhuc modi fortasse excogitari possunt.

147. Distinctio inter episcopos et presbyteros est distinctio adaequata, et quidem ita, ut collatio episcopatus et presbyteratus sint inter se independentes (simili modo, quo collatio diaconatus et collatio presbyteratus inter se sunt independentes), ita ut ordo episcopalis valide conferri possit subiecto, quod non sit presbyter, et tali subiecto per collationem episcopatus tota potestas sacerdotalis conferatur. De hac enim independentia ex historia dubium iam non esse potest. Non raro enim non-presbyteris tota potestas sacerdotalis ordinatione episcopali collata est. Cum autem plurimi sint, qui huic assertioni contradicant, necessarium est ex testimoniis allatis ea colligere, quae hoc manifestum faciant.

148. Secundum *epitaphium* (43) Liberius papa erat lector, diaconus, summus sacerdos. *Gregorius Nazianzenus* (48) refert de eo, qui baptizatus, et statim post baptismum episcopus creatus est.

Ioannes Chrysostomus (50): Philogonius statim a iudiciorum tribunali ad sacrum tribunal evectus est. *S. Augustinus* (76): Antonius lector statim episcopus ordinatus est. *Innocentius I.* (79) ordinat, ut semper « clerici » episcopi fiant. *Leo Magnus* (86); *Iustinianus* (97): Laicus non statim episcopus creetur, sed saltem per tres menses in clericis numeretur. *Gregorius Magnus* (99) erat monachus, diaconus, Summus Pontifex. Ipse casum Opportuni laici, ordinandi episcopi, ita decidit, ut non statim ordinetur, sed antea sit vel clericus, monachus, deinde episcopus, vel clericus, subdiaconus, deinde episcopus. Secundum *Librum Pontificalem* (100) Summi Pontifices ab anno 687-891 aut erant diaconi aut presbyteri; nullus diaconus et presbyter. Dici non potest in hoc libro indicari solum illum ordinem, quem Summus Pontifex immediate ante electionem habuit et exercuit, sed ante consecrationem episcopalem iis, si non erant presbyteri, collatam esse ordinationem presbyteralem. Nam si ita esset, non intellegeretur, cur non solus ille ultimus ordo indicatur, sed etiam alii, quos antea susceperant (ita apud omnes subdiaconatus). Secundum *Ordinem Romanum IX* (112) eligendus est Summus Pontifex ex cardinalibus, diaconis vel presbyteris, non autem episcopis; sed illi debent ordinati esse a praedecessore. Secundum *Ordinem Romanum VIII* (113) ordinandus episcopus ad quaestionem: Quo honore fungeris, respondere debet: diaconi aut presbyteri, vel quod est. (Plura vide apud AL. IANSSENS, *De heilige Wijdingen, Bisschoppen en Priesters*, 1933, 224-232).

149. Ex his testimoniis satis patet, episcopos valide ordinatos esse etiam eos, qui non erant presbyteri. Hi autem episcopi plane easdem habebant potestates, quas habent illi episcopi, qui ordinati sunt episcopi, postquam presbyteratum acceperant; aliis verbis: collatione episcopatus hi, qui nondum erant presbyteri, acceperunt non solum potestatem confirmandi, ordinandi, consecrandi virgines et basilicas etc., sed etiam potestatem consecrandi eucharistiam, offerendi sacrificium, remittendi et retinendi peccata. Ergo qui non presbyter ordinatur episcopus, accipit statim totam plenitudinem sacerdotii; qui vero iam presbyter ordinatur episcopus, accipit id, quod ei ad plenitudinem sacerdotii adhuc deerat.

150. Iam quaeritur: estne differentia inter episcopum et presbyterum, superioritas episcopi super presbyterum ratione ordinis, iuris divini, an non, institutionis immediate divinae, an institutionis immediate ecclesiasticae, mediate divinae, quatenus ecclesia hanc distinctionem introduxit facultate a Christo accepta? Hanc quaestionem concilium tridentinum ex industria reliquit apertam et indecisam. Canone 6 definit: « Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam, *divina ordinatione* institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: A. S. » (Denz 966). Post multas discussiones verba « divina ordinatione » electa sunt, et ex proposito dictum non est « institutione divina »; immo ne formula quidem « ordinatione speciali divina » approbata est. Ratio, ob quam verba « divina ordinatione » electa sunt a concilio, patet ex responso, quod die 14. iulii (sessio erat 15. iulii) legati dederunt « Hispanis », cum quibus maiores de hac re erant discussiones. « Nec enim negant Itali, ita legati, episcopos esse a Christo institutos, sed aiunt hoc egere declaratione, quod scilicet sunt a Christo non immediate, sed mediante Summo Pontifice. Item quod sunt a Christo quoad ordinem, non quoad iurisdictionem » (Paleotti, *Acta concilii tridentini*. Conc. Trid. ed. Goerres. III, 1931, 691). Ergo concilium eligendo verba « divina ordinatione » praescindere voluit a quaestione, num hierarchia ordinis, superioritas episcoporum super presbyteros, sit institutionis immediate divinae. Sermo est de sola hierarchia ordinis; nam concilium post multas deliberationes decrevit, exclusive agere de hierarchia ordinis, et non de hierarchia iurisdictionis; idem patet ex verbis legatorum supra relatis; et tandem ipsa verba huius canonis hoc manifestant; nam presbyteri et ministri non pertinent ad hierarchiam iurisdictionis, quae constat Summo Pontifice et episcopis. Ergo ex concilio tridentino aperta manet quaestio, utrum superioritas episcopi supra presbyterum sit immediatae institutionis divinae an non, utrum sit iuris divini an non.

151. Quaestio haec confundi non debet cum quaestione de « episcopatu monarchico», quae in tractatu de constitutione ecclesiae absolvitur. Sunt quaestiones inter se independentes. Etiam si

probatum est, Christum instituisse episcopatum monarchicum ad regendas ecclesias particulares, nondum probatum est, Christum instituisse immediate distinctionem et superioritatem ratione ordinis episcopi super presbyterum. Nam etiam si quaevis ecclesia particularis ex voluntate Christi ab uno episcopo monarchico regitur, possunt tamen in eadem ecclesia plures esse, qui ratione ordinis eundem gradum cum episcopo monarchico regente hanc ecclesiam habent, sicuti ecclesia universalis ab uno « episcopo monarchico », scl. Summo Pontifice regitur, et tamen in eadem hac ecclesia universali multi sunt, qui ratione ordinis eundem gradum cum Summo Pontifice habent, omnes scl. episcopi. Et prioribus saeculis episcopi monarchici ecclesiae particularis interdum sub se habebant episcopos rurales, sive chorepicopos. Quaestio solvenda ergo est, utrum ipse Christus distincte instituerit sacerdotes primi et secundi ordinis, an haec distinctio sit ex institutione ecclesiae.

152. Si prius, ipse Christus determinavit, quae sint facultates sacerdotum primi et secundi ordinis, ita ut actu, quo secundi ordinis sacerdotes ordinantur, solae facultates huic sacerdotio propriae conferantur, actu vero quo sacerdotes primi ordinis ordinantur, plenitudo potestatis sacerdotalis conferatur. Ipse ergo Christus determinavit, ut ordinatione sacerdotum secundi ordinis eae potestates conferantur, sine quibus verum sacerdotium non est, scl. potestas « consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius (scl. Christi) nec non et peccata dimittendi et retinendi » (cf. conc. trid. sess. 23 cap. 1); et idem Christus determinavit, ut ordinatione sacerdotum primi ordinis praeterea conferatur potestas administrandi sacramentum confirmationis et ordinandi ministros ecclesiae (ibid. cap. 4). Reliquae potestates sacerdotum primi ordinis (consecrare virgines, ecclesias etc.) sunt institutionis ecclesiasticae.

153. Si vero distinctio sacerdotum primi et secundi ordinis est institutionis immediatae ecclesiae, dicendum est, Christum ipsum instituisse « sacerdotium », ita ut illi, qui ordinabantur « sacerdotes », eo ipso omnes acciperent plenitudinem potestatis sacer-

dotalis, ergo omnes essent id, quod postea vocatur sacerdos primi ordinis: differentia inter sacerdotes nondum exsisteret. Postea vero ecclesia distinctionem instituit, ita ut abhinc alii ordinarentur sacerdotes, qui acciperent plenitudinem sacerdotii, alii vero ordinarentur quidem sacerdotes, sed non acciperent plenitudinem sacerdotii, sed essent sacerdotes in adiutorium eorum, qui acceperant plenitudinem sacerdotii, ut essent sacerdotes secundi ordinis in adiutorium sacerdotum primi ordinis. In hac suppositione ex voluntate ecclesiae est, quod in ordinatione presbyterali eae potestates conferuntur, sine quibus verum sacerdotium non exsistit, non vero potestas confirmandi et ordinandi, quae confertur ordinatione sacerdotum primi ordinis.

154. Si Christus immediate distinctionem sacerdotum primi et secundi ordinis instituit, iuris divini est, quod sacerdos secundi ordinis ex ordinatione sua non habeat potestatem confirmandi et ordinandi, et quod haec potestas conferatur ordinatione sacerdotis primi ordinis; si autem haec distinctio ab ecclesia introducta est, iuris immediate ecclesiastici est, quod sacerdos secundi ordinis his potestatibus careat, eaeque conferantur ordinatione sacerdotis primi ordinis. Similiter vel ex immediata institutione divina, Christi, vel ex institutione ecclesiae est, consequenter iuris divini vel ecclesiastici est, quod iure vel indulto apostolico potestas illarum functionum, quam ex ordinatione presbyterali nullam habent, simplicibus presbyteris sine ordinatione concedi potest.

155. Quod autem ad sacramentalitatem ordinationis attinet, supponendo ordinationem episcopalem esse sacramentum, sequitur: Si superioritas et differentia episcopatus a presbyteratu est iuris divini, ipse Christus utrumque ritum sacramentalem instituit; si vero haec differentia est iuris ecclesiastici, dicendum est, Christum instituisse, ut « sacerdotium » ritu sacramentali conferatur; ecclesia distinxit hoc sacerdotium in sacerdotium primi et secundi ordinis, et utrumque confert ritu sacramentali, quem Christus pro conferendo « sacerdotio » instituit. In suppositione vero,

ordinationem episcopalem non esse sacramentum, dicendum est: Si distinctio est iuris divini, ipse Christus instituit, ut presbyteratus conferatur ritu sacramentali, episcopatus vero ritu non sacramentali (quo in casu concedendum esset Christum instituisse aliquod « sacramentale »). Si vero distinctio est iuris ecclesiastici, dicendum est Christum instituisse, ut « sacerdotium » conferatur ritu sacramentali; ex voluntate vero ecclesiae illo ritu sacramentali solum conferri potestatem presbyteralem, ritu vero non sacramentali conferri ea, quae episcopis propria sunt. (Suppositio haec, ordinationem episcopalem non esse sacramentum, est omnino improbabilis, ut iam ex eo patet, quod ordinatio episcopalis valide conferri possit iis, qui non sunt presbyteri).

156. Iam videndum est, num ex testimoniis historicis cognosci possit, unde distinctio episcopi a presbytero proveniat. Referuntur testimonia in prima parte relata, addito numero, sub quo inveniuntur. Necessarium autem est aliqua addere, maxime quae ad sacramentum confirmationis spectant.

157. Tertullianus (13): episcopi et presbyteri habent ius baptizandi, sed non sine auctoritate episcopi, propter honorem ecclesiae. Hippolytus (16): presbyter habet solum potestatem accipiendi spiritum cleri, non dandi; quapropter clerum non ordinat. Didascalia (20): episcopus ordinat presbyteros, diaconos, subdiaconos. Cyprianus (22 ss.): ordinare soli episcopo tribuitur (de facto). Conc. ancyranum (36): can. 13 de chorepiscopis et de presbyteris urbis eodem modo dicitur, non licere presbyteros vel diaconos ordinare in aliena parochia, nisi cum litteris ab episcopo permissum fuerit. Conc. nicaenum (38) supponit episcopum esse qui ordinat. Conc. antiochenum (40): Chorepiscopi constituant quidem lectores, hypodiaconos, exorcistas, non vero ordinent presbyteros vel diaconos sine urbis episcopo. Epiphanius (46): episcopi et presbyteri non sunt aequales; episcopus gignit patres ecclesiae, presbyter vero non potest patres gignere, non habet ius imponendi manus. Chrysostomus (50): episcopi sola ordinatione presbyteris

superiores sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare (nihil de confirmandi potestate). Conc. carthaginense (53): ut presbyter non consulto episcopo virgines non consecret; chrisma vero nunquam conficiat. Constitutiones apostolorum III, 11 (54): « Sed neque reliquos clericos baptismum conferre volumus, veluti lectores, aut psaltes, aut ianitores, aut ministros, nisi solos episcopos et presbyteros,ministrantibus diaconis. Qui autem id praesumpserint, Coritarum poenas ferent. Non etiam potestatem damus presbyteris ordinandi diaconos vel diaconissas, vel lectores vel ministros vel cantores vel ianitores, sed episcopis solis. Hoc enim est ecclesiasticus ordo et concentus ». Cf. III, 20 (54); VIII 28 (66). Conc. toletanum (69): placuit ex hac die solum episcopum chrisma conficere; absente episcopo presbyter chrismat, non vero diaconus. Ambrosiaster (71): episcopus non est nisi primus presbyter, hoc est summus sacerdos. In Alexandria et per totam Aegytum consignat presbyter, si desit episcopus. Hieronymus (72): apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerunt. (73): Ab initio iidem episcopi et presbyteri, et in remedium schismatis postea unus electus est, qui caeteris praeponeretur; provocat ad praxim quae viguerit Alexandriae. Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? Idem nr. 75. In *Dialogo contra Luciferianos* « Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et episcopi iussione, neque presbyter neque diaconus ius habeant baptizandi. Quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita et dare potest » (ML 23, 165). Augustinus (76): episcopus differt a presbytero. Innocentius I (79): consignare infantes solis episcopis licet. Presbyteri, licet sint sacerdotes secundi, non tamen habent apicem pontificatus. Provocat ad consuetudinem ecclesiasticam et Act. 8, 14 ss. (Denz 98). Ps-Hieronymus (81): congruum est presbyterum confirmare; ita temporibus apostolorum ubique factum est. Sola ordinatio clericorum et consecratio virginum reservata est summo sacerdoti propter auctoritatem. Presbyteri, si necesse est, possunt etiam chrisma conficere, uti nunc in multis ecclesiis fit. Theodoretus (85): secun-

dum ipsum, ut videtur, ii qui apud s. Paulum vocantur episcopi vel presbyteri, erant « presbyteri »; ii qui nunc vocantur episcopi, apud apostolum dicuntur « apostoli ». Si ita intelligendus est, distinctionem inter episcopos et presbyteros iam pro tempore apostolorum supponit. Gelasius (87): presbyteri non sibi arripiant facultatem conficiendi chrismatis, consignationis pontificalis. Ioannes diaconus (91): Chrisma soli pontifici licet consecrare, quia ille summi pontificis gradum obtinet, presbyter vero secundi sacerdotii locum retinet. Episcopus meruit ordinandi potestatem. Verba benedictionis in ordinatione episcopi et presbyteri sunt diversa. Si nihil speciale reservatum esset episcopo, gradus indifferens esse videbatur. Si vero interdum presbyteri chrisma conficiunt, hoc est ex licentia episcopi, et ita id quod faciunt presbyteri, quodammodo fit a pontificibus.

158. Gregorius Magnus, Epist. lib. 4, *epist. 9 ad Ianuarium episcopum caralitanum*: « Episcopi baptizatos infantes signare bis in fronte chrismate non praesumant; sed presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte » (ML 77, 677). Post octo vero menses eidem scribit, *epist. 26*: « Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos, qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant concedimus » (ML 77, 696). Capitula S. Martini Bracarensis (circa annum 560) 42: «Presbyter, praesente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit praeceptum » (Mansi 9, 856).

159. Conc. hispalense II (619): « Quinto iudicio ad cognitionem nostram Aniani Egabrensis diaconi relatu deductum est, de quibusdam ipsius ecclesiae clericis, quorum dum unus ad presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter quidam illis, contra ecclesiasticum or-

dinem, benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam praesumptionis audaciam poterat accusatus iudicio praesenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vacatione praeventus; sed quia iam ille examini divino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt et ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiae potius eulogium perceperunt: ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decrevimus ut a gradu sacerdotalis vel levitici ordinis, quem perverse adepti sunt, depositi aequo iudicio abutantur. Tales enim merito iudicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti » (Mansi 10, 558). Nr. VII: « Nam quamvis cum episcopis plurima illis (presbyteris) ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis ecclesiam, vel altarium consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel controversis ex haeresi paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, sed nec publice quidem in missa quemquam poenitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistulas mittere. Haec enim omnia illicita esse presbyteris, quia pontificatus apicem non habent quem solis deberi episcopis auctoritate canonum praecipitur: ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur: sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec praesente antistite infantes tingere aut signare, nec poenitentes sine praecepto episcopi sui reconciliare, nec eo praesente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere aut salutare nec plebem utique exhortari » (Mansi 10, 559). Isidorus Hispalensis (103): Chorepiscopi habent licentiam constituendi lectores, subdiaconos, exorcistas, acolythos; presbyteros autem et diaconos ordinare non audeant praeter conscientiam episcopi. (104): « Sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio et consecratio reservata est, ne a multis ecclesiae disciplina vendicata concordiam solveret, scandala generaret » *De ecclesiasticis officiis* 2, 27: « Hoc autem (scl. invocare Dominum, ut detur Spiritus Sanctus) a quo

potissimum fiat, quemadmodum papa s. Innocentius scripserit, subiiciam; dicit enim, non ab alio, quam episcopo fieri licere, nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent» (ML 83, 825).

160. S. Beda Venerabilis († 673), *Super acta apostolorum expositio*, cap. 8: «Hoc enim (scl. imponere manum, ut accipiant Spiritum Sanctum) solis pontificibus debetur. Nam presbyteris, sive extra episcopum sive praesente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum baptizatis» (ML 92, 961). Ps-Beda, *In Psalmorum librum exegesis, in Ps 26*: «Sciendum autem, quod illa unctio, quae per manuum impositionem ab episcopo, quasi alia a duabus praedictis, et vulgo confirmatio dicitur, eadem est cum secunda, propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia» (ML 93, 614). Rabanus Maurus (115): «Sed licet sint sacerdotes (presbyteri), tamen pontificatus apicem non habent, quod nec chrismate frontem signant, nec paracletum Spiritum dant, quod solis episcopis deberi lectio Actuum apostolorum demonstrat, nec ordinare clericos in sacris ordinibus possunt, quod episcopis propter unitatem et concordiam reservatur». Leidradus episcopus lugdunensis († 814) *Liber de sacramento baptismi ad Carolum Magnum imperatorem*, cap. 7: «Quod autem presbyteris licet, capita baptizatorum chrismate ungere, quod tamen ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paraclitum, haec causa est: nam licet et presbyteri sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum etiam Actuum apostolorum lectio, quae asserit Petrum et Ioannem apostolos Samariam fuisse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum» (ML 99, 864). Theodulfus, Aurelianensis episcopus († 821), *De ordine baptismi ad Magnum senonensem liber*: «Quod ergo presbyteris baptizatos chrismate ungere licet, Spiritum vero sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab

apostolis ecclesiae est traditus. Sic enim scribitur in Actibus apostolorum (citat Act 19 et 8) ... presbyteri vero, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi, ut vel signent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum etiam superior illa lectio Actuum apostolorum ... Nam presbyteris, sive absentibus sive praesentibus episcopis, baptizare et baptizatos chrismate ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum » (ML 105, 135 s.). Concilium parisiense VI (829): « XXVII. Episcopos locum apostolorum, chorepiscopos autem exemplum et formam tenere septuaginta discipulorum, et liber Actuum apostolorum et canonica auctoritas aperte demonstrant. Cum haec ita se habeant, emersit quidam reprehensibilis et valde iam inolitus usus, eo quod quidam chorepiscopi ultra modum suum progredientes, et donum sancti Spiritus per impositionem manuum tradant et alia quaeque, quae solis pontificibus debentur, contra fas peragant » et citant Act. apost., et conc. Neocaesar. et Antiochenum (Mansi 14, 556). Iesse, episcopus Ambianensis (834), *Epistula de baptismo*: « Presbyteri cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed si ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis episcopis debetur, quo tradant Spiritum paraclitum baptizatis » (ML 105, 791). Concilium Meldense (845): « XLIV. Ut chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem teneat, et nec sanctum chrisma, nec sanctum paracletum Spiritum, solis episcopis iuxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet; nec ecclesias consecret, neque ecclesiasticos, qui per impositionem manus tribuuntur, id est, non nisi usque ad subdiaconatum, et hoc iubente episcopo, et in locis quibus canones designant, agere praesumant » (Mansi 14, 829).

161. Walafridus Strabo († 849), *De rebus ecclesiasticis*, cap. 26: «... huius mystici lavacri gradatim per temporum augmenta in maius celebratio crevit. Addiderunt alii chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine nemo qui dubitet, cum primis temporibus impositione manuum confirmari soleret, quod in

Samaria fecisse Petrum legitur et Ioannem. Quae confirmatio et tunc ad primos ecclesiae pastores pertinuit, et nunc pertinere non dubitatur; unde in canonibus saepe interdicitur presbyteris, ne chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent, quod solis debetur episcopis. Testantur hoc decreta Innocentii papae et statuta Silvestri ... » (ML 114, 957). Amalarius (118): « Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos: ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in commune debere ecclesiam regere ... ». Idem lib. 1 cap. 27 dixerat: « Ut ab episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab apostolis assumptum est, ut Beda declarat in tractatu super Actus apostolorum » (ML 105, 1052). Ratramnus († post 868), *Contra Graecorum opposita* lib. 4 cap 7: « Nunc ad illud veniamus, quod obiicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes presbyteri chrismate non liniunt. Quod obiectum, sicut et reliqua, magis levitate quam ratione propositum est: siquidem ecclesiae suae (graecae) consuetudinem sequentes ista proponunt, non aliquam divinae legis auctoritatem. Quamvis ut hoc fiat et apud Romanos et apud occidentales omnes, tam ex Evangelio quam ex Apostolorum actis esse constat assumptum. Constat namque Spiritus sancti gratiam per unctionem frontis ex chrismate ab episcopis donari, quod nulli praeter episcopos esse concessum, evangelica testatur auctoritas. Resurgens enim Dominus et discipulis apparens, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. Ergo si remissio peccatorum per Spiritum sanctum contribuitur, et hoc munus apostolis specialiter constat esse donatum, iure solis episcopis haec gratia reservatur, quos in ecclesia constat apostolorum successionem et ministerium sortitos ... Et hic (Act 19) vides, quia Paulus non baptizaverit eos, sed iusserit baptizari. Baptizatis autem manus Paulus imponit; et ita demum venit super eos Spiritus sanctus. Docemur igitur baptismi gratiam per presbyteros posse contribui, donum vero Spiritus sancti, quod tribuitur per manuum impositionem, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur, non nisi per episcopos posse promereri. Et re-

vera inter sacerdotes et episcopos differentia non parva consistit. Sacerdotes namque, sicut reliqui gradus ecclesiastici, per episcoporum ministerium consecrantur; at episcopi non a sacerdotibus benedicuntur. Ipsi quoque sanctum chrisma sanctificant, et oleum consecrant: omnisque gradus ecclesiasticus illorum dispositione peragitur. Quod considerantes ecclesiastici viri statuerunt, ut frontes baptizatorum non a presbyteris, sed ab episcopis chrismate sancto linirentur (citat Silvestrum et Innocentium). Hinc omnes occidentales episcopi, maiorum sequentes institutionem, sumpsere consuetudinem, ut frontes baptizatorum chrismate liniendi non presbyteris concedant, sed privilegium sibi reservent» (ML 121, 332 ss.). Conc. Wormatiense (868): «VIII. Igitur presbyteris, quamvis cum episcopis plurima mysteriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint. Consecratio ergo virginum et benedictio vel unctio altaris a presbyteris minime fiat. Similiter non liceat eis ecclesias consecrare, nec per impositionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, sed nec publice quidem in missa quemquam poenitentium reconciliare. Haec enim omnia illicita esse presbyteris cognoscuntur, quia pontificatus apicem non habent: quae tamen omnia episcopis auctoritate canonum conceduntur» (Mansi 15, 871). Yvo Carnotensis (121): Solis pontificibus addita est clericorum ordinatio, basilicarum dedicatio, chrismatis consecratio et manus impositio et communis super populum benedictio. Haec illis reservata sunt, ne eadem potestatis auctoritas ab omnibus vindicata insolentes redderet, et soluto obedientiae vinculo scandalum generaret.

162. Differentia ergo episcopi a presbytero et superioritas episcopi super presbyterum de facto a saeculo tertio ab omnibus agnoscitur. Presbyteri, licet sint sacerdotes, sunt tamen sacerdotes secundi, et pontificatus apicem non habent. Differentia haec consideratur ratione ordinis, id est quoad facultatem confirmandi et ordinandi, vel saltem ordinandi, quae cum aliis (consecrare virgines, basilicas etc.) episcopis reservata est. Hoc autem imprimis

intelligendum videtur de episcopis, qui hodie vocantur « residentiales »; nam simili modo quo presbyteris, etiam chorepiscopis, qui tamen veram ordinationem episcopalem receperunt, quaedam functiones (ordinare presbyteros et diaconos, immo interdum etiam confirmare) non sunt licitae; ratio autem, ob quam illae functiones episcopis reservatae sunt, non raro indicatur « propter auctoritatem, ut servetur obedientia, ne scandala vel schismata oriantur », quae omnia facile intelliguntur, si episcopi sunt « residentiales ».

163. Estne differentia iuris divini? Instituitne ipse Christus Dominus immediate, ut per ordinationem presbyteralem non detur facultas ordinandi et confirmandi? Si ita est, haec differentia iam exsistit tempore apostolorum (distincta ordinatio episcoporum et presbyterorum), et quidem ita, ut ex voluntate Christi in ordinatione haec facultas solis episcopis concedatur. Hinc qui admittit hanc differentiam iam tempore apostolorum extitisse, et presbyteris in ordinatione non communicari facultatem ordinandi et confirmandi, iure censetur hanc differentiam habuisse iuris divini.

164. Ita fortasse dicendum est de Theodoreto, si explicatio doctrinae eius supra indicata, vera est. Contrarium autem clare supponit s. Hieronymus et qui eum sequuntur, scl. istam differentiam introductam esse ob speciales rationes, ad evitanda schismata, ad servandam obedientiam, ad evitanda scandala; illas functiones reservatas esse episcopis propter auctoritatem, et similia. Explicite Amalarius negat superioritatem episcopi supra presbyterum esse ex veritate dominicae dispositionis, sed dicit eam esse ex consuetudine ecclesiae.

165. Si consideratur, quomodo presbyteris facultas confirmandi negetur, raro occurrit, quod eis ipsa potestas negetur, sed plerumque dicitur, hoc eis non licere, reservari episcopo, qui presbyteris dat licentiam vel praeceptum confirmandi. Ex tali modo loquendi facile quis concludere potest, supponi quidem potestatem esse in presbytero, usum autem potestatis ei esse prohibitum, et licitum reddi per voluntatem episcopi. Difficile enim assumitur,

episcopos concedendo hanc licentiam dedisse presbyteris aliquam potestatem ordinis, quam nondum habebant. Ita autem proceditur propter canones, decreta, consuetudinem. S. Gregorius Magnus distinguit consuetudinem ecclesiae suae (Romanae), quae confirmationem presbyteris negat, a consuetudine ecclesiae Calaritanae, quae eam presbyteris concedit.

166. Interdum autem provocatur ad Act. 8 pro eo, quod solis illis, qui habent apicem pontificatus, competat confirmatio. Qui ita dicit, fortasse differentiam inter episcopum et presbyterum pro tempore apostolico supponit. Sed non videtur certum. Nam inde quidem eruitur, solis iis qui apicem pontificatus habent, competere confirmationem, non autem, tempore apostolorum extitisse « sacerdotes», qui apicem pontificatus non habuerint (Philippus, qui Samariae baptizaverat, erat diaconus). Et illi ipsi, qui ita ad Act. provocant, dicunt confirmationem non esse « licitam » presbyteris (Innocentius), vel « ecclesiasticos viros » statuisse, ut confirmatio non conceda'ur presbyteris (Ratramnus). Clare autem apparet ordinationem presbyterorum et diaconorum modo omnino speciali reservatam fuisse episcopis, et quidem « residentialibus » (etiam chorepiscopi excluduntur); hoc autem facile intelligitur, cum ordinatio diaconi (illo tempore) et presbyteri sit actus magni momenti in ipso regimine ecclesiae.

167. Quae allata sunt, vix praebent fundamentum sufficiens cum certitudine respondendi ad quaestionem, num differentia inter episcopum et presbyterum et superioritas episcopi supra presbyterum ratione ordinis sint institutionis ipsius Christi, iuris divini. Inde intelligitur, temporibus sequentibus tum canonistas, tum theologos varias proposuisse sententias (cf. Baisi, *Il ministro straordinario degli ordini sacramentali*. Romae 1935, 29 ss.). In concilio trid. card. Castagna, archiepiscopus Rossanensis, postea Urbanus VII, dixit: « Et si Lutherus vel Calvinus ... dixerint episcopos non esse immediate insti'utos iure divino (quod adhuc non legi): non propterea debemus cum duobus haeretic's multos theologos et omnes iuris canonici professores ... condemnare » (Conc. trid. 9, 54).

Nihil vero ab iis allatum est, unde quaestio decisa videri possit. Et ita etiam intelligitur, concilium tridentinum magna prudentia hanc quaestionem apertam reliquisse. Interim tamen videtur sententia, quam « itali » in favorem auctoritatis Summi Pontificis in concilio defendebant, in testimoniis historicis magis fundata esse, quam sententia « hispanorum ». Id quod nunc cum certitudine dici potest, est id quod concilium tridentinum definivit, esse scl. in ecclesia hierarchiam ratione ordinis, divina *ordinatione* institutam, quae constat episcopis, presbyteris, et ministris.

THESIS: Exsistit in Ecclesia praeter sacerdotium commune christianorum sacerdotium visibile et externum, a Domino Salvatore nostro institutum, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestas tradita est consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et retinendi (conc. trid. sess. 23 cap. 1).

168. Nomen sacerdotis deducitur a « sacer » et « dare », est sacrorum dator, est Deo dicatus ad rem divinam faciendam, minister sacrorum. « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » (*Hebr* 5, 1). Hinc « sacerdos dicitur, qui ex munere sibi commisso habet potestatem mediationis inter Deum et hominem, maxime per oblationem sacrificii » (PESCH, IV, 529). Sacerdos Novi Testamenti imprimis est ipse Dominus noster Iesus Christus, de cuius sacerdotio s. Paulus in epistula ad Hebraeos, maxime 4, 14 - 5, 10; 7, 1 - 10, 25.

169. Ipsi quoque fideles in s. Scriptura vocantur sacerdotes: *Apoc* 1, 6: Christus « fecit nos regnum, (et) sacerdos Deo et Patri suo »; 1 *Petr* 2, 5: « et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis (in) sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum ... (9). Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum ». De hoc sacerdotio omnium christianorum s. AMBROSIUS, *Expositio Evang. sec. Lucam* 5, 33 (in Luc. 6, 3):

« Quomodo autem ille observator legis atque defensor panes et ipse manducavit, et dedit iis qui secum erant, quos non licebat manducare nisi tantummodo sacerdotibus, nisi ut per illam demonstraret figuram sacerdotalem cibum ad usum transiturum populorum? Sive quod omnes vitam sacerdotalem debemus imitari, sive quia omnes filii ecclesiae sacerdotes sunt: ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spirituales » (ML 15, 1645). Ibid. 8, 52 (in Luc 17, 33): « Omnes autem sumus, si merita nostra patiantur, iustitiae sacerdotes, qui unctione laetitiae in regnum et sacerdotium consecramur » (ML 16, 1781). *De Sacramentis* 4, 1: « Sed forte dices: Quid hoc ad populum, si virga sacerdotis aruerat et refloruit? Populus ipse quis est nisi sacerdotalis? Quibus dictum est: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, ut ait apostolus Petrus. Unusquisque ungitur in sacerdotium, ungitur et in regnum: sed spiritale regnum est, et sacerdotium spirituale » (ML 16, 436 s.). S. Augustinus, *De civ. Dei* 20, 10: « Sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis: non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie iam vocantur in ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus: plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium » (ML 41, 676). *Quest. evang.* 2, 40: « Sacerdotium vero Iudaeorum nemo fere fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotii regalis, quod est in ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi et veri principis sacerdotum. Nam nunc et omnes unguntur, quod tunc regibus tantum et sacerdotibus fiebat, et quod ait Petrus ad christianum populum scribens: Regale sacerdotium; utrumque nomen illi populo convenire declaravit, quo illa unctio pertinebat » (ML 35, 1355). S. Leo, *Sermo* 4, 1: « Nam licet universa ecclesia Dei distinctis ordinata sit gradibus, ut ex diversis membris sacrati corporis subsistat integritas, omnes tamen, sicut ait apostolus, in Christo unum sumus (1 *Cor* 12, 13); nec quisquam ab alterius ita est divisus officio, ut non ad connexionem pertineat capitis cuiuslibet humilitas portionis. In unitate igitur fidei atque baptismatis, indiscreta nobis societas, dilectissimi, et generalis est

dignitas, secundum illud beatissimi Petri apostoli sacratissima voce dicentis: Et ipsi tamquem lapides vivi superaedificamini in domos spiritales, sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum; et infra: vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (1 *Petr* 2, 5. 9). Omnes enim in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes: ut praeter istam specialem nostri ministerii servitutem, universi spiritales et rationabiles Christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes. Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?» (ML 54, 148 s.). S. Thomas, 3 q. 82 a. 1 ad 2: «Laicus iustus unitus est Christo unione spirituali per fidem et caritatem; non autem per sacramentalem potestatem. Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendas spirituales hostias, de quibus dicitur in *Psalmo* 50, 19: sacrificium Dei spiritus contribulatus; et *Rom* 12, 1: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Unde et 1 *Petri* 2, 5 dicitur: Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias». Cf. *Cat. Rom.* p. 2 cap. 7 nr. 23. s.

170. Exsistit autem in ecclesia etiam sacerdotium a Christo institutum non commune omnibus christianis, et de hoc sacerdotio agitur in thesi. Vocatur illud sacerdotium visibile et externum, cum sacerdotium commune omnibus christianis sit sacerdotium internum et invisibile. «Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit: fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est» (conc. trid. sess. 23 cap. 1; Denz. 957). Sacerdotium externum continet potestatem exclusive ei propriam, scl. consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Domini, et dimittendi et retinendi peccata.

171. Exsistentia huius sacerdotii specialis negata est imprimis a Lutthero, qui negavit sacrificium externum et admisit solum sacerdotium omnibus christianis commune. *De abroganda missa privata* (Opera omnia, ed. Weimar, tom. 8, 411-476): « Certus esto, nec ulla persuasione falli te sinas, quisquis esse voles pure christianus, nullum esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum, nisi quod humanis mendaciis est per Satanam erectum. Unum vero et solum est nobis sacerdotium Christi, quo ipse obtulit sese pro nobis et nos omnes secum ». Citatis 1 *Petr* 3, 18 et *Hebr* 10, 14 pergit: « Hoc sacerdotium spirituale est et omnibus christianis commune. Omnes enim eodem, quo Christus, sacerdotio sacerdotes sumus, qui christiani, id est, filii Christi, summi sacerdotis sumus. Neque nobis ullo prorsus alio sacerdote et mediatore opus est praeter Christum, cum omnis sacerdos in hoc assumatur, teste apostolo *Hebr* 5, 1, ut pro populo oret et populum doceat. At christianus quisque per se ipsum orat in Christo habens per ipsum, ut *Rom* 5, 2 dicit, accessum ad Deum ... Sic et per seipsos a Deo docentur promittente *Isaia* 54, 13: Et dabo universos filios tuos doctos a Domino ..... Haec testimonia plane evacuant sacerdotium visibile, dum et orationem et accessum ad Deum et doctrinam omnibus communem faciunt, quae certe sacerdotum propria est » (415). Pag. 416 citatis 1 *Petr* 2, *Apoc.* 5 et 20: « Atque praeter haec tria testimonia nihil in universo testamento novo invenitur, quod sacerdotum ex nomine meminerit »; et pag. 417: « Probatum est enim in scripturis hoc sacerdotium (externum scl. et visibile) non haberi. At quod in scripturis non habetur, hoc plane Satanae additamentum est ». Concludit (pag. 425): « Unum esse dumtaxat idque commune omnibus Christianis in ecclesia ministerium verbi, quod omnes loqui et iudicare possunt et omnes audire tenentur. Et cum scriptura aliud ministerium ignoret, quaerimus ab idolis papisticis, unde habeant suum ministerium illud incommunicabile omnibus ».

Modernistae: « Coena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt » (Denz. 2049). Suppositio de

evolutione « coenae christianae » in tractatu de ss. Eucharistia probata est erronea.

172. Thesis tota explicite docetur *in concilio tridentino;* ipsa verba thesis desumpta sunt ex cap. 1 sess. 23. Can. 1: « Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium, vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit » (Denz. 961). Cap. 4: « Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet: nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere, perinde ac si, contra beati Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores » (Denz. 960). *Sess.* 22, can. 2: « Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: a. s. » (Denz. 949); cf. cap. 1 (Denz. 938). *Sess.* 14: potestatem remittendi peccata soli episcopi et sacerdotes habent cap. 6 (Denz. 902); can. 10 (Denz. 920).

173. In tractatibus de sacramento Eucharistiae, de sacrificio Missae, de sacramento paenitentiae ex s. Scriptura et traditione probatur, potestatem consecrandi, offerendi sacrificium missae, remittendi et retinendi peccata non esse omnibus christianis communem, sed Christum eam solis apostolis eorumque successoribus tradidisse. Eo ipso probata est nostra thesis, scl. ex institutione Christi exsistere in ecclesia sacerdotium visibile et externum, cui illae potestates exclusive conveniunt.

THESIS: Sacerdotium Novae Legis sacramento confertur.

174. Sacerdotium in thesi intelligitur sacerdotium primi ordinis, episcopatus, et sacerdotium secundi ordinis, presbyteratus.

Cum non omnes christiani potestatem sacerdotalem habeant, conferri ea debet, et quidem actione externa; nam agitur de sacerdotio externo in societate visibili, ecclesia. Haec actio, qua confertur potestas sacerdotalis, vel qua quis constituitur in ordine sacerdotali, est sacramentum, id est signum sensibile a Christo perenniter institutum significans et ex opere operato conferens subiecto gratiam sanctificantem, gratiam sacramentalem. Thesis etiam ita enuntiari potest: ordinatio sacerdotalis (episcopalis et presbyteralis) est Novae Legis sacramentum. Haec autem ordinatio est sacramentum non formaliter in quantum potestatem sacerdotalem confert; nam potestas sacerdotalis non est gratia sanctificans, gratia gratum faciens; sed est sacramentum, in quantum haec actio, qua potestas sacerdotalis communicatur, ex opere operato gratiam gratum facientem subiecto confert. Gratia haec autem confertur praecise ad hunc finem, ut ille, qui potestatem sacerdotalem accipit, secundum dignitatem sacerdotalem vivat et munere suo sacerdotali bene fungatur (cf. quae in tractatu de sacramentis in genere dicta sunt de gratia sacramentali, nr. 273-281).

175. Adversatur huic thesi LUTHERUS, qui ipsum sacerdotium externum negat; ille admittit solum ritum aliquem eligendi et constituendi ministros verbi et sacramentorum. *De captivitate babylonica ecclesiae praeludium* (Opera omnia, ed. Weimar, tom. 6, 497-573, ubi de ordine pag. 560-567): « Hoc sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papae: non enim solum nullam habet promissionem gratiae ullibi positam, sed ne verbo quidem eius meminit totum novum testamentum. Ridiculum autem est asserere pro sacramento Dei, quod a Deo institutum nusquam potest monstrari. Non quod damnandum censeam eum ritum per tanta saecula celebratum, sed quod in rebus sacris nolim humana commenta fingi, nec liceat astruere aliquod divinitus ordinatum quod divinitus ordinatum non est, ne ridiculi simus adversario, conandumque sit, ut certa et pura nobis sint omnia clarisque scripturis firmata, quae pro articulis fidei iactamus, id quod in praesenti sacramento praestare ne tantillum quidem possumus » (560). « Quare permitto, ordinem esse quendam ritum ecclesiasti-

cum, quales multi alii quoque per ecclesiasticos patres sunt introducti, ut consecratio vasorum, domorum, vestium, aquae, salis, candelarum, herbarum, vini et similium, in quibus omnibus nemo ponit sacramentum esse, nec ulla in eis est promissio: ita ungere manus viri, radi verticem et id genus alia fieri, non est sacramentum dari, cum nihil eis promittatur, sed tantum ad officia quaedam, ceu vasa et instrumenta, parentur» (561). Negat (pag. 563) Christum verbis: Hoc facite in meam commemorationem, apostolos ordinasse sacerdotes. «Qui si cogerentur admittere, nos omnes esse aequaliter sacerdotes, quotquot baptisati sumus, sicut revera sumus, illisque solum ministerium, nostro tamen consensu commissum, scirent simul, nullum eis esse super nos ius imperii, nisi quantum nos sponte nostra admitteremus. Sic enim 1 *Petr* 2 dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium et sacerdotale regnum. Quare omnes sumus sacerdotes, quotquot christiani sumus. Sacerdotes vero, quos vocamus, ministri sunt ex nobis electi, qui nostro nomine omnia faciant, et sacerdotium aliud nihil est, quam ministerium. Sic 1 *Cor* 4, 1: Sic nos existimet homo sicut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Ex quibus fit, ut is, qui non praedicat verbum, ad hoc ipsum per ecclesiam vocatus, nequaquam sit sacerdos, et sacramentum ordinis aliud esse non possit, quam ritus quidam eligendi concionatoris in ecclesia» (564). «Sacerdotis munus est praedicare: quod nisi fecerit, sic est sacerdos, sicut homo pictus est homo. An episcopum faciat ordinare tales sacerdotes battologos? An ecclesias et campanas consecrare? An pueros confirmare? Non. Haec vel diaconus vel laicus quilibet faceret. Ministerium verbi facit sacerdotem et episcopum» (566). «Esto itaque certus et sese agnoscat quicumque se christianum esse cognoverit, omnes nos aequaliter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo et sacramento quocumque habere potestatem, verum non licere quenquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis aut vocatione maioris (Quod enim omnium est communiter, nullus singulariter potest sibi arrogare, donec vocetur), ac per hoc ordinis sacramentum, si quicquam est, esse nihil aliud, quam ritum quemdam vocandi alicuius in ministerium ecclesiasticum, deinde sacerdotium proprie esse non nisi ministerium verbi, verbi, inquam, non

legis, sed evangelii, diaconiam vero esse ministerium non legendi evangelii aut epistolae, ut hodie usus habet, sed opes ecclesiae distribuendi pauperibus, ut sacerdotes leventur onere rerum temporalium et orationi ac verbo liberius instent» (566). Concludit: «Quantum ergo e scripturis docemur, cum ministerium sit id, quod nos sacerdotium vocamus, prorsus non video, qua ratione rursus nequeat laicus fieri semel sacerdos factus, cum a laico nihil differat nisi ministerio, a ministerio autem deponi adeo non sit impossibile, ut passim ea etiam nunc celebretur vindicta in culpabiles sacerdotes, dum aut suspenduntur temporaliter aut perpetuo privantur officio suo. Nam commentum illud caracteris indelebilis iam olim irrisum est. Concedo, ut caracterem hunc Papa imprimat, ignorante Christo, sitque hoc ipso sacerdos eo consecratus non tam Christi quam Papae perpetuus servus et captivus, sicut est dies haec. Caeterum, nisi fallor, si ruat hoc sacramentum et commentum aliquando, vix subsistet ipse papatus cum suis characteribus, redibitque ad nos laeta libertas, qua nos omnes aequales esse quocumque iure intelligemus et excusso tyrannidis iugo sciemus, quod, qui christianus est, Christum habet, qui Christum habet, omnia quae Christi sunt habet, omnia potens, de quo plura et robustius, ubi ista amicis meis papistis displicere sensero» (567).

Melanchthon non repugnat, si appellatio sacramenti tribuatur ordini (cf. de De sacramentis in genere nr. 12); *Zwingli* ordinem non agnovit verum sacramentum (ibid. nr. 15); *Calvin* duo sacramenta proprie dicta agnoscit (ibid. nr. 17); sed «impositionem manuum, qua ecclesiae ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari sacramentum, ita inter ordinaria sacramenta non numero» (Institut. lib. 4 cap. 14 nr. 20).

Doc. Eccl.

176. In *Professione fidei Michaelis Palaeologi* inter sacramenta connumeratur «ordinis sacramentum» (Denz. 465). *Conc. florentinum, Decretum pro Armenis*: «sextum sacramentum est ordinis» (Denz. 701).

Conc. trid., sess. 7, De sacramentis in genere *can. 1* ordinem enumerat inter septem sacramenta vere et proprie dicta (Denz. 844). *Sess. 23, cap.* 3: « Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae sacramentis. Inquit enim Apostolus: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis ». (Denz. 959). Can. 3: « Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: A. S. » (Denz. 964).

Ergo clare docet, ordinem vel sacram ordinationem esse sacramentum. Thesis autem nostra non est de « ordine », sed speciatim de « sacerdotio ». Sed concilium provocat ad testimonium s. Scripturae et citat 2 *Tim* 1, 6. 7, ubi sermo est de ordinatione sacerdotali; ergo secundum concilium haec ordinatio sacerdotalis est sacramentum. Cap. vero 4 dicit: « Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest: merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant » (Denz. 960); unde iterum patet ordinationem, qua quis fit « sacerdos » esse sacramentum. Concilium autem intelligit « sacerdotes » secundum modum loquendi eo tempore communem, imprimis sacerdotes secundi ordinis, sive presbyteros, et in eodem capite connumerat ordinationem « episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum ».

In forma 13 nov. 1562 proposita, inveniebantur verba: « ut minores (ordines) per medios in maiores ascenderent ab eisque continerentur, donec in sacerdotio consummarentur ». Pluribus patribus non placuit, quod diceretur « in sacerdotio » et non « in episco-

Pii V. facta, commentarii Caietani ad art. 2 et 11 omittuntur. Theologi communiter eam reiiciebant. Dominicus Soto de sententia pueros natos posse salvari sine baptismo aquae ait: « Quod sit aliud ordinarium remedium divinitus institutum, manifesta haeresis est » (In 4 dist. 5 quaest. unica art. 2; Venetiis 1570, I, 97*v*). De sententia autem, pueros in utero matris inclusos posse eo modo ut Caietanus dixit salvari, iudicat: « Est autem opinio, quam fateor me noluisse apud Caietanum reperire. Etenim ut singularis eius est, ita (ut cum omni reverentia eius loquar) vix potest a temeritate defendi. Est enim peior etiam quam altera de pueris natis. Nam illius non defuerunt qualescumque auctores; huius autem reperitur nemo, qui illam ausus fuerit asserere » (ibidem pag. 114). Toletus ait: « quantum ego puto, non potest excusari a temeritate et errore in fide » (In 3 qu. 68 art. 2; Romae 1870, 71; cf. pag. 74: falsum et contra fidem). Suarez: « Castro lib. 3 contra haereses, verbo baptismus, haeresi 9, sententiam Caietani ut haereticam damnare videtur, et revera est valde aliena a sensu et dogmatibus ecclesiae, et ideo, ut minimum, est temeraria et errori proxima » (*De baptismo* disp. 27; Moguntiae 1599, 307).

144. Similem sententiae Caietani proposuit Bianchi, *De remedio aeternae salutis pro parvulis in utero matris clausis sine baptismate morientibus*. Venetiis 1768. H. Vosen, *Der Katholizismus und die Einsprüche seiner Gegner*, Freiburg 1866, distinguit sacramentum baptismi et gratiam baptismi, quae non necessario alligata sit ipsi sacramento; verba autem, quae loquuntur de necessitate baptismi, intelligenda esse de gratia baptismi, non necessario de ipso sacramento. Klee, *Katholische Dogmatik*, Mainz 1841, 158 ss. putavit infantes, qui baptismum non receperunt, in momento mortis habere claram cognitionem veritatum ad salutem necessariarum, et posse actu proprio libero se decidere pro Deo et ita salvari; in tali actu inclusum esset votum baptismi. Haec sententia aliquibus placuit, et ut probabilis recepta erat in catechismo dioecesis Luxemburgensis (Luxemburg, 1879, 283). *Stockums* (pag. 103) de ea iudicat, fundamentum eius theologice vix esse improbandum, cum nihil

nullo modo est exclusiva: *Rom* 6, 23: vita aeterna; *Rom* 1, 11: gratia spiritualis, quam Apostolus Romanis desiderat impertiri ad eos confirmandos; *Rom* 11, 29: electio populi Israel; 1 *Cor* 7, 7: gratia status pro iis, qui vivunt sive in matrimonio, sive in virginitate. Quid autem 2 *Tim* 1, 6 significet, apparet ex versu 7: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris (timiditatis), sed virtutis et dilectionis et sobrietatis (moderationis, ut scl. prudenter, considerate procedat). Hae autem non sunt gratiae gratis datae, sed gratiae, quae ipsum subiectum perficiunt ad recte fungendum munere suo praepositi ecclesiae. Hanc gratiam Timotheus resuscitare, inflammare debet implendo ministerium suum sine timore, sed cum fortitudine, amore, circumspectione. Gratia autem, quam s. Paulus versu 7 describit, est ea quae hodie vocari solet gratia sacramentalis.

Ergo secundum 2 *Tim* 1, 6. 7 per impositionem manuum Apostoli collata est Timotheo gratia: ergo illa ordinatio est sacramentum.

De hac ordinatione Timothei Paulus iam locutus erat 1 *Tim* 4, 14: « Noli negligere gratiam (χάρισμα) quae in te est, quae data est tibi per prophetiam (διὰ προφητείας gen. sing.), vel probabilius propter prophetias (διὰ προφητείας acc. plur.), cum (μετὰ) impositione manuum presbyterii (presbyterorum, episcoporum) ». Timotheus adhuc adolescens a Paulo eligitur praepositus ecclesiae Ephesinae, quia a personis, qui spiritum prophetiae habebant, designatus erat ad difficile illud munus (cf. 1 *Tim* 1, 18; simile quid *Act Apost* 13, 1 ss.). *Cum* impositione manuum presbyterii, non *per* impositionem: ergo ita res videtur concipienda: data est gratia *per* impositionem manuum *Apostoli* (2 *Tim* 1, 6), sed *simul cum eo* alii episcopi manus imposuerunt. Ergo hoc quoque loco dicitur, cum ordinatione coniunctam fuisse collationem gratiae.

Et sic testimonio Scripturae constat, ordinatione, signo sensibili, conferri gratiam, i. e. ordinationem esse sacramentum. Esse autem a Christo institutum inde patet, quod nemo nisi Deus infallibilem illum nexum inter signum externum et collationem gratiae instituere potest.

Timotheus ordinatus est episcopus, et quidem una hac ordinatione plenitudinem sacerdotii accepit (cf. nr. 148 s.).

PATRES

178. Patres eodem modo considerant ordinationem sacerdotalem, quo baptismum: quaestio de valore et fructu ordinationis apud non catholicos simili modo tractatur, quo quaestio de valore et fructu baptismi, et idem dicendum relate ad quaestionem de iterabilitate ordinationis (cf. De sacramentis in genere nr. 215 ss.). Et ex ritu ordinationis patet per impositionem manuum cum oratione tradi Spiritum sanctum eiusque gratiam.

BASILIUS (nr. 47): Per impositionem manuum habebatur χάρισμα. Iuxtaponit baptizare et ordinare. GREGORIUS NYSSENUS (49). HIERONYMUS, *Dialogus contra Luciferianos* nr. 11: « Si in fide sua baptizatum baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit » (ML 23, 166). LUCIFER CALARITANUS, *Pro sancto Athanasio* lib. 1: « Neque enim posset impleri virtus Spiritus sancti ad Dei gubernandum populum, nisi is, quem Deus allegisset, cuique manus per catholicos episcopos fuisset imposita, sicut defuncto Moyse, impletum Spiritu sancto invenimus successorem eius Iesum Nave » (ML 13, 829). AUGUSTINUS (77) comparat ordinationem cum baptismo. PS-GREGORIUS MAGNUS, *In 1 Regum* 4, 5 (in 1 Reg 10, 9): « Samuel quippe Saul in principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit, quia sacrorum ordinum sacramenta ab ecclesiae doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est spiritus septiformis. Quam certe gratiam qui accipiunt quasi alio accepto corde immutantur, quia quos gratia sua sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus, quod non erant » (ML 79, 299).

179. Ea, quae ex s. Scriptura et Patribus allata sunt, non distinguunt inter sacerdotes primi et secundi ordinis, et ita videntur intelligenda de sacerdotio ut tali, proinde de sacerdotio primi et secundi ordinis. Nullum habetur indicium Patres verba sua intellexisse exclusive vel de presbyteris solis, vel de episcopis solis Si quis attendit ad usum loquendi vigentem primis saeculis ecclesiae, inclinatur forte ad dicendum, textus illos primario in-

telligendos esse de episcopis. Primis temporibus sacerdos simpliciter fere semper significat episcopum; ad designandum presbyterum addi solebat sacerdos secundi ordinis, vel similia. Nostris temporibus usus est contrarius: sacerdos simpliciter intelligitur presbyter; si quis nomine sacerdotis designare vult episcopum, speciatim addi solet summus sacerdos, vel similia. Aliquid de antiquo modo cogitandi remansisse videtur in Missali Romano et Breviario, quatenus officium de sacerdotibus solum adhibetur de episcopis. Sed ex mente Patrum etiam presbyteri sunt vere et proprie sacerdotes, licet secundi ordinis, et propterea textus allati intelligendi sunt non de solis episcopis, sed de episcopis et presbyteris. Id quod comprobatur etiam ex ritu utriusque ordinationis tempore Patrum: eodem fere modo impositio manuum ad communicandum Spiritum sanctum eiusque gratiam. Et ita videtur his argumentis probatum sacerdotium sive primi sive secundi ordinis sacramento conferri.

180. Huic autem sententiae, in quantum dicit, etiam ordinationem episcopalem esse sacramentum, opponitur opinio multorum scholasticorum, qui putabant episcopatum non esse ordinem proprie dictum, sed dignitatem, et ordinationem episcopalem non esse sacramentalem. Ita ss. Albertus Magnus, Thomas, Bonaventura et cum illis multi alii; attamen non omnes. Praeter plurimos canonistas etiam plures theologi contrarium tenuerunt, uti Guilelmus Altissiodorensis, Durandus, Paludanus, Biel, Caietanus, Petrus de Soto, Bellarminus.

S. Thomas, *In* 4 *dist.* 24 q. 3 a. 2 qc. 2 pro eo, quod episcopatus non sit ordo, inducit has rationes: « Unus ordo non dependet a praecedenti quantum ad necessitatem sacramenti. Sed episcopalis potestas dependet a sacerdotali: quia nullus potest recipere episcopalem, nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo episcopatus non est ordo. Praeterea maiores ordines non conferuntur nisi in sabbatis. Sed episcopalis potestas traditur in dominicis. Ergo non est ordo ». In solutione quaestionis dicit: « Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod est sacramentum; et sic, ut prius dictum est

(scl. In 4 d. 24 q. 2 a. 1 qc. 2) ordinatur omnis ordo ad eucharistiae sacramentum; unde, cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote quantum ad hoc, non erit episcopatus ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum; et sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo, et secundum hoc loquuntur auctoritates inductae ». In responsione ad secundum habet: « Ordo, secundum quod est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum eucharistiae, in quo ipse Christus continetur, quia per characterem ipsi Christo configuramur; et ideo licet detur aliqua potestas spiritualis episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris, et propter hoc episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est quoddam sacramentum ».

181. Consideranda sunt argumenta principalia, quae pro hac sententia afferri solebant:

1) Ordinatio episcopalis non est valida, nisi subiectum sit presbyter. Inde tamen per se nullo modo sequitur, ut ordinatio episcopalis non sit sacramentum. Potest esse sacramentum, etiam si illud sacramentum valide recipi non potest nisi a presbyteris. Sed maioris momenti est, quod argumentum procedit ex suppositione erronea. Supra (nr. 147-149) ostensum est, ordinationem episcopalem valide conferri posse et non raro collatam esse valide etiam illis, qui non erant presbyteri. Ex ipso autem hoc facto desumi potest argumentum, episcopatum esse sacramentum. Nam illi, qui non erant presbyteri et statim ordinati sunt episcopi, hac ordinatione receperunt totam potestatem sacerdotalem; si autem illa ordinatio non esset sacramentum, sequeretur, ut potestas principalis sacerdotalis (consecrare, offerre, remittere peccata) illis communicata esset sine ordine et sine sacramento.

2) Omnis ordo sacramentalis ordinatur ad sacramentum eucharistiae; atqui ordinatione episcopali non confertur potestas circa eucharistiam ultra eam, quam habet iam presbyter; ergo non est ordo sacramentalis. Difficile erit propositionem maiorem, ex qua

argumentatio procedit, dogmatice probare. Sine dubio in ordinatione sacramentali traditur aliqua potestas et imprimitur character. Sed de natura characteris dogmatice solum constat eum esse signum indelebile. Quod autem character solum imprimatur, quatenus confertur potestas aliqua circa eucharistiam, probari nequit. Theologi quidem speculando de natura et munere characteris multa dixerunt; sed consensus non habetur. Agitur de opinionibus liberis theologorum, quae tamen non possunt esse fundamentum securum argumentationis dogmaticae. Etiamsi character sacerdotalis dicitur esse potestas, non tamen est potestas exclusive respectu eucharistiae, sed etiam circa alia sacramenta. Et sic propositione maiore non probata, argumentum est nullum.

Cum autem multi ex iis, qui hanc sententiam defendunt, subdiaconatum et ordines minores habeant pro sacramentis, *ad hominem* responderi potest: Omnes illi ordines, immo etiam diaconatus, nullam conferunt potestatem novam circa eucharistiam, quam non habeant etiam laici; i. e. id quod « possunt » illi circa eucharistiam, « potest » valide etiam a laicis, et mulieribus fieri; ergo principium: ad hoc, ut ordo sit sacramentalis, requiritur, ut novam circa eucharistiam conferat potestatem, non valet. Episcopus autem ordinatione accipit potestatem conferendi aliis potestatem consecrandi eucharistiam et offerendi sacrificium; certo ergo maiorem « potestatem » circa eucharistiam accipit, quam ostiarus vel exorcista. Sed hoc responsum solum est « ad hominem »; principale responsum manet: Probatum non est, non esse ordinem sacramentalem, nisi detur nova potestas circa eucharistiam.

3) Septem sunt ordines; atqui si episcopatus esset ordo, octo essent ordines; ergo non est sacramentum. In hoc quoque argumento vitium latet in propositione maiore. Nunc revera solent septem ordines enumerari; sed quod debeant esse septem ordines, et quidem solum illi septem, omnino negandum est. In ecclesia orientali non sunt septem, in ecclesia latina enumerantur 6, 7, 8, 9, ordines (vide supra nr. 137 s.). Praeterea quinque ex illis septem ordinibus sunt institutionis ecclesiasticae. Sicuti ecclesia illos instituit, potest etiam alios instituere et illis septem addere, vel etiam

eorum numerum minuere: ex numero septenario ordinum argumentum contra sacramentalitatem ordinationis episcopalis institui non potest.

Ergo cum ex una parte argumenta positiva ex s. Scriptura et traditione eodem modo sacramentalitatem ordinationis episcopalis et presbyteralis probent, immo forte magis sacramentalitatem ordinationis episcopalis, et cum ex altera parte nulla habeantur argumenta, quae ostendant, ordinationem episcopalem non esse sacramentum, dicimus in thesi, tum ordinationem episcopalem, tum ordinationem presbyteralem esse sacramentum.

182. Quod autem ad *qualificationem* huius thesis attinet, propter auctoritatem externam illorum theologorum, qui tenent vel tenebant ordinationem episcopalem non esse sacramentum, distinguendum est. Quod ordinatio presbyteralis sacramentum sit, certo est de fide, et de hac re numquam erat dubium aut controversia inter theologos; et id quod concilium tridentinum dicit de sacramento ordinis, saltem de ordine presbyterali intelligendum esse, supra iam dictum est. Quoad ordinationem vero episcopalem statuimus thesim ut certam et nunc communiorem.

THESIS: Ordo diaconatus sacramento confertur.

183. Nomen diaconi, ministri, saepius in NT occurrit, non solum ad designandum eum, qui alicui servit, sed etiam pro eo, qui speciale aliquod ministerium habet. Christus est minister (διακονος) circumcisionis: *Rom* 15, 8, non minister peccati: *Gal* 2, 17. Apostoli sunt ministri Christi: 2 *Cor* 11, 23. S. Paulus est minister Christi: *Ephes* 3, 7; minister Novi Testamenti: 2 *Cor* 3, 6; evangelii: *Col* 1, 23; ecclesiae: *Col* 1, 25. Apollo et Paulus vocantur ministri: 1 *Cor* 3, 5; Tychicus: *Eph* 6, 21; *Col* 4, 7; Epaphras: *Col* 1, 7; Timotheus: 1 *Thess* 3, 2; 1 *Tim* 4, 6. Immo femina aliqua, Phoebes dicitur διακονος: *Rom* 16, 1. Omnibus his locis vulgata vertit « minister » (vel « in ministerio »); solum *Phil* 1, 1; 1 *Tim* 3, 8. 12 vulgata retinet terminum graecum « diaconus ».

S. Paulus *Phil* 1, 1 salutat sanctos, qui sunt Philippis « cum episcopis et diaconibus ». Ita ab initio ecclesiae inveniuntur diaconi, sicut episcopi et presbyteri, et cum illis conumerantur. Inveniuntur autem diaconi omni tempore, in omnibus ecclesiis, in oriente et in occidente, apud unitos et non unitos: diaconatus est ordo, qui immutabiliter semper in ecclesia exstitit et exsistit. Ab initio quoque eodem fere modo quo presbyteri et episcopi, per impositionem manuum episcopi et orationem in munere suo constituuntur. 1 *Tim* 3, 8. 12 describitur, quales debeant esse ii, qui ad hoc munus eliguntur.

184. De functionibus diaconorum ex testimoniis in prima parte allatis, haec colligi possunt: Ministri sunt mysteriorum Christi, ecclesiae Dei, non ciborum et potuum diaconi (8); ministri episcopi (16; 22; 37; 70); episcopus et diaconus unum corpus (20); habent administrationem rerum temporalium (10; 29); curam ordinis in ecclesia habent (20; 56); sunt ad ministerium sacrum et officium altaris (115); adstat oblationibus eucharistiae (20); dona ad altare admovent (56); flabellis abigunt parva animalia volantia, ne in calices incidant (56); sacerdoti et presbyteris aquam ad abluendas manus praebent (45); distribuunt eucharistiam (11; 29; 33; 56; 70; 87: solum in absentia episcopi vel presbyteri; 105, 115); sunt interpretes et exsecutores verbi Dei (70); evangelizant (105; 115); legunt Actus Apostolorum (75); s. Scripturam (76); evangelium (54; 99; 116; 117); debent psallere (81); non offert (35); non debet chrismare (69); absque episcopo vel presbytero non baptizat (87); exomologesis apud diaconum (29); ab apostolis constituti post ascensionem Domini (20). Pontificale Romanum: « Diaconum enim oportet ministare ad altare, baptizare et praedicare »; sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; comministri et cooperatores corporis et sanguinis Domini; annuntiant evangelium; sacris altaribus inserviunt. Accipiunt potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. Secundum Cod. Iur Can. diaconus est minister extraordinarius baptismi solemnis (can. 741) et s. Communionis (can. 845 § 2); minister ordinarius expositionis et repositionis ss.mi Sacramenti (can. 1274 § 2).

185. Thesis dicit ordinationem diaconorum esse sacramentum, sicuti ordinatio episcoporum et presbyterorum. Hoc negatum est a *Durando* (In 4 dist. 24 q. 2) et *Caietano* (Tractatus XI: De modo tradendi vel suscipiendi sacros ordines). Reliqui theologi affirmant, sed differunt in qualificatione. Statuimus thesim ut sententiam inter theologos nunc communem et certam.

ARGUMENTUM

186. Ritus, quo quis constituitur in ordine a Christo instituto, et quo confertur gratia, est sacramentalis. Nam si Christus ipse instituit istum ordinem, instituit quoque eum conferendum esse signo aliquo sensibili (sive in genere, sive in specie istud instituit); ergo habetur signum sensibile a Christo institutum ad conferendam gratiam; tale autem signum est sacramentum. Nunc autem diaconatus est a Christo institutus, et ordinatione diaconorum confertur gratia; ergo est sacramentum.

Imprimis ostendendum est, officium diaconatus a Christo esse institutum, esse iuris divini et non iuris humani, ecclesiastici. Hoc ex eo apparet, quod diaconatus ab initio invenitur in ecclesia simpliciter conumeratus cum episcopatu et presbyteratu: *Phil* 1, 1; *Didache* (6); *Clem. Romanus* (7); *Ignatius* (8), qui inter alia dicit: sine his, episcopo scl., presbyteris, et diaconis ecclesia non vocatur; *Polycarpus* (9); *Pastor Hermae* (10) etc. Diaconatus exsistit omnibus temporibus in omnibus ecclesiis, neque umquam apparet ecclesiam, vel particularem vel universalem, tribuere sibi ius circa exsistentiam diaconatus. Hoc autem manifestat, eum esse iuris divini. Nam si esset institutionis ecclesiasticae, ecclesia eadem potestate, qua instituit, posset eum supprimere. Exsistentia diaconatus ita videtur esse extra potestatem ecclesiae, sicut exsistentia sacerdotii. Ergo diaconatus est institutionis divinae.

Ritum illum autem esse ad conferendam gratiam patet: ab initio diaconatus confertur impositione manuum episcopi cum invocatione Spiritus sancti, ergo ritu, qui explicite finem habet communicationem Spiritus sancti. Ritus est omnino similis illi quo confertur ordo episcopatus vel presbyteratus.

187. Act 6, 1-6 refertur institutio septem virorum. Difficile est determinare, num agatur ibi de institutione diaconorum sensu stricto. Septem illi viri non vocantur diaconi; officium eorum est ministrare mensis (6, 2), a quo officio videtur distinguere velle *Ignatius* officium diaconorum, qui non sint ciborum et potuum diaconi (supra nr. 8). Modus vero, quo haec institutio describitur, et explicita relatio nominum illorum septem virorum innuere videtur, agi de re aliqua maioris momenti, quam sit sola nominatio ministrorum mensae. Et de facto aliqui ex iis (Stephanus cap. 6 et 7; Philippus cap. 8) apparent non solum ut ministri mensae, id quod forte confirmatur etiam ex qualitatibus in his viris requisitis, ut sint scl. boni testimonii, pleni Spiritu sancto et sapientia (6, 3). Ex his multi colligunt, agi revera de diaconis sensu stricto. Ita intellexerunt *Cyprianus* (22), *Chrysostomus* (50), *Hieronymus* (73), *Isidorus Hispalensis* (105). Ex *Act* 6 explicatur etiam, quod interdum numerus septenarius diaconorum postulatur in singulis ecclesiis: *Cornelius papa* (21), *Conc. neocaesar.* (37), *Hieronymus* (73), *Isidorus* (105); et quod diaconi habuerint etiam curam rerum temporalium in ecclesiis: *Pastor Hermae* (10), *Cornelius* et *Cyprianus* (29). Nostris temporibus exegetae catholici in hac quaestione non conveniunt.

Si *Act* 6 non agitur de diaconis sensu stricto, nihil, ut patet, inde erui potest de institutione diaconorum. Sed etiam si textus intelligitur de diaconis sensu stricto, non probatur diaconatum esse institutionis humanae, non divinae. Nam versamur adhuc in tempore, quo revelatio publica nondum est finita; ex textu autem decidi nequit, utrum apostoli illud officium instituerint auctoritate propria, an exsequendo mandatum Domini: utrumque est possibile. Argumentum autem nostrum pro divina institutione diaconatus est independens ab hoc textu, neque per illum infirmatur.

THESIS: Subdiaconatus et ordines minores non conferuntur sacramento.

188. A saeculo 3. apparent praeter episcopatum, presbyteratum et diaconatum alii quoque ordines; numerus eorum variat et etiam ordo quo enumerantur (vide supra nr. 137 s.). In his officiis

fideles constituebantur per aliquem ritum; exorcistatus vero non semper aliquo ritu conferebatur. In Ecclesia latina ordines infra subdiaconatum paulatim amiserunt valorem suum ut officia, et evaserunt gradus, quibus ad diaconatum vel presbyteratum ascenditur, et etiam ut tales non censebantur necessarii (vide supra nr. 100; Andrieu, op. cit. supra ad nr. 122). Hodie in ecclesia latina sunt meri gradus ad ordines superiores sine ullo valore practico (supra nr. 140).

189. Subdiaconatus, cum quo coniungebatur obligatio ad caelibatum, paulatim magis magisque accedebat ad diaconatum et presbyteratum et cum illis conumerabatur ordo maior vel sacer, cum antea conumeraretur cum ordinibus minoribus, uti hodie adhuc in ecclesiis orientalibus.

Alexander II (1061-1073) videtur subdiaconatum iam aliqua ratione habuisse ordinem sacrum: « Erubescant impii et aperte intelligant iudicio Spiritus sancti eos, qui in tribus sacris gradibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu positi, mulierculas non abiecerint et caste non vixerint, excludendos ab eorundem graduum dignitate » (C. 11 D. 32. Friedberg I, 120). *Urbanus II* vero subdiaconatum non habuit ordinem maiorem; nam in concilio beneventano (1091) canon 1 dicit: « Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse; super his solum praeceptum habemus apostoli. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime, si tamen spectatae sint religionis et scientiae. Quod et ipsum sine Romani pontificis vel metropolitani licentia non fiat » (Msi 2, 739). Circa medium saeculum 12. *Hugo a S. Victore* (De sacramentis lib. 2, p. 3, c. 13; ML 176, 430) loquendo de iis, qui episcopi eligi possunt, fere verba concilii beneventani repetit; similiter *Petrus Lombardus* (Sent. lib. 4 dist. 24): « Cumque omnes spirituales sint et sacri, excellentes tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet et presbyteratus; quia hos solos primitiva ecclesia legitur habuisse, et de his solis praeceptum apos-

toli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus episcopos et presbyteros ordinaverunt; levitas etiam ab apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus; subdiaconos vero et acolythos procedente tempore ecclesia sibi constituit » (Haec ultima ex Gratiano, in princip. dist. 21. Friedberg 1, 67). Versus finem vero saeculi 12. *Petrus Cantor* (Verbum abbreviatum c. 60; ML 205, 184): « Prima autem manus imposito debetur diaconibus ordinandis. De novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem ». *Innocentius III* (1207): « A multis multotiens, an subdiaconus in episcopum eligi valeat, haesitatur ». Deinde citatis verbis Urbani II. et Alexandri II. (sub nomine Urbani) pergit: « et ad similitudinem diaconi et presbyteri, subdiaconus debet continentiam observare, sicut est in sexta synodo constitutum, ut, si quis eorum, qui ad clerum accedunt, nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante subdiaconatus ordinem faciat; et beatus Gregorius statuisse legitur, ut nullum facere subdiaconum praesumant episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit. Nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus, ut subdiaconus in episcopum valeat libere eligi, sicut diaconus vel sacerdos » (Cap. 9, X, de aetate, I, 14. Friedberg 2, 128 s.). Idem eodem anno (sed non est eius haec decretalis epistula): « De subdiaconali (tamen) ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis expresse, videtur nobis, quod et is cum diaconali gradu privilegio gaudet eodem (i. e. ius quod est de servo facto diacono, etiam de subdiacono debet intelligi). Nam licet sacer ordo non reputaretur in ecclesia primitiva, tamen a constitutione Gregorii atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur » (Cap. 7, X, de servis non ordinandis, I, 7. Friedb. 2, 143). Et exinde in latina ecclesia subdiaconatus habetur ordo sacer, ordo maior.

190. Quaeritur, num ritus quo hi ordines, scl. subdiaconatus, et ordines minores, conferuntur, sit sacramentum. In hac quaestione consideramus subdiaconatum simul cum ordinibus minoribus, quia ex eius evolutione ab ordine minore ad maiorem nihil inferri potest relate ad eius sacramentalitatem, uti ex modo dictis patet.

Longe maior pars scholasticorum mediaevalium putabant illos

ordines esse sacramentales; plurimi vero canonistae hoc negabant. Quo magis autem, maxime post concilium tridentinum, inquisitionibus historicis vicissitudines horum ordinum manifestabantur, eo magis quoque theologi ab ista sententia recesserunt, et hodie pauci solum sunt, qui affirmantem sententiam teneant: De Augustinis, Billot, Tanquerey, Hugon et recentissime Tymczak, Quaestiones disputatae de ordine. Premisliae 1936.

191. Ut autem priorum scholasticorum sententia recte intelligatur et de eius valore iudicari possit, necessarium videtur referre, quomodo illi hanc rem conceperint.

S. Thomas ostendit ordinem esse sacramentum *In* 4 *dist.* 24 q. 1 a. 1 qc. 3. Esse ordinem sacramentum probat 1) ex eo, quod ab omnibus enumeratur inter septem ecclesiae sacramenta; 2) ex principio « propter quod unumquodque, et illud magis »; nam propter ordinem homo fit dispensator sacramentorum; ergo ordo magis est sacramentum, quam alia. In Solutione explicat: « Sacramentum, ut ex supra dictis patet, nihil est aliud, quam quaedam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili; unde, cum in susceptione ordinis quaedam consecratio homini adhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum ». Ad tertium respondet: « Non omnis benedictio, quae adhibetur homini, vel consecratio, est sacramentum: quia et monachi et abbates benedicuntur; et tamen illae benedictiones non sunt sacramenta; et similiter nec regalis inunctio, quia post huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictionem ordinis; et ideo non est simile ». Articulo 2 quaerit, utrum in hoc sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens; et affert argumentum: « Sacramenta novae legis efficiunt quod figurant; sed ordo per numerum septenarium significat septem Spiritus sancti dona, ut in littera dicitur. Ergo dona Spiritus sancti, quae non sunt sine gratia gratum faciente in ordine dantur ».

192. Haec s. Thomas proponit modo generali de « ordine »; non quaerit de singulis ordinibus, num sint sacramenta, sed eo

quod probatum est, ordinem esse sacramentum, videtur iam subintelligi probatum esse, singulos ordines esse sacramentales. Magis autem ad singulos ordines descenditur in quaestione, num omnis ordo imprimat characterem. Scholastici considerabant ordinationem imprimis sub ratione collationis alicuius potestatis. Magister scripserat: « Ordo est signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato ». S. Thomas, respondendo ad quaestionem, num omnis ordo imprimat characterem (art. 2 qc. 2) in Solutione triplicem de hac re refert opinionem: « Quidam enim dixerunt, quod in solo ordine sacerdotali character imprimitur. Sed hoc non videtur verum: quia actum diaconi nullus potest exercere licite nisi diaconus: et ita patet, quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent. Et propter hoc alii dixerunt, quod in sacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc nihil iterum est: quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur: cuius etiam signum est quod perpetuo manet, et numquam iterantur. Et haec est tertia opinio, quae communior est ».

193. In quaestione 2 art. 1 qc 2, ubi quaeritur, num septem sint ordines, secunda obiectio est haec: « Omnia sacramenta habent efficaciam et auctoritatem ex institutione Christi, vel saltem apostolorum eius. Sed in doctrina Christi et apostolorum non fit mentio nisi de presbyteris et diaconis. Ergo videtur quod non sunt alii ordines ». Et respondet: « In primitiva ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dionysium (3 cap. eccl. hierarch.), ubi dicit: » Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud quid proprii ordinis operantur; alii cum sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem et benedictionis calicem «. Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; et ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis; et secundum

hoc dicit Magister in littera, quod ecclesia alios ordines sibi instituit ».

194. Ad eandem difficultatem respondet s. Bonaventura (*In 4 dist.* 24 p. 2 art. 2 q. 1 ad 3): « Ad illud quod obicitur, quod in ecclesia primitiva soli ordines sacri fuerint, dicendum quod falsum est, immo et alii fuerunt; sed implicite dabantur in impositione manuum, quoniam manus est organum organorum. Ratio autem, quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium et propter paucitatem fidelium; ideo oportebat, quod omnia officia darentur uni; nunc autem multiplicatus est cultus divinus: ideo non est simile ». Et ad 4: « Et per hoc patet ad ultimum. Quod enim dicit, quod substantialia semper fuerunt eadem, dicendum, quod omnino verum est; et semper isti ordines et gradus in ecclesia fuerunt, licet non essent explicati et distincti, ut nunc. Non solum enim nunc debent distingui propter ministrantium amplificationem, sed etiam propter manuductionem, quia ab ipsis cunabulis ordinantur nunc qui debent esse clerici. Ideo secundum profectum aetatis in susceptione graduum debent et possunt promoveri, nec statim ad supremum gradum provehi ».

195. Argumenta theologorum mediaevalium pro sacramentalitate subdiaconatus et minorum ordinum hodie non iam solent proponi; qui nostris temporibus eam sententiam defendunt, praeter auctoritatem illorum theologorum invocant auctoritatem Decreti pro Armenis et concilii tridentini. Sed haec argumenta non videntur efficacia.

Quod ad auctoritatem theologorum attinet, retinendum est, numquam exstitisse in hac re consensum theologorum, sed erat illa sententia per aliquot saecula communior inter theologos, contradicentibus aliis theologis et maiore numero canonistarum. Hodie vero sententia, quae negat sacramentalitatem, est sententia longe communior theologorum et canonistarum.

196. Neque ex *Decreto pro Armenis* quidquam in hac re probari potest. In hoc Decreto, secundum sententiam eo tempore apud

theologos communiorem, supponi subdiaconatum et ordines minores esse sacramentales, facile concedi potest, licet non verbis explicitis hoc dicatur. Directe enim sermo est de materia et forma sacramenti ordinis; sed afferendo exempla, post indicatam materiam presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus, pergit: « et similiter de aliis ». Qui ita loquitur, supponit subdiaconatum et reliquos ordines esse sacramentales. Sed quaeritur, quaenam sit auctoritas huius Decreti. Estne dicendum, id quod ante Decretum erat quaestio libere disputata, etiam post Decretum eodem modo mansisse quaestionem libere disputatam, an est dicendum, per Decretum hanc libertatem restrictam vel diminutam esse. Si hoc ultimum obtinet, ex auctoritate Decreti aliquod argumentum pro sententia, quae in Decreto manifestatur, iure fieri potest; si autem primum obtinet, argumentatio non est valida. De natura huius Decreti plures factae sunt inquisitiones, quae tamen hucusque nondum perduxerunt ad conclusionem de auctoritate Decreti, quae communem invenerit consensum. Fortasse facilius ad conclusionem perveniri potest, si consideratur, qualem auctoritatem in huiusmodi quaestionibus disputatis patres concilii tridentini Decreto tribuerint. Si deinde theologi eandem auctoritatem in suis argumentis huic Decreto tribuunt, vix erit periculum erroris.

197. In iis, quae sunt doctrina ecclesiae, concilium tridentinum, ut per se patet, convenit cum iis quae habentur in Decreto pro Armenis; inde tamen pro auctoritate huic Decreto adscripta vix quidquam inferri potest. Interdum quoque patres concilii eligunt terminum in Decreto adhibitum, si bene id refert, quod patres dicere volunt, e. gr. actus poenitentis esse quasi materiam poenitentiae. Interdum vero observari potest differentia aliqua a verbis Decreti: e. gr. Decretum dicit materiam sacramenti extremae unctionis esse « oleum olivae per episcopum benedictum » (Denz. 700); concilium tridentinum omittit « olivae » et dicit « materiam esse oleum ab episcopo benedictum » (Denz. 908). Nullus autem videtur esse casus, in quo patres concilii ipsa auctoritate huius Decreti inducti fuerint ad amplectendam et proponendam aliquam doctrinam, si agebatur de quaestionibus eo tempore in ecclesia controversis.

Indicari autem potest casus, in quo potius contrarium apparet, idque praecise in materia de sacramento ordinis. Patres enim concilii optime noverunt, quae sententia de materia et forma ordinis in Decreto pro Armenis continetur; imo ipsa auctoritas huius Decreti inducebatur in concilio in favorem sententiae, materiam esse traditionem instrumentorum. Sed patres auctoritate Decreti non solum non movebantur ad amplectendam vel praeferendam hanc sententiam, sed considerabant hanc quaestionem talem, de qua libere disputari potest. Neque ullum habetur indicium, secundum mentem patrum hanc libertatem Decreto restrictam vel diminutam esse. Ergo Decreto in hac quaestione nullam specialem auctoritatem tribuerunt. Et quoniam, non obstante Decreto pro Armenis, hanc quaestionem numerabant inter quaestiones libere disputatas, verba decreti sui ita mutabant et aptabant, ut ista quaestio omnino non tangeretur. Ergo auctoritas Decreti pro Armenis secundum mentem patrum concilii non est talis, ut minuat aut restringat libertatem disputationis in hac quaestione.

Si autem ita est, argumentum validum ex auctoritate huius Decreti in huiusmodi quaestionibus fieri nequit; theologi enim non debent huic Decreto maiorem auctoritatem tribuere, quam patres concilii tridentini.

198. Neque ex *concilio tridentino* argumentatio valida fieri potest in favorem sententiae, quae affirmat subdiaconatum et ordines minores esse sacramentales. Tempore concilii comunissima erat sententia theologorum, illos ordines revera esse sacramentales et ab ipso Christo institutos; una ex principalibus rationibus eorum erat, quod putaverint non esse recedendum a sententia a saeculis a plurimis theologis proposita (vide de sententia theologorum tempore concilii tridentini Giovanni Battista da Farnese O. F. M. Cap. *Il sacramento dell'ordine nel periodo precedente la Sessione XXIII di Trento*. Roma 1946 pag. 83-99). In ipso concilio undecim ex theologis, qui de hac re loquebantur, defendebant illos ordines esse sacramentales, quamvis aliqui explicite agnoverint, alios aliter sentire; unus explicite negavit eos esse sacramentales. Inter patres vero alii putabant, omnes ordines esse sacramentales a Christo insti-

tutos, imo Christum ipsum singulos ordines exercuisse; alii subdiaconatum et ordines minores esse institutionis ecclesiasticae; alii hanc quaestionem pertinere ad opiniones i. e. ad quaestiones, de quibus libere disputari potest, et propterea nihil de ea esse decidendum. Negari nequit, formulas patribus propositas omnino favere opinioni, ordines illos esse sacramentales a Christo institutos. Haec omnia autem a patribus non sunt approbata, sed formulae ita mutari debuerunt, ut nihil remaneret, quod intelligi posset in favorem istius opinionis. Ex. gr. forma die 6. decembris 1562 concepta, capite secundo dixit: « ab ipso ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque eorum singulis propria ministeria: subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii, qui omnes uno diaconi nomine comprehendebantur, frequentissime apud patres et sacra concilia legimus » (Conc. trid. ed. Goerres. 9, 226; ad hanc doctrinam cf. quae supra nr. 193; 194 ex s. Thoma et s. Bonaventura relata sunt). Formula die 11. ian. 1563 concepta iam aliquatenus mutando dixit, post enumerationem ordinum: « qui omnes, quemadmodum diaconi, in genere ministrantium habentur » (Conc. trid. 9, 229). Haec autem a patribus non sunt approbata, et in textu definito suppressa. Forma 3. nov. 1562 capite 5: « Verum praeter iam commemoratos diversos ordinum gradus et spirituales potestates, docet s. synodus, episcopos in ecclesia catholica ..... praecipuum locum obtinere, atque ita, ad similitudinem caelestis Hierusalem ecclesiasticam hierarchiam per succedentium ordinum aptissimam dispositionem a Christo Domino constitutam esse » (Conc. trid. 9, 106). Haec facile intelligi potuerunt eo sensu, quod Christus omnes ordines, ergo etiam subdiaconatum et minores, instituerit; hoc a patribus non approbatur et textus definitus non iam loquitur de institutione Christi (Plura vide apud M. Quera, *El concilio de Trento y los Ordenes inferiores al Diaconado*. Estudios eclesiasticos 4, 1925, 337-358).

199. Ex his apparet quaestionem nostram non solum a concilio non esse determinatam, quod ab omnibus theologis hodie conceditur, sed concilium secundum morem suum non voluisse tangere diversas istas sententias et propterea verba sua ita elegisse,

ut neque huic neque illi sententiae magis faveant. Concilium voluit hanc quaestionem perfecte liberam relinquere neque ullo modo libertatem disputationis circa eam restringere. Hinc ex mente concilii verba eius ita intelligi *debent*, ut quaestio de sacramentalitate ordinum, in quantum ea est inter catholicos theologos disputata, maneat intacta. Unde etiam intelligitur, quomodo praecise post concilium tridentinum sententia affirmans eos ordines esse a Christo institutos magis magisque a theologis relicta fuerit et opposita sententia evaserit magis communis.

Ex dictis autem eruitur conclusio magni momenti: Si quis verbis concilii sensum tribuit, vel doctrinam concilii eo sensu interpretatur, qui uni ex sententiis controversis magis faveat, verba et doctrinam concilii non iam eo sensu intelligit, quo concilium ea intellexit, et argumentatio, quae ex verbis concilii sic intellectis procedit, non nititur auctoritate et doctrina concilii. Ex concilio tridentino ergo neque pro una neque pro altera sententia argumentum fieri potest.

200. Si autem non probatur, hos ordines esse sacramentales, non affirmari debet eos esse sacramentales; nam aliquid esse sacramentum non supponendum, sed probandum est. Sed insuper potest ratio adduci, quae ostendit, illos ordines non esse sacramentales; nam non sunt a Christo instituti, sed ab ecclesia.

201. Christum hos ordines instituisse significat, secundum mentem Christi illa determinata ministeria in ecclesia esse tanti momenti, ut Christus ea per se non a quolibet fideli, sed ab iis, qui ad hoc speciatim ordinati sunt, exerceri voluerit. Christus ergo imprimis determinare debuit, quaenam sint illa ministeria; voluit deinde, ut fideles ad haec ministeria exercenda per aliquem ritum sensibilem, quo eis indelebilis character, quo a reliquis fidelibus distinguantur, imprimitur et gratia conferatur, ut rite et digne his suis officiis fungantur. Ipse quoque hunc ritum vel in specie vel in genere determinare debuit. Ex. gr. ostiariatus: secundum Pontificale Romanum « ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam; aperire ecclesiam et sacrarium; et librum aperire ei qui prae-

dicat ». Ritus est: Pontifex tradit eis claves ecclesiae sub aliqua oratione; Archidiaconus « ducit eos ad ostium ecclesiae et facit illos claudere et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare ».

202. Quaestio igitur principalis est, num Christus ipse illa ministeria singulis ordinibus propria determinaverit. Nam si ne hoc quidem fecit, multo minus ritum instituit, quo fideles in officio illorum ministeriorum constituantur. Sunt autem rationes, quae ostendunt, illa ministeria ut specialibus ordinibus propria non esse a Christo instituta.

203. Quae a Christo instituta sunt et sunt iuris divini, quoad exsistentiam suam sunt immutabilia, subtracta potestati ecclesiae. Ita clare apparet in episcopatu, presbyteratu, diaconatu, cuius divinam institutionem praecise ex eo probavimus, quod immutabilis perseverat in ecclesia et potestati ecclesiae est subtractus. In aliis autem ordinibus apparet potius contrarium: variantur quoad numerum tum comparando ecclesias orientales cum latina, tum etiam in ipsa ecclesia latina (vide supra nr. 137 s.). Variantur etiam quoad ipsum eorum ministerium: ministerium acolythi in ecclesia Romana mutatum est, postquam Romae receptus est ritus ordinandi acolythum ex Pontificali Romano-germanico, et ritus antiquus Romanae ecclesiae relictus (vide supra nr. 123 et notam 18). Quaeritur ergo, quodnam est illud ministerium acolythi, quod Christus instituit. Functiones subdiaconi in ecclesia orientali diversae sunt a functionibus in ecclesia latina. Quaenam ergo est functio a Christo determinata? Haec omnia facile intelliguntur de iis, quae sunt iuris humani, difficile vero de iis, quae sunt iuris divini, uti sunt sacramenta.

204. Ulterius: si hi ordines ut vere sacramentales, imprimentes characterem et conferentes gratiam sacramentalem, a Christo instituti sunt, dicendum videtur, Christum etiam voluisse, ut ista ministeria per se exercenda sint a fidelibus sacramento ad hoc deputatis, charactere ordinis insignitis, et quibus specialis gratia collata est, ut recte et digne officio suo fungantur. Sed iure videtur

quaeri posse, num ministeria illorum ordinum revera talia sint, ad quae rite et digne exercenda homo indelebili charactere ornetur et speciali gratia sacramentali iuvetur. Ministerium ostiarii, quale sit, supra iam diximus. De acolytho Pontificale Romanum dicit: « acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria ecclesiae accendere, vinum et aquam ad eucharistiam ministrare ». Si non habentur argumenta vere convincentia, assumendum non est, Christum pro talibus ministeriis sacramentalem ordinationem instituisse.

205. Tandem, si secundum mentem Christi haec ministeria in ecclesia tanti momenti essent, ut ad ea rite et digne exercenda Christus voluerit homines charactere sacramentali distingui et speciali gratia adiuvari, dicendum esset, ecclesiam ab hac mente Christi non parum recessisse. Nam per multa saecula usque ad nostra tempora permittit, ut non solum hinc inde, quasi per modum exceptionis, sed ordinarie et ubique laici ad haec ministeria adhibeantur, idque etiam ubi clerici ad hoc ordinati non desunt. Ubi ministerium ex. gr. ostiarii pulsandi campanas exercetur ab ostiario ordinato? Haec omnia quae vix intelligi possunt, si illi ordines sunt a Christo instituti, facile intelliguntur, si sunt institutionis ecclesiasticae.

Et si ita est, etiam intelligitur ordines illos saeculo demum tertio apparere. Nudum hoc factum per se quidem non excludit, eos esse a Christo institutos et iam antea in ecclesia in usu fuisse. Sed si attenditur temporibus prioribus quoque eos indicari, qui specialia munera et officia in ecclesia habent et solos episcopos, presbyteros et diaconos nominari, iure quaeritur, cur de illis aliis nihil dictum sit, si revera iam exsistebant.

206. Sed dicitur: hi ordines ante saeculum tertium impliciti erant in ordine diaconatus; ergo sunt institutionis divinae.

Hac via immediata institutio per Christum aliquatenus adhuc salvari potest, si supponitur, Christum ipsum ministeria his ordinibus propria determinasse et voluisse, ut ea exercenda sint a fidelibus charactere indelebili ornatis et gratia speciali adiutis. Hoc videtur duplici modo concipi posse.

Primo ita ut dicatur, diaconatum, uti ab ipso Christo institutus erat, non solum ea ministeria continuisse, quae nunc adhuc diaconis propria sunt, sed etiam ea, quae illis inferioribus ordinibus propria sunt. In hoc casu ecclesia diaconatum primitivum resolvisset solum in suas partes; praeterea autem supponendum esset, ecclesiam accepisse a Christo potestatem eligendi ritum singulis ordinibus proprium, quo character imprimatur et gratia conferatur.

Secundo posset etiam sic concipi, ut dicatur, Christum quidem ipsum omnes et singulos ordines immediate instituisse cum propriis suis ministeriis et ritu, quo conferendi sint. Cum autem primis temporibus propter paucitatem ministrorum omnia illa ministeria, a diaconatu usque ad ostiariatum, exercenda essent ab iisdem ministris, unico ritu diaconatus, impositione scl. manuum, omnes sex illi ordines his ministris simul conferebantur. Hoc erat possibile, quia in ipso ritu impositionis manuum omnes ritus reliquorum ordinum continentur; manus enim est organum organorum. Ita intellexisse videtur s. Bonaventura (supra nr. 194). Decursu temporis, quando sufficiens numerus ministrorum aderat, ecclesia coepit illos ordines distincte conferre distinctis fidelibus per ritum ab ipso Christo institutum.

207. In utroque modo concipiendi inclusionem inferiorum ordinum in diaconatu, assumendum est, ministeria inferiorum ordinum primitus speciali modo diaconos exercuisse. Pro hac vero assumptione nullum habetur argumentum, sed hoc gratis omnino supponitur. Nullum habetur indicium ministerium ex. gr. portandi cereos, vel ministerium proprium exorcistarum speciali modo fuisse ministerium diaconorum (notandum est apud exorcistas agi de exorcismo extra collationem sacramenti baptismi). Historia potius videtur ostendere, primo fideles laicos libere illa ministeria exercuisse; paulatim vero quaedam ministeria determinatis fidelibus stabiliter committebantur tamquam eorum officium vel munus, qui ab ecclesia quoque ex parte saltem sustentabantur; tandem ritu aliquo in his officiis constituebantur.

Si autem inclusio inferiorum ordinum in diaconatu eo modo intelligeretur, quod ecclesia ipsa ex variis ministeriis aliqua deter-

minata elegisset et statuisset, fideles ad exercenda illa ministeria speciali ritu ordinandos esse, iam non haberetur immediata institutio Christi, neque vera « inclusio » illorum ordinum in diaconatu.

208. Sed obiicitur: illis ordinibus imprimitur character; non enim iterantur; ergo sunt sacramentales.

Verum est, non iterantur; inde tamen inferri non potest eos imprimere characterem. Valet quidem: ubi imprimitur character, non iteratur; sed non valet: ubi non iteratur, imprimitur character. Tonsura non iteratur; non imprimitur character; benedictio abbatissae, benedictio et consecratio virginum non iteratur; non imprimitur character. Quod illi ordines non iterentur, est ex constitutione ecclesiae.

209. Quae dicta sunt, paucis ita comprehendi possunt: Ritum aliquem esse sacramentalem a Christo institutum non supponendum, sed probandum est; nullum habetur argumentum, ordines infra diaconatum esse a Christo institutos; e contra plura sunt, quae ostendunt eos esse institutionis ecclesiasticae; ergo illi ordines non sunt sacramentales.

THESIS: Sola impositio manuum cum invocatione Spiritus sancti est ritus essentialis ordinationis sacramentalis.

210. In hac thesi sermo solum est de ordinationibus sacramentalibus, scl. de ordinatione episcoporum, presbyterorum, diaconorum In his multae habentur caeremoniae, et quaeritur, quisnam sit ritus essentialis, sive ille ritus, qui gratiam sacramenti significat et ex opere operato confert; et cum ritus sacramentalis componatur ex materia et forma, quaestio est, quaenam sit materia et forma huius ritus.

Non omnia, quae nunc in Pontificali Romano in ordinationibus inveniuntur, ab initio aderant, sed praesens ritus est fructus alicuius evolutionis. Propterea necessarium est, brevissime indicare, quando istae caeremoniae in usum ecclesiae Romanae receptae sint.

211. In ordinatione episcopi:

Impositio libri evangeliorum: De ea loquuntur Chrysostomus (nr. 50); Constitut. Apostol. (55; diaconi tenent librum evangeliorum); Ps-Dionys. (89); Statuta eccl. antiqua (90: episcopi tenent librum); Amalarius (119: non est antiquae traditionis). Secundum Ordinem Romanum IX (saec. 8) hic ritus observabatur in consecratione episcopali Summi Pontificis. Invenitur in Pont. Rom. Germanico (saec. 10), unde transiit in Pont. Romanum saeculi 12 (nr. 127). Secundum Pontificale Durandi ipse consecrator imponit librum, et duo episcopi eum tenent (134); ita nunc in Pontificali Romano.

Impositio manuum episcoporum, saltem trium (in casu necessitatis unius episcopi) ritus antiquissimus, semper et ubique, cum orationibus et praefatione, quae iam saeculo 6. in usu fuerunt in ecclesia Romana (nr. 114). Verba vero « Accipe Spiritum sanctum... » addidit Durandus, unde transierunt in Pontificale Romanum (134).

Unctio capitis: de ea loquitur initio saeculi 9 Amalarius (119), postea Yvo (121). Invenitur in Pont. R. Germanico s. 10, unde transiit in Pontificale Romanum saeculi 12 (127).

Unctio manuum. Iam initio saeculi 10. Romae ungebantur manus episcopi, si hanc unctionem nondum acceperat in ordinatione presbyterali (ex gr. si diaconus ordinabatur episcopus; vide supra notam 20 ad nr. 127). In Pontif. R.-Germ. habetur propria unctio manuum episcopi distincta ab unctione manuum presbyteri, et hanc unctionem Pontif. Romanum saec. 12 accepit ex Pontif. R. Germ. (127).

Traditio baculi et annuli: Isidorus (102); Rabanus Maurus (115); Pontif. R-Germ. saec. 10, unde transiit in Pont. Romanum saeculi 12. (127).

Traditio libri evangeliorum sub verbis « Accipe evangelium ... ». Haec caeremonia non est ex Pont. R-Germ., sed Romae in Pont. Rom. saec. 12 addita (127).

212. In ordinatione presbyteri.

Impositio manuum unius episcopi, ritus antiquissimus, semper

et ubique, cum orationibus et praefatione, quae iam in usu Romanae ecclesiae erant saeculo 6. (114).

Unctio manuum: Initio saeculi 10 inserta est in ordinem Romanum VIII. Ex Pont. R.-Germ. transiit in Pont. Romanum saeculi 12 (126). De hac unctione loquitur initio saeculi 9 Amalarius (118). Saeculo 9 videtur satis communis fuisse in Gallia, uti patet ex responso Nicolai I. (864), quod dedit Rodulpho archiepiscopo Bituricensi (vide supra notam 20 ad nr. 127). Inde quoque patet Romae saec. 9 hanc unctionem fuisse incognitam.

Traditio calicis et patenae: ex Pont. R.-Germ. saec. 10 transiit in Pontif. Roman. saec. 12 (126).

Impositio manuum sub verbis « Accipe Spiritum sanctum, quorum ... »: In textu aliquo Pontif. curiae Romanae (saec. 14; supra nr. 128) ponitur ab initio simul cum prima manuum impositione; in aliis pontificalibus invenitur statim post traditionem instrumentorum; in Pontificali Durandi (133) habetur post communionem, et hic usus transiit in Pontificale Romanum. Ratio huius translationis ad finem missae fortasse erat usus « concelebrationis ».

213. In ordinatione diaconi:

Impositio manus solius episcopi: semper et ubique, cum orationibus et praefatione, quae iam saeculo 6. Romae in usu erant (114). In Pontificali vero Durandi (132) impositio manus cum verbis « Accipe Spiritum sanctum » sequitur post primam partem praefationis. Hic usus postea receptus est in Pontificali Romano.

Traditio libri evangeliorum: Pontif. R-Germ. saec. 10, ex quo transiit in Pontif. Roman. saeculi 12. (125).

214. *In ritu graeco*: ab initio usque ad nostra tempora ordinatio fit sola manuum impositione cum oratione; non habetur traditio instrumentorum, neque manus impositio cum formula « Accipe Spiritum sanctum ».

In ritu armeno: imposito manuum; apud presbyterum et episcopum unctio; traditio instrumentorum; in ordinatione episcopi et presbyteri non habetur impositio manuum cum verbis: « Accipe

Spiritum sanctum ». Traditio instrumentorum introducta est saeculo 12.

In ritu syriaco: Iacobitae habent impositionem manuum cum oratione; Maronitae praeterea unctionem presbyteri et episcopi; apud Nestorianos post impositionem manus diacono traditur liber Apostoli, et presbytero liber Evangeliorum, sed sine forma.

In ritu coptico: sola impositio manuum cum orationibus; non traditio instrumentorum neque impositio manus cum verbis: « Accipe Spiritum sanctum ».

215. Ex tempore scholasticorum maxime diversae sententiae inveniuntur de ritu essentiali ordinationis. Multi ex iis, cum ordinem considerarent imprimis ut potestatem, inquirebant, qualis ex diversis caeremoniis, quae erant iam in usu, magis vel perfectius exprimeret collationem potestatis principalis determinati ordinis. Hic ritus illis erat ritus essentialis, et per ipsum dicebant imprimi characterem istius ordinis. Non vero adeo inquirebant, quisnam esset ritus significans et conferens gratiam, id quod tamen est principale in sacramento. Consequenter multi dixerunt materiam et formam ordinationis presbyteralis esse traditionem instrumentorum, vel hanc traditionem simul cum impositione manuum in fine ordinationis, qua confertur potestas remittendi et retinendi peccata; in diaconatu vero traditio libri evangeliorum. Non curabant multum inquirere, quando et a quo singuli ritus originem haberent, sed considerabant totum ritum, uti suis temporibus in usu erat. Opus non est diversas sententias theologorum considerare, cum in tanta diversitate opinionum argumentum ex auctoritate theologorum in hac re fieri nequeat. Multos theologos cum suis sententiis refert card. VAN ROSSUM in suo opere *De essentia sacramenti ordinis*, 2. ed. Roma (s. a.), qui tamen cum aliqua cautela adhibendus est. Pro theologis in prima parte saeculi 16. vide GIOVANNI BATTISTA DA FARNESE O. F. M. Cap., *Il sacramento dell'ordine nel periodo precedente la sessione XXIII di Trento*. Roma 1946 pag. 188-276.

216. S. Thomas, *In* 4 *dist.* 24 q. 2 *art.* 3: « Eiusdem est formam aliquam inducere et materiam de proximo praeparare ad formam. Unde episcopus in collatione ordinum duo facit: praeparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem, et ordinis potestatem tradit. Praeparat quidem et instruendo eos de proprio officio, et aliquid circa eos operando, ut idonei sint potestatem accipiendi: quae quidem praeparatio in tribus consistit, scl. benedictione, manus impositione, et unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipantur, et ideo benedictio omnibus datur. Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei: et ita solis diaconibus et sacerdotibus fit manus impositio: quia eis competit dispensatio sacramentorum, quamvis uni ut principali, et alteri sicut ministro. Sed unctione ad aliquod sacramentum tractandum consecrantur, et ideo unctio solis sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt, sicut etiam calix inungitur, qui continet sanguinem, et patena, quae continet corpus. Sed potestatis collatio fit per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet; et quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur ».

217. Secunda obiectio erat: « Ordo diaconi conformior est ordini sacerdotis, quam subdiaconi ordo. Sed si character imprimeretur sacerdoti in ipsa calicis porrectione, subdiaconus esset conformior sacerdoti, quam diaconus; quia subdiaconus characterem recipit in ipsa calicis porrectione, non autem diaconus. Ergo character sacerdotalis non imprimitur in ipsa calicis porrectione ». Respondet: « Potestas diaconi est media inter potestatem subdiaconi et sacerdotis. Sacerdos enim directe habet potestatem super corpus Christi; subdiaconus autem super vas tantum; sed diaconus super corpus in vase contentum: unde eius non est tangere corpus Christi, sed portare corpus Christi in patena, et dispensare sanguinem cum calice; et ideo eius potestas ad actum principalem non potest exprimi nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiae: sed exprimitur potestas eius per actum secundarium in hoc, quod datur sibi liber evangeliorum; et in hac

potestate intelligitur alia; et ideo in ipsa libri traditione imprimitur character ». Ergo in ordinatione presbyteri impositione manuum et unctione, in ordinatione diaconi impositione manus confertur gratia, qua subiectum praeparatur ad recipiendam formam, scl. ordinem presbyteratus vel diaconatus. Ordo vero proprie confertur traditione instrumentorum vel libri evangeliorum, quo imprimitur character. Notandum est, cum s. Thomas haec scriberet, traditionem libri evangeliorum in ordinatione diaconi nondum fuisse in communi usu. Durandus († 1334) in 4 dist. 24 q. 3 nr. 7 affirmat, seipsum in dioecesi sua hunc ritum introduxisse.

218. In opusculo « *De fidei articulis et septem sacramentis* », unde desumptum est Decretum pro Armenis dicit: « Materia autem huius sacramenti est illud materiale, per cuius traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per collationem calicis et quilibet ordo traditur per collationem illius rei, quae praecipue pertinet ad ministerium illius ordinis ... Effectus autem huius sacramenti est augmentum gratiae ad hoc, quod aliquis sit idoneus minister Christi ».

219. In *Summa* p. 3 q. 84 art. 4: « Impositio manuum in sacramentis ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti; et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis ». *In epistulam ad Hebraeos*, cap. 6 lect. 1: « Alia (manuum impositio) est sacramentalis, et haec est duplex. Una in sacramento ordinis, 1 Tim 5: Manus nemini cito imposueris ».

220. S. Bonaventura, *In* 4 *dist.* 24 p. 2 *art.* 1 q. 4: « Cum in ordinibus est ista quinque reperire, utpote in ordine sacerdotali, scl. benedictionem, inunctionem, manuum impositionem et alicuius porrectionem, ut libri vel clavis vel vasis, et verbi expressionem, quaeritur, in quo istorum fiat characteris impressio ... Hoc pro ge-

nerali regula habendum est, quod in illo signo exteriori imprimitur character in quolibet ordine, in quo principalis potestas, quam respicit ordo, significatur tradi ordinato ... In ordinibus enim sacris, quoniam datur ibi nobilis potestas et excellens, fit manus impositio, non tantum instrumenti traditio; quoniam manus est organum organorum, in quo scl. principalius residet potestas operandi. Unde sic ordinabant in ecclesia primitiva, ubi non nisi isti duo ordines explicite erant ».

221. *Praxis Congreg. Romanarum* in reparandis defectibus ordinationis presbyterorum est, ut sub conditione ordinatio iteretur, si defectus erant vel in impositione manuum (in initio ordinationis), vel in traditione instrumentorum; supponitur ergo tales defectus posse ordinationem reddere invalidam. Si vero defectus sunt circa ultimam manuum impositionem vel in unctione manuum, ordinatio non est sub conditione iteranda, sed solum ille ritus supplendus est; consideratur ergo ordinatio valida. In ordinatione diaconorum sub condicione iterum ordinandum est, si defectus erat in impositione manus; si erat defectus in traditione libri evangeliorum, hic ritus supplendus est (cf. Fr. Xav. Hecht, P. S. M. *De reparandis defectibus in collatione ordinum occurrentibus.* Periodica de re morali, canonica, liturgica. 23, 1934, 73*-111*.

Et ita nostris temporibus disputatio de ritu essentiali in ordinatione presbyteri est solum de impositione manuum in initio ordinationis, et de traditione instrumentorum, scl. utrum haec impositio manuum sola, an traditio instrumentorum sola, an utrumque sit ritus essentialis.

222. Hodie omnes theologi concedunt, ritum, qui a temporibus apostolorum aderat, esse impositionem manuum et invocationem Spiritus sancti; hunc ritum solum per multa saecula fuisse ritum essentialem, eumque apud plures orientales ut talem permanere, et eundem ritum in ecclesia latina adhuc observari. Qui defendit sententiam, Christum ipsum ritum omnium sacramentorum in specie instituisse, necessario infert: ergo hic ritus unice est essentialis a Christo immutabiliter institutus; reliqua omnia, cum sint ab ecclesia addita, non possunt intrare in ritum essentialem.

Sed in tractatu de sacramentis in genere ostendimus (thes. 11), ex eo quod ecclesia substantiam sacramentorum mutare non possit, nihil posse concludi de modo, quo Christus ritum sacramentorum determinaverit, possibilem esse tum institutionem in genere, tum in specie. Ex hac ergo parte concedere debemus, mutationes in ritu essentiali possibiles esse, quatenus earum impossibilitas non probatur ex defectu potestatis ecclesiae mutandi substantiam sacramentorum; et hoc videtur valere etiam, si agatur de mutatione tantum pro aliqua parte ecclesiae. Sed ut patet talis possibilitas non sufficit ad affirmandum mutationes illas factas esse; debent ergo afferri argumenta, quae ostendant de facto ecclesiam ritum essentialem ordinationis mutavisse. Immo ne hoc quidem sufficit; sed debet etiam probari, mutationem illam hodie ex voluntate ecclesiae adhuc permanere. Nam si ecclesia potestatem habet, huiusmodi mutationes in ritu sacramentorum inducere, hac potestate uti potest sicut in saeculo 3. vel 8. vel 15, ita etiam saeculo 18. 19. et 20. Et sicut transire potuit ab impositione manuum ad traditionem instrumentorum, ita a traditione instrumentorum de novo transire potest ad impositionem manuum vel alium ritum, qui manet intra limites a Christo determinatos. Neque quidquam in hac re mutaretur, etiam si huiusmodi mutationes firmatae essent solemni decreto concilii oecumenici. Nam cum in tali suppositione non ageretur de veritate immutabili, sed de re voluntati ecclesiae subiecta et secundum eius voluntatem mutabili, maneret in ecclesia potestas ulterioris mutationis.

223. Principalis ergo quaestio est: Habenturne argumenta solida affirmandi, ecclesiam pro aliqua parte ecclesiae ritum essentialem ordinationis sacramentalis mutavisse; et, si ita est, perduratne haec mutatio ex voluntate ecclesiae, an recessit ecclesia ab hac voluntate. Qui mutationes in ritu essentiali ordinationis admittunt, concedunt, eas non debuisse incipere per speciale et explicitum decretum ecclesiae, sed potuisse paulatim per usum in ecclesia induci. Simili modo non requiritur explicitum decretum ecclesiae, quo manifestetur se non iam retinere velle mutationem ritus essentialis ab ipsa antea inductam.

224. Argumentum principale, ad ostendendum factum illius mutationis est *Decretum pro Armenis*, cuius verba sunt: « Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectione. Diaconatus vero per libri evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero ... Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium ... Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister ». (Denz 701). Secundum haec verba ergo impositio manuum omnino non est materia huius sacramenti, sed sola traditio instrumentorum. Ergo dicendum secundum hoc Decretum: per traditionem instrumentorum significatur gratia huius sacramenti eaque ex opere operato confertur

225. De natura huius Decreti multae sunt opiniones. Probabilius videtur esse instructio doctrinalis, quam concilium Armenis tradere voluit de re practica, de sacramentis. Iam quaeritur, voluitne concilium omnibus assertis, quae in hac instructione continentur, specialem auctoritatem ipsius concilii tribuere, ita ut in illis auctoritativum, licet non necessario infallibile, iudicium doctrinale concilii haberetur, an voluit solum in usum Armenorum componere id, quod generatim de hac re theologi docebant, ita ut singula asserta eam indolem eandemque auctoritatem retinerent, quam antea iam habebant (alia de fide, alia certa, alia praevalens sententia theologorum etc.). Si prius obtinet, consequenter assumendum videtur, illo tempore solam traditionem instrumentorum cum sua forma ritum essentialem ordinationis fuisse; si alterum, sequeretur, ut concilium in hac parte instructionis suae sententiam tunc apud theologos fortasse praevalentem (non vero communem) reddidisset. Si autem ita est, ne hoc quidem cum certitudine dici potest, illo tempore traditionem instrumentorum de facto ritum essentialem fuisse. Quaenam fuerit revera intentio concilii cum certitudine vix dici potest. Attamen prior suppositio non valde probabilis apparet, si consideratur, sententiam quae dicit solam traditionem instrumentorum esse ritum essentialem, nullo modo tempore concilii fuisse communem neque unicam. Prior ergo suppositio vix videtur admittenda, nisi solida argumenta afferantur.

Ex dictis sequitur, ut certum argumentum saeculo 15. impositionem primam manuum cum invocatione Spiritus sancti non iam fuisse ritum essentialem, sed solam traditionem instrumentorum, interim non habeatur; pro ipso saeculo 15. fortasse dici potest: res non liquet.

226. Sed etiam si supponeretur, Decreto pro Armenis manifestari voluntatem ecclesiae, non iam impositionem manuum, sed solam traditionem instrumentorum esse ritum essentialem ordinationis, adhuc quaerendum remaneret, num ecclesia in hac sua voluntate permanserit. Hoc posset ex variis indiciis apparere, ex. gr. si ecclesia ex eo tempore constanter solam hanc traditionem instrumentorum consideraret et vocaret ritum sacramentalem essentialem; si in praxi secundum hanc voluntatem procederet; si in scholis haec doctrina proponeretur; si ecclesia negationem huius doctrinae non permitteret. De facto vero apparet potius contrarium. Quaestio haec libere disputatur sicut ante, ita post Decretum. Et hoc confirmare videtur, hoc Decreto omnino non manifestari voluntatem ecclesiae, ut abhinc non iam impositio manuum, sed sola traditio instrumentorum esset ritus essentialis ordinationis.

227. *Concilium Coloniense* (1536) p. 1. de munere episcopali: « Episcopi munus in duobus potissimum consistit. Primum in impositione manuum, quae est ordinum ecclesiasticorum collatio ac institutio ministrorum, deinde in visitatione dioeceseos » (Mansi 32, 1213). Sed fortasse « impositio manuum » hoc loco solum est nomen pro sacramento ordinationis. Clarius *Concilium Moguntinum* (1549), capitula ad fidem pertinentia, cap. 35: « In collatione ordinum, quae cum impositione manuum velut visibili signo traditur, doceant rite ordinatis gratiam divinitus conferri, qua ad ecclesiastica munera rite et utiliter exercenda apti et idonei efficiantur ... » (Mansi 32, 1412).

228. *Concilium tridentinum.* Tum apud theologos, tum maxime in discussionibus patrum apparet, quaestionem de essentiali ritu

ordinationis fuisse omnino controversam, et ut talem consideratam esse a patribus. Utile videtur hoc loco referre varias formas successivas, unde apparent mutationes inductae.

13 octobris 1562: « Iam vero, cum ex scripturae testimonio et ecclesiastica traditione satis perspicuum sit, ordinem externo signo sensibili administrari, potestatemque spiritualem et gratiam per id conferri: dubitare nemo potest, vere et proprie sacramentum dicendum esse. Huc enim pertinet, quod legimus, Dominum quidem apostolis calicem in coena tradidisse, post resurrectionem in eos insufflasse, apostolos autem postquam ieiunassent et orassent, iis, qui ordinandi erant, manus imposuisse, quorum exemplum deinceps sancta ecclesia secuta, in ordinum collatione solemnibus caeremoniis usa est, atque inter eas sacram unctionem religiose semper servavit » (Conc. trid. 9, 39).

3. novembris 1562: « Caput tertium. Insuper cum Scripturae testimonio et ecclesiastica traditione perspicuum sit, externo signo sensibili ordinem (qui potestas spiritualis est) et gratiam conferri: dubitare nemo debet, ordinem sive sacram ordinationem vere et proprie esse unum ex septem sanctae ecclesiae sacramentis. In eo enim praecipua sensibilia signa sunt materia et forma, quibus ecclesia catholica, a Spiritu sancto recta, ad invisibilem gratiam significandam et conferendam uti consuevit » (Conc. trid. 9, 106).

6. decembris 1562: « Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione, patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem externo signo sensibili gratiam conferri ... Cuius etiam sacramenti illa praecipua signa sunt: manuum impositio, insufflatio, unctio, vasorum sacrorum, librorum ac aliarum rerum, quae ad ministerium eius pertinent, porrectio » (Conc. trid. 9, 227).

11. ian. 1563: « Cum scripturae testimonio, apostolica traditione, et patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri ... Signa vero haec sunt: vasorum sacrorum, librorum et aliarum rerum, quae ad cuiusque ordinis ministerium pertinent, porrectio, manuum impositio, insufflatio, unctio » (Conc. trid. 9, 229).

Die 13 ian. advenit responsum theologorum Romanorum, qui desiderabant, ut in fine formulae diei 6. decembris adderetur « et

contactus », ne quis porrectionem solam absque contactu sufficere putet.

Forma initio iulii 1563 proposita concordat cum textu definito: « Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione et patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri » (Denz 959).

229. Ergo concilium omnino praescindit a quaestione de ritu essentiali ordinationis; quaestio erat et manet post concilium quaestio controversa, disputata. Et ita egit concilium, quamvis novit Decretum pro Armenis et quamvis illud pro sententia traditionis instrumentorum inducebatur. Ergo patres concilii non putabant post Decretum pro Armenis hanc quaestionem non iam esse omnino liberam.

ARGUMENTUM

230. Sola impositio manuum cum invocatione Spiritus sancti ab initio per multa saecula ritus essentialis erat in universa ecclesia, idemque ritus solus sine dubio adhuc essentialis permansit apud multos orientales. Idem autem ritus etiam in ecclesia latina essentialiter eodem semper modo adhibetur in collatione ordinum. Ergo dicendum est, eundem hunc ritum in ecclesia quoque latina permansisse essentialem. Nam ut iure assumi possit, huic ritui, qui in tota ecclesia ex temporibus Apostolorum idem semper perduravit, significationem gratiae sacramentalis et efficaciam ex opere operato, quam antea habuit, in parte aliqua ecclesiae ablatam esse, cum in alia parte ecclesiae eam retinuerit, solidae et cogentes omnino rationes requiruntur; atqui ex supra dictis apparet, tales rationes non exsistere; ergo dicendum est eundem hunc ritum solum in tota ecclesia permansisse essentialem, qualis ab initio erat.

Sic excluditur sententia, quae dicit solam traditionem instrumentorum esse ritum essentialem. Magis autem excluditur ea, quae dicit impositionem manuum et traditionem instrumentorum simul esse ritum essentialem. Haec enim sententia ne ad Decretum qui-

dem pro Armenis provocare potest, cum illud clare solam traditionem instrumentorum cum verbis materiam et formam huius sacramenti dicat.

Quae dicta sunt valent etiam, si supponitur, tempore concilii florentini ecclesiam traditionem instrumentorum habuisse pro ritu essentiali. Nam si ecclesia hanc mutationem retinere voluisset, non iam intelligi posset, ecclesiam in concilio tridentino hoc non manifestasse, sed quaestionem de ritu essentiali considerasse quaestionem de qua libere disputatur. Ceterum, ut antea dictum est, haec suppositio non est probata.

231. *Confirmatio* desumi potest ex consideratione ipsius ritus ordinationis. Si in administratione sacramentorum caeremoniae inveniuntur, quae clare significant gratiam sacramenti, et aliae, quae eam non significant, per se dicendum est eo ritu conferri gratiam, qui eam significat (ex definitione sacramenti). In ordinatione vero tum impositio manuum cum invocatione Spiritus sancti, tum unctio significant gratiam, non autem traditio instrumentorum; ergo vel impositione manuum vel unctione confertur gratia. Omnes autem concedunt, unctionem non esse ritum essentialem; ergo impositione manuum significatur et confertur gratia huius sacramenti.

232. Fortasse haec quoque ratio non est sine omni valore: Ritus essentialis sacramentorum talis esse debet, cuius exsecutio non parat difficultatem, et qui ex se non praebet occasionem dubiorum de valore sacramenti. Talis autem non est ritus traditionis instrumentorum in ordinatione presbyteri, qui decursu temporis magis magisque complicatus et difficilis evasit. Initio sufficiebat successive tangere calicem et patenam; deinde necessarium erat, simul tangere calicem et patenam, idque ligatis manibus; ulterius aliqui postulabant, ut tangeretur etiam ipsa hostia (logica conclusio esset, ut etiam vinum tangi deberet, quod tamen hucusque nondum ut necessarium propositum est). Ritum hunc autem difficilem esse et occasionem dubiorum de valore ordinationis praebere, experientia satis constat. Si non sunt rationes gravissimae, talis ritus non potest dici ritus essentialis ordinationis.

233. Proposita est recenter sententia quaedam media (Al. Janssens, *De heilige Wijdingen*, 1933, 284 ss.): Impositione manuum confertur gratia; traditione instrumentorum et impositione manuum in fine ordinationis vero ipsa potestas ordinis. Utrumque autem essentiale est in ordinatione presbyteri. Haec sententia sic videtur intelligenda, quod prima impositione manuum sola gratia, non autem potestas conferatur. Si ita concipitur, sententia non videtur admittenda. Nam in hac suppositione sola prima manuum impositio esset ritus sacramentalis. Ritus enim, qui non significat neque ex opere operato confert gratiam, non est sacramentalis. Si autem ita est, iam non verum manet, ordinem conferri *sacramento*. Nam sacramento conferri ordinem significat, illum ritum, quo quis in determinato ordine constituitur, esse signum efficax gratiae. Constituere autem in determinato ordine est praecise conferre potestatem huius ordinis. Ergo, si ritus, quo confertur potestas ordinis, non est efficax gratiae, ordo non confertur sacramento. Ita autem est in hac sententia: nam impositione manuum confertur quidem gratia, sed non potestas sacerdotalis; traditione instrumentorum et impositione manuum in fine ordinationis confertur quidem potestas sacerdotalis, non autem gratia. Ergo ordo sacerdotalis non confertur ritu sacramentali, non confertur sacramento.

234. De **effectu** sacramenti ordinis nihil hoc loco addendum est. Confertur gratia et imprimitur character; sed tum de gratia sacramentorum, tum de charactere dictum est in tractatu de Sacamentis in genere.

235. Subiectum capax huius sacramenti est solum mas baptizatus. Quod si in primis saeculis ecclesiae interdum de diaconissis vel de viduis et de earum ministerio in ecclesia (maxime in baptismo mulierum) sermo est, non est contrarium, neque est contrarium, quod illae interdum videntur pertinere ad clerum. Numquam ordines sacramentales vel eorum functiones mulieribus tribuebantur.

Pro valida susceptione ordinis *episcopalis* theologi generatim dicunt requiri ordinem presbyteratus antea susceptum. Attamen at-

tentis multis testimoniis in contrarium hoc non iam videtur sustineri posse (vide supra nr. 147 ss.).

Quae autem ad licitam susceptionem ordinum in subiecto praerequiruntur, cum non spectent quaestiones dogmaticas huius sacramenti, alibi exponuntur.

De ministro sacramenti ordinis

236. Conc. trid. s. 23 cap. 4 (Denz 960) inter functiones episcopo proprias habet « ministros ecclesiae ordinare »; huius functionis potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent; et can. 7 statuit potestatem ordinandi episcopis non esse communem cum presbyteris (Denz 967). Decretum pro Armenis: « Ordinarius minister huius sacramenti est episcopus » Denz 701).

Ex iis quae supra 157 ss. de distinctione inter episcopum et presbyterum dicta sunt, patet, praeter confirmationem etiam ordinationem semper reservatam fuisse episcopis; immo etiam facultatem chorepiscoporum ordinandi restrictam fuisse. Per se ergo episcopum esse ministrum ordinationis constat, neque de hac re est disputatio.

237. Quaestio autem est, num simili modo, quo facultas confirmandi, ita quoque facultas ordinandi simplici sacerdoti, presbytero, concedi possit. Sine dubio ecclesia determinare potest, quis sit minister eorum ordinum, quos ipsa instituit. Difficilis autem est quaestio de ordinibus sacramentalibus, num scl. Summus Pontifex presbytero concedere possit facultatem ordinandi diaconum vel presbyterum. Theologi scholastici fere omnes hoc negabant, paucis exceptis, inter quos *Durandus*, qui scribit (In 4 dist. 25 a. 1): « Minister idoneus est solus episcopus, licet ex dispensatione possit esse sacerdos ». Canonistarum quoque maior, ut videtur pars negabat, attamen plures inter illos affirmabant (Gillmann, *Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakraments*. Paderborn 1920). Qui autem hoc affirmabant, generatim postulabant specialem concessionem ex parte Summi Pontificis.

238. Iam a saeculis nota erat bulla *Innocentii VIII.*, die 9. aprilis 1489 data, qua aliquibus abbatibus cisterciensibus concedit facultatem conferendi ordines subdiaconatus et diaconatus: « ac ne monachi dicti Ordinis pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis; aliis vero quattuor Abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum praedictorum religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines huiusmodi alias rite conferre ... »

239. A paucis decenniis nota est Bulla *Bonifatii* IX., 1. februarii 1400, qua abbati Augustiniano monasterii s. Ositae concedit facultatem conferendi ordines minores, subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum: « Hinc est quod nos ipsorum abbatis et conventus in hac parte supplicationibus inclinati ut idem abbas et successores sui in perpetuum abbates eiusdem monasterii pro tempore exsistentes omnibus et singulis canonicis praesentibus et futuris professis eiusdem monasterii omnes minores, nec non subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines statutis a iure temporibus conferre libere et licite valeant, et quod canonici sic per dictos abbates promoti in sic susceptis ordinibus libere et licite ministrare possint quibuscumque constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium editis quibuscumque quacumque firmitate roborati nequaquam obstantibus eisdem abbati et successoribus suis ac eorum canonicis auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus ». Sed die 6. febr. 1403 ob instantiam episcopi Londoniensis revocata est. Ratio vero revocationis indicatur: « Cum autem sicut exhibita nobis pro parte venerabilis fratris nostri Roberti episcopi Londoniensis petitio continebat monasterium praefatam in quo idem episcopus ius obtinet patronatus per quosdam ipsius episcopi praedecessores Londonienses episcopos qui fuerant pro tempore fundatum extiterit ac litterae et indulta huiusmodi in gravem ipsius episcopi et iurisdictionis suae ordinariae ac ecclesiae Londoniensis laesionem vergere dignoscitur pro parte eiusdem episcopi nobis fuit humiliter supplicatum ut suae et eiusdem ecclesiae in-

demnitati consulere in praemissis de benignitate apostolica dignaremur ». (De bullis Innocentii VIII et Bonifatii IX, et de tota hac quaestione vide Corrado Baisi, *Il ministro straordinario degli ordini sacramentali*. Roma 1935, ubi integer quoque textus bullarum invenitur).

240. Tandem anno 1943 K. A. Fink edidit bullam *Martini V.*, qui 16. novembris 1427 abbati cisterciensi monasterii Cellae sanctae Mariae, Misniensis dioecesis, concedit facultatem « singulis monachis eiusdem monasterii ac personis tibi abbati subiectis omnes etiam sacros ordines conferendi dioecesani loci licentia super hoc minime requisita ». (K. A. Fink, *Zur Spendung der höheren Weihen durch den Priester*. Zeitschrift der Savigny - Stiftung.; kanon. Abteilung 32, 1943, 506-508).

Ergo interim notae sunt duae Bullae, quibus simplici sacerdoti confertur facultas ordinandi diaconos et presbyteros, una qua confertur facultas ordinandi diaconos. De genuinitate bullarum Bonifatii IX. et Martini V nullum omnino dubium exsistit; sed etiam de bulla Innocentii VIII hodie non iam videtur serium dubium sustineri posse, et certum est abbates cistercienses per saecula hoc privilegio usos esse. Termini quoque bullarum clare loquuntur de ipsa collatione ordinum.

241. Constat ergo a tribus Summis Pontificibus simplici sacerdoti facultatem collatam esse conferendi ordines diaconatus, vel diaconatus et presbyteratus. Videtur proinde concludendum: ergo presbyter ex concessione Summi Pontificis potest esse minister huius sacramenti. Non enim dici potest, tres illos Summos Pontifices errasse in re adeo gravi, qualis est ordinatio sacramentalis. Quamdiu sola bulla Innocentii VIII. theologis nota erat, et insuper eis non constabat de eius genuinitate, facilius intelligi potest, plures theologos habuisse difficultatem in agnoscenda illa potestate Summi Pontificis. Sed si iam de tribus Summis Pontificibus usus huius potestatis constat, signum est, eos revera habere hanc potestatem. Ex eo autem, quod non frequentius usi sint hac potestate, sicuti in concedenda facultate confirmandi, nihil sequitur. Non usus

potestatis nondum dicit carentiam potestatis. Posset fortasse ex non usu potestatis ad eius absentiam concludi, si ostendi posset, usum potestatis fuisse necessarium. Nam in tali casu non usus potest esse indicium, Summum Pontificem censere se non habere hanc potestatem. Sed ne hoc quidem certum est, cum possint esse aliae rationes, ob quas potestate sua non sit usus. Nullus autem in historia ecclesiae indicari potest casus, in quo necessarium fuerit simplici sacerdoti concedere ordinationes sacramentales. Quando autem nulla est necessitas utendi aliqua potestate, non usus non est signum eam non adesse. Et in ipsis bullis de quibus agitur, facultas conceditur non propter veram aliquam necessitatem, sed agitur de favore, quem Summus Pontifex illis monasteriis exhibere voluit.

Et sic melius videtur concludere: Summi Pontifices hanc facultatem contulerunt simplicibus sacerdotibus; ergo hoc potuerunt; ergo ex concessione Summi Pontificis presbyter potest esse minister ordinationis diaconatus et presbyteratus.

Quaestio, quidnam in tali concessione Summus Pontifex presbytero conferat, eodem modo solvenda est, quo eadem quaestio respectu sacramenti confirmationis (vide etiam supra nr. 143 ss.).

240.8 Lennerz, H.
L567 De Sacramento Baptismi
v.4

DATE	ISSUED TO

240.8
L567
V4

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FOR REFERENCE
For Overnight Use Only!!